UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinj Ordinis Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

Visual Library

Th. 397a.

N IV 16.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibl. Theodor. Paderb.


R.mus P. D.
Ludovicus Caraffa Andriæ
Dux Abbas Neapolitanus
vitâ Sanctè excessit Anno
1664. miraculorum gloria
illustris.
R.mus P. D.
Joan. Baptista Abbas
Castro Chisinensis obyt
1679. miraculis gloriosus.
S. P. N.
Benedictus in
Seris Posteris
Redivivus.
Venerabilis Anna Goyslena
dicta de Passione S. ejusq. stigma-
tibus Ipsiguita ordinis S. Benedicti
Monialis Congregationis Calvaria-
cognominatæ decessit Anno
1633.
Venerabilis Maria Joanna
Bonhomia Abbatissa ordinis
S. Benedicti Sanctè decessit
Anno 1670.



BENEDICTUS REDIVIVUS

Hoc est:

BENEDICTINI ORDINIS

Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate

IMMARCESCIBILIS VIGOR,

ac Viror

Anniversariâ Vernantiâ

Chronologicè comprobatus, ac demonstratus

Ab anno Christi M. D.

AD PRÆSENTEM USQUE ÆTATEM, ET ANNOS NOSTROS,

In quo manus dextræ Excelsi necdum novissimis temporibus

abbreviatæ mirabiles usquè in hodiernum diem

Operationes

IN EFFUSIONE MIRABILI

sui Spiritus, Ejusdemque gratiarum

Cùm in resuscitatione primævi fervoris, tum in promotione publicæ salutis,
Ecclesiæ & Diversorum Regnorum Procurandis Negotijs
Litterarum non minus, quam Virtutum
studijs

Virorum fœminarumquè prodigiosis exemplis quam compendiosissimè exhibētur

Opera, & Studio

R. P. F. GABRIELIS BUCELINI

Ascetæ Benedictini Imperialis Monasterij VVeingartensis

Prioris S. Joannis Bapt. in Oppido Rhætiæ Superioris

Veldkirchensi.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

Sumptibus & Typis Joannis Hübschlin Ejusdem Urbis Civis, & Typographi
Anno Christi. M. DC. LXXIX.

Collegii Soc. Jesu Paderborn 1697

Dono P. Kleppenburg S.J.

REVERENDISSIMIS PRÆNOBILIBUS

ET

AMPLISSIMIS PRÆSULIBUS

Ac

DOMINIS, DOMINIS

ABBATIBUS

AUSTRIACARUM PROVINCIARUM

PRÆLATIS,

PATRONIS OMNI OBSERVANTIA COLENDISSIMIS

NEC NON ADMODUM REVERENDIS, VENERANDIS, RELIGIOSISSIMIS

PRIORIBUS, SUBPRIORIBUS,

SACRIS COENOBIORUM COETIBUS BENEDICTINI ORDINIS PER AUSTRIACAS PROVINCIAS NOSTRA ÆTATE FLORENTISSIMIS VNIVERSIS OMNEM à DEO TER OPTIMO MAXIMO, ET BENEDICTO IN SUIS REDIVIVO BENEDICTIONEM.

Vovet animitus: & Metulitus Aprecatur.

JOANNES HÜBSCHLIN, Civis & Typographus in Veldkirch.

LECTOR BENEVOLE.

BENEDICTUM REDIVIVUM damus non qualem voluimus, sed qualem potuimus, magnis conatibus summaque industria adornatum, sed injuria temporum, omni commercio non profano solùm, sed & sacro & litterario prorsum intercepto, ipsis quoque studijs & ad hanc summè necessaria quiete & solitudine turbatissimis, sed & animis universali Europæ in cruentissima concitatione in odia & suspiciones distractis, ipsorum etiam Religiosissimorum hominum, etsi diversissimarum nationum, longâ tamen amicitiæ assuetudine in unum & unanimem rei benè gerendæ consensum, non sine Divini Spiritus impulsu convenientium & collaborantium, quin & symbolas omni dignas immortalitate conferentium & mutuo communicantium, his ferè omnibus tantæ tempestatis turbine dissipatis, ita ut post ingentia promissa me planè desererent, omnem correspondendi occasionem in suspicionem & pericula traherent, adeoque omni Amicitiæ renunciare viderentur. Et magnum sanè opus paraveramus, incredibili hinc inde missione litterarum, summisque precibus sollicitatum, felicissimis initio successibus, donec infelicissima STATUS RATIO totam in arma Europam excitaret, omnemque cum Amicitia felicitatem exsufflaret. Exsufflavit hæc eadem tempestas omnes conatus meos, eóque distraxit, ut vix hinc inde quandoque aliquid collegerim, & colligere penè desperaverim, dum ad pleraque litteras nec verbulum responsi acciperem ab illis etiam, quos plurimis obsequijs arctè demerueram, & qui ultronei olim fuissent, ad res Operi meo inservituras copiosissimè communicandas. Jd talibus inhianti quantum doluerit, explicare nunquam satis potero, uti nec deinceps tantum dolorem dedolere, ut proin sæpius calamum abiecerim, solo abominabilis otij tædio abjectum resumens, & quæ quasi ex naufragis collegeram, spolia in ordinem aliquem redigens, & juxta Christi monitum: Colligite fragmenta ne pereant, paucula hujus libri consarcinans, usui saltem ijs futura quibus meliora tempora obtigerint, quibus talia securius & felicius ad sacræ posteritatis solatium, & exemplum procurentur & evulgentur.

Certè quanti referat recentioribus eruditi quàm antiquioribus, argumento sunt viæ duces, quorum etiam hodie, vijs dubijs, caliginoso tempore anxij vestigia premimus, & vel maximè cum tot pericula imminere certi sumus, incerti de evadendis, ut merito manu duci exambiamus; Tales (ut Raphaelem Tobiæ Comitem ac Ducem) tales inquam, & quidem nos paucos, hoc ipso Opere prodeximus, quorum ductu à rectâ semita viæ ac vitæ aberrare nequeamus. Recentissima vestigia, recentissima exempla obscurissimi sæculi & frigidissimi sunt inter frigus & gelu plus quam Islandica firmissimo & ferventissimo generosissimi pedis Calcatu alitè impressa. Semitam & Comitem rectum infallibiliter docentia, ut haud modicum inde utilitatis speremus recentissima hæc adeoque calentissima etiam tantas inter nives & glaciem vestigia tentantium & aggredientium, ut aggregandos Benedicto REDIVIVO plurimos (nisi omnino, ejuratæ propriæ Voluntatis revocatores, Regularum & sacræ disciplinæ juratissimos hostes) quàm confidentissimè nobis polliceamur. Ita juxtà Amplissimo & Sanctissimo Ordini apprecamur, ominamur, & non dubij tanto antè gratulamur.

AUCTORIS PROTESTATIO.

SUspicientes venerabundi quæ Sanctissimus D. N. URBANUS Papa VIII. 13. die Martij anno 1625. in sacra Congregationis Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Decreto edidit & denuo die 5. Julij anno 1634. confirmavit, de non edendis Sanctorum seu Beatorum à S. Sede Apostolica non approbatorum gestis, nisi prævia approbatione Ordinarij, & protestatione ea, quæ scribuntur, non alia fide quàm humana tradi, nos decreto ejusmodi obedientissimè accommodantes & devotè insistentes, si quæ alia, quàm ab eadem approbata Sede, Tam in Menologio nostro, ejusque Auctario, quàm alijs Operibus, Annalibus Benedictinis, BENEDICTO REDIVIVO, cæterisque in lucem dedimus, seu daturi sumus, sponte & ultro profitemur, nos alio sensu & mente accipi nolle, quàm quæ humanâ duntaxat auctoritate, non autem Divinâ S. R. E. & Sedis Apostolicæ auctoritate subnixa sunt, ijs exceptis, quæ Ipsa Sedes Apostolica Sanctorum Catalogo, jure merito adscripsit, & Orbi Christiano commendavit.

P. F. GABRIEL BUCELINUS
BENEDICTINUS.

BENE-

BENEDICTUS REDIVIVUS.

Hoc est:

BENEDICTINI VETUSTISSIMI AMPLISSIMIQUE ORDINIS NOSTRA AC SUPERA ÆTATE

IMMARCESCIBILIS VIGOR ATQUE VIROR
ANNIVERSARIA VERNANTIA
ab Anno 1500. *usque* 1672.

Chronologicè, quam compendiosissime
comprobatus & demonstratus

PER R. P. F. GABRIELEM BUCELINUM EIUSDEM ORDINIS
Ascetam Theologum Imperialis Monasterij Weingartensis, Priorem S. Joan. Bapt. in oppido Rhetiæ Veldkirch.

BENEDICTUS Deus in Benedicto suo etsi nunquam non tanto decursu sæculorum, sæculis jam ferè totis ab ejus exortu, duodecim, [mille nimirum & ducentis annis,] Ipsum maternis etiamnum clausum visceribus, ac deinceps in vita omni, in Benedictionibus dulcedinis & præveniendo, & adaugendo ac superimplendo, sacram quoque ejus posteritatem, Benedictinam Familiam, benedictione Abraham, in omni Generatione beaverit, orbique universo conspicuam fecerit; fecit etiam in hoc præcipitio sæculorum, quo constaret universis, semini, cui ipse benedixerit, benedictionem nullo unquam tempore defuturam. Et quidem in fine sæculorum, cum maledicto subjacens orbis, totus in maligno positus, Idolum illud abominationis, pronissima & præcipiti in omne scelus nequitia adoraturus esset, Divino promisit oracolo, certissimumque esse sanctissimum & verè BENEDICTUM Patriarcham jussit, fore, ut tunc sacra Ipsius posteritas, & solidè Benedicta Familia, FIDELISSIME [sic verba ipsa Divini promissi habent] PRO ECCLESIA ROMANA STARET ET PLURIMOS IN FIDE CONFORTARET, &c. Quod ipsum & argumento & solatio singulari nostris esse debet, propensioris, erga Sanctum hoc, non tam Benedicti Patris, quam BENEDICTÆ Matris, Matris Virginis institutum, Divinæ Bonitatis, continuandæque, perpetuatæ hucusque in finem sæculorum Gratiæ & Benedictionis.

Benedicti P. N. in utero Matris Benedictio.

Jo serùs filijs verè Benedictus.

Promissio Divina facta S. P. N.

Et sanè, quantis illustrem favoribus Gratisque BONUS DEUS, cùm Patrem atque Archiducem nostrum, innumerabilis Sacri exercitus Imperatorem, re & nomine BENEDICTUM, tùm filios ejusdem seroque nepotes fecerit, pridem describere atque adumbrare aggressi, & Annalibus nostris Benedictinis, & Menologio, nec non Aquilæ Benedictinæ, coloribus & pennis, prout licuit expressimus, conatum saltem nostrum, siquid minus pro dignitate, Ordini atque Orbi universo contestati.

Filiorum S. P. N. continuata Benedictio.

Quia tamen sunt, qui priscum illud, & vulgo usque hodie notissimum ac decantatissimum, ad nostra quoque tempora pertinere & mores arbitrentur.

Laudamus Veteres, & nostris utimur annis

Asserendæ & nostræ & proximæ [quæ plurimum, nec quidem immerito, inculpatur] ætatis gloriæ, sequioris ævi, recentissimis calentissimisque exemplis, *non esse abbreviatam Domini manum.*

Usque hodiecompertissima Benedicto.

num, demonstrandum duximus, & vero etiam *cum defeciſſe de terris Sancti* & benè meriti viderentur, Sanctum & pervetuſtum hunc Ordinem, Sanctos & optimè meritos edere nunquã deſtitiſſe, ſuſcepimus ſaltem obiter, comprobandum; eo inprimis collimantes, ut quæ in oculis pene noſtris, & tanta propinquitate temporum geſta ſunt, potentiora atque efficaciora ſint, excitandorum animorum inſtrumenta, & vitæ noſtræ, ad exempla majorum & Confratrum noſtrorum inſtituendæ argumenta & incitamenta. Quod ad ſummam DEI Ter Optumi Maxumi, Magnæ & verè BENEDICTÆ Matris Benedictique Patris gloriam, brevi Chronologia oculis ſubijcimus, illud Lectorem Benevolum monentes, nos obiter tantum,

Pauciſſima exinnumeris delibantur.

pauciſſima ex innumeris delibâſſe, qui ſi per tempus & patriæ motus licuiſſet, daturi eramus tale ætatis noſtræ ſpeculum, ut repræſentâſſe, primœvum Ordinis ſplendorem videretur.

JESU CHRISTI ANNUS M. D.
Sanctiſſimi Patris noſtri MXX.

Auſpicatiſſimum ſæculi âChriſto nato ſexti decimi initium, fortunatiſſimo decimi quinti exitu commendandum. Deſierat iſtud [ut alia â ſanctiſſimi Patriarchæ ortu atque obitu ad præſens uſque fluxerant atque defluxerant omnia] cum ingenti Benedictini Ordinis merito & Gloria:

Sexti decimi ſeculi initium fine quintodecimi definium.

Cum enim Archiducis ſui, ultimi Italiæ Apoſtoli exemplo, Monachi noſtri longo decurſu ſæculorum, non in Europæ ſolùm ſed Aſiæ quoque atque AfricæRegnorum Provinciarumque pene innumerabilium CONVERSIONE immenſo labore, mirabili ſucceſſu fructúque ſtrenuè atque indefeſsè laboraſſe nt, ſuamque operam & Romanæ Eccleſiæ, & Cœlo, DEoque Jpſi, ingentibus iſdemque æternis meritis commendaſſent; unum deeſſe videbatur, ut quo avarities ambitioque mortales, in infinita pericula quin & mortem, etiam extra penè, ut ſic loquar, mundum raperet, aurumque quærere cogeret & dominatum, eo quoque noſtros, longè tamen diverſum ab illo, ſolius ſcilicet, propagandi Chriſti nominis Studium verè Religioſum, tam procul abriperet, perque tot ma-

Monarchorum de toto Orbe merita.

ria periculorúmque millia in novum uſque & incognitum Orbem transportaret, in quo quidem non argentum, non aurum, aut gemmas, atque uniones, ſed rerum omnium indigentiam, labores, cruces, mortem ipſam pro Chriſto ſponte ſubirent, Sanguinemque SANGUINI tam pretioſo Redemptoris Chriſti JESU refunderent, & conſecrarent, quo quidem DEO gratius quidquam facere non poſſe viderentur. Quod ipſum anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio generoſiſſimè magno animi ardore aggreſſi, ſæculi illius præcipitantis exitum non minus, quam initium ſequentis, memorandis ad æternitatem omnem & conatibus, & favente Cœlo ſucceſſibus, inſigniter nobilitârunt. Sed de hoc ipſo meritiſſimum de Ordine noſtro, gratiſſimæ recordationis Arnoldum Wionium Belgam Duacenum, alterum Hiſtorici maris domitorem [etſi non ſine nonnullis, in tanta ante alios tentata vaſtitate erroribus] alterumque Columbum noſtrum audiamus:

Etiam de novo orbe maximum.

1493. Miſſio noſtrorum in Indias.

Elegium inſigne Ordinis

"Benedictus DEUS, inquit, & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, qui benedixit nos in omni Benedictione ſpirituali, in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti & Jmmaculati, in conſpectu ejus in charitate. Quid quæſo Eccleſia ſancta DEI protulit Ordine Benedictino ſanctius? Quid ejus Jnſtituto immaculatũ magis, cujus anima lethali vulnere nunquam maculata legitur? Quid charitate Benedictina mirabilius dici poteſt, & majus? Jllam enarrare & demonſtrare cum hactenus in hoc unum incumbuerimus, quid juvat? Europam, Africam, Aſiam, honne ſeminibus ejus repletas vidimus? Nonne hæc ſua ſancta prædicatione Regna, & Provincias convertit? Sua humilitate ſuperbos Reges vicit? Tyrannos ſua conſtantia terruit? Jdola ſubvertit ſuo Zelo? Sua doctrina ſapientiam hujus ſæculi confudit? Barbariam efferã manſuetam ſua ſimplicitate reddidit? Invia & inacceſſa, pervia ſibi ſuo labore fecit? Nonne prohâc, quidam in ſolitudinibus errantes in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ inventi; alij ludibria &

Celebrantur merita Patrum Ordinis.

ver-

verbera experti, insuper & vincula & carceres: alij lapidibus obruti, alij gladio necati, alij igne consumpti, alij diversis tormentorum generibus affecti sunt? Nec his tamen terminum suis pedibus posuit. Magna est enim Domus Benedicta, & ingens locus possessionis ejus. Gentes quas non noverat, semen ejus hæreditavit, civitates desertas inhabitavit; & non est finis acquisitionis ejus; transfretavit mare, & adinvenit terram prudentia sua, quam præparavit ei DEUS in æterno tempore, ex qua attulit fructum super aurum electum, ut sit illi in laudē gloriæ ejus. Benedicens benedixit ei DEUS, in benedictione tali, quæ omnem Benedictionem superat. Antipodas namq; quos veteres ut fabulosos reijciebant; nostra hâc ætate experientia veros repertos *BENEDICTINORUM PRIMITIAS* esse voluit, ut quemadmodum præteritis sæculis Benedictini, voluntariè, ex mera Charitate sese totos in CONVERSIONE Gentium, ad DEI Laudem insumpserant, ita nunc digna pro meritis suis remuneratione, ab Ipso ad pium hoc opus eligerentur, ne alij hanc eis laudem quæ ipsis solis debeatur, præriperent. Cum enim Columbo Genvensi Duce anno Domini circiter 1490. Jndia occidua, quæ Jndico nomine Peru, & ab Americo Vesputio Florentino, qui quatuor navigationibus eam aperuit, *AMERICA* [quarta pars orbis dicitur] nunquam antehac cognita, imo, ut dixi, pro fabulosa habita, reperta non sine Divina voluntate fuisset, & Ferdinandus, ac Jsabella Hispaniæ Reges, ab Alexandro Papa VI. anno 1493. 4 Cal. Maij Bulla, legitimi illius Domini constituti, ita tamen, ut præcones Evangelij illuc mittere tenerentur, Domnus Bueill Hispanus Catalanus, Monachus Ordinis S. Benedicti, S. *MARIÆ* Montis Serrati, quod tunc primum agente Domino Garsia de Cisneros, illius Congregationis Reformatore, sanctitatis suæ radios expendere incipiebat, ob *SINGULAREM SANCTITATEM, ET ADMIRABILEM DOCTRINAM* Primus novi Orbis Apostolus electus, & *JNDIARUM ARCHIEPISCOPUS*, & *PATRIARCHA*, ac *VICARIUS SUMMI ROMANI PONTIFICIS* apud illas Regiones nominatus est. Qui sic electus duodecim sibi Sacerdotes, Viros Religiosos elegit, & Benedictione pontificali percepta, omnibus adhanc novam Evangelij Prædicationem necessarijs præparatis ex Hispania discessit die 25. mensis Septembris anni memorati. Hucusque Arnoldus.

Benedictio Divina.

Christophori Columbi navigatio.

Dom. Bueil. Montserrat. Monachus.

Jndiarum primus Patriarcha.

Fuerunt autem hoc ipso anno fortunatissimi nostrorum in America successus, & quod ad cumulum plenitudinis Gloriæ Benedictinæ unicum deerat: Omnibus jam Europæ, Asiæ, Africæ, Orientis atque Occidentis, Provincijs nostrorum, glorioßissimo Sanguine tinctis atque consecratis, felicissima hâc Martyrum purpura, sub hæc ipsa sæculi prioris exitum, sequentis initium Novus ille Orbis noviter initiatur, excolitur, impinguatur & consecratur... Trucidati aliquot ex Bueillij socijs, quod impatientissimè Gentiles ferrent sua passim Jdola omnia destrui, & comminui, quæ summo ipsi, Majoresque ipsorum cultu tot sæculis tamque religiosè observassent, & venerati essent: Quorum novi hi Apostoli nostri, in unica solummodo [exceptis tot alijs quas Christo lucrari cœperant Provincijs] Hispaniolæ Jnsula, plus quam centum septuaginta millia confregerant. Frendente Jnfero tam antiqua sese possessione, adeò brevi tempore, & vix causa indicta, exturbari, qui, ceu Jure quodam, & antiqua Juris præscriptione, contra *ALTISSIMUM*, tanta & felicissima cæteroquin, situ, oportunitate & omni rerum necessariarum insolentissimâ affluentiâ regna, tanquam Tyrannorum nequissimus, & turbulentissimus usurpaverat. Erecta quamprimum debellati Jnferi indicia solemnissima diversissimis, Provincijs & Regnis altissima & longè latéque elegantissimis collibus & ampliss imis campis conspicua Crucis Dominicæ signa & trophæa, â primo Novi Orbis Patriarcha solemniter consecrata, quæ paulo post summa in Veneratione ab incolis habita, admirandis insuper, â *DEO* prodigijs & miraculis commendata atque illustrata sunt; quas inter, quam in Hispaniola olim erexit

Nostrorum in America successus.

Martyres primi Americæ.

Trophæa debellatæ Gentilitatis.

ipse & consecravit, eâ deinceps celebritate [necquidquam frementibus, evertere,& cremare satagentibus idololatris, Divinâ virtute manifesto prohibitis] à novellis Christianis religiosissimè & cultu assiduo,ac perenni est frequentata,ita ut percrebescente miraculorum famâ, Insula deinceps eadem non aliter, quàm glorioſissimo sanctæ Crucis nomine appellaretur. Videatur Honorius Philop, Petrus Cieza, Genebrardus & Annales nostri Benedictini. Edit. Venetâ, &c. Et debitus sane hic honor Apostolatus Divi Patris Benedicti posteris visus est post nongentos integros annos, cum jam tanto ante S. Brandanus ejusdem Ordinis Abbas, vir planè mirificus, omnia Novi Orbis Inventorum ingenia & Studia, sua admiranda,& plena prodigijs navigatione prævertisset, & ad Fortunatas usque Insulas septiennì navigatione, non sine Divinæ auræ aspiratione difficillimam expeditionem convertendarum Gentium Studio suscepisset. Is denique domum annoChristi 580. reversus cum descriptum â se totius itineris insigni volumine cursum & successum, in ara Deiparæ tanquam Benedictini Ordinis primæ Institutrici consecrasset, conversionemque Novi Orbis, tanto post in seris suæ professionis posteris denuo initiandam commendasset. Sacris dein ad aram eamdem operatus his finitis Spiritum Creatori reddidit, & felicissimo mortis genere, cursum navigationis, & vitæ complevit. Ut proin meritò commendatam sibi â tanto Apostolo Indorum, tanti Apostolatus functionem, Apostolicam expeditionem Apostolorum Regina in se suscipiens, eam, licèt, tanto post, in suis Montserratensibus restauraret, [nimirum ut promissum â Numine Sanctissimo Patriarchæ nostro fuerat] tanta ab Ordine suo ante mundi dissolutionem præstanda, ut & summus Ecclesiæ Doctor Magnus Gregorius libro 20. capite 17. memorat: *Sanctus Benedictus*, inquit, *precatus fuit DEUM, ne permitteret Monachos suos ab infidelibus interimi, quoniam decreverat, ut illinomen ejus per totum orbem terrarum ferrent, prædicando Evangelium*, &c. Ita Magnus Doctor.

Miraculosa conservatio ejusmodi Trophæorum.

Prævit proin denuò, ut infinitis alijs exemplis, in conversione Gentium reliquos sanctos ordines pulcherrimo hoc Studio Benedictina vetustissima Familia,& plurimos non accendit solum,sed deinceps fovit,& quibuscunque potuit, subsidijs iuvit, uti in promovendis omnium sacrarum familiarum initijs, & progressibus plurimum semper præstitit. Quæ officij genera prolixius in Annalibus nostris Benedictinis, & Menologio commemoramus.

Moritur hoc anno insigne sacræ Purpuræ, Ordinis nostri, & Orbis universi decus Andreas abEspinaij Armoricensis Gallus ex Monacho Religiosissimo, & Priore meritissimo S. Martini â Campis Congregationis Cluniacensis, ob insignes naturæ dotes,& vitæ merita, certatim ad diversas Cathedras & maximos honores exambitus, Burdegalensis, tùm Arelatensis, postea Lugdunensis Archiepiscopus creatus, Carolo VIII. & Ludovicus XII. ob incompartibilia talenta charissimusGubernatorParisiorum illustrissimus renunciatus, urbem &Regnum immortaliter demeruit, neque Ecclesijs minus quàm Regibus utilissimè consuluit. Ab Innocentio denique octavo eminentissimo purpuratorum Patrum Sacræ Rom. Ecclesiæ Cardinalium adscriptus, Senatui, & præsbyter Cardinalis SS. Silvestri & Martini Tituli Equitij in Montibus ordinatus, illam quoque dignitatem sanctiore vitæ exemplo mirificè exornavit, magnumque, & æternum Ordini decus conciliavit, cujus alia inter illustre illud, & dignum æternitate Religionis exemplum celebratur: cum Carolum supra dictum Regem eo nomine octavum sui longè amantissimum ad bellum Neapolitanum comitari cogeretur occurrentibus Venetorum, & Ludovici Sforziæ copijs, Sacerdotibus alijs, & inprimis Guilielmo Buschieto Sacræ Rom. Ecclesiæ Cardinale arma protinus capientibus, & omni militari apparatu ferreo sese communientibus, ipse solus tale damnans, ac detestatus consilium, arma Sacerdoti & Cardinali magis convenientia accepit: etenim tyara tantum capiti imposita, solaque Sacerdotali chlamy-

Andreas ab Espinay S. R. E. Cardinalis.

Regum Amor.

Insignis armatura pijssimi Præsulis.

chlamyde indutus, Crucis Dominicæ signum, dextra intrepidus assumpsit; quò confisus scuto simul, & gladio à Caroli Regis latere nunquam discedens, armatorum omnium tela, & spicula [illegible] eluſit, & dubio procul, uti plus animi Carolo addidit, sic & cæteris, qui armati pro Rege stabant, & pugnabant, plus præstitit; certè Sacerdotalem dignitatem, etiam hosti verendam & reverendam, pulcherrimo exemplo commendavit. Decessit religiosissimè hoc ut diximus, anno, die decima Novembris Parisijs, ibidem magno Regis, & bonorum omnium luctu apud Patres nostros Cœlestinos insigni pompa tumulatus. Fratres habuit Robertum Nannetensem, & Joannem Mirapicensem primùm, postea Valentinensem episcopos; Patruum vero Jacobum Redonensium Pontificem, de quibus consulendi Claudius Robertus, Joan. Chenu, alijque Galliarum scriptores.

plus armati præstat.

Mors ejusdem, & fratres.

Nec minore felicitate quàm Gallia & Hispania, etiam Italia virorum illustrium hoc ipso tempore & anno ferax, alios inter sanctitate non minus quàm eruditione singulari ostentat Beatæ memoriæ Bernardinum Gadolum Monachum, & Abbatem felicissimi illius Sanctorum Promptuarij, Archisterij Camaldulensis; qui, ne suis solum prodesset, sed omnibus, & maximè Religiosis consuleret, multa egregij ingenij, & summæ Virtutis monimenta Ecclesiæ & omni posteritati reliquit.

Bernardinus Gadolus.

Ejusdem ingenij monumenta.

IN OMNES SACRÆ SCRIPTURÆ Libros doctissima Commentaria.

De fugiendo sæculo & Religione complectenda. Librum I.

Contra Superbiam & ambitionem Librum unum.

Sermonum variorum ad Religiosos Librum unum.

Epistolarum variarum Spiritu Benedictino plenissimarum Lib. I.

Opera S. Hieronymi ab ipso in Ordinem redacta.

Sed neque Germaniæ nostræ Benedictini fervor spiritus, adeò defuit, ut præcipitante in omnem licentiam orbe christiano, plurimi summis conatibus id non agerent, ut quoscunque possent à præcipitio vendicarent; & disciplinam, ipsa mortalium omnium naturâ, remittentem, & fatiscentem, revocarent, & restaurarent, imo restituerent, uti magna, & sua, & Cænobij, & vetustissimæ juxta atque Illustrissimæ familiæ suæ gloria, hoc ipso anno facit Hermannus à Boyneburg Jmperialis, & longè splendidissimi, ac verè Augusti Archisterij Corbeiensis Abbas, qui, quâ erat generosissima sanguinis Boyneburgij præstantia, multoque majore Benedictini imò Divini Spiritus concitatione, animadvertens idem Religiosos quoque homines, quod profanos, imò quod ferrum, & chalybem, quod marmora, & quævis mundi durabiliora, pati, ipso usu atteri, nisi maxima illorum, quorum industriæ interest, & serventur cura, & restituantur, intepescentem quoque sui Archisterij penitius animadvertens disciplinam, Conventus Nobilissimi, ipsa Nobilitatis decepti Nomenclaturâ, in delicatiorem à communi, Religiosorum etiam, forte, qui Nobilitatis nihil, quàm Benedicti Patris idem jus prætenderent, & Professionis societatem, melius haberi, & licentiosius, quàm ex agresti nati casa desideraverant, & vero etiam contenderant, Generositatem in Spiritu potius, quàm sanguine & carne consistere suis suomet exemplo comprobans, non absque labore magno & sudore, nullum non contra moventè lapidem infero, ipse obstinatissimo adversum hunc, & contradicentes quoscunque animo REFORMATIONEM solidiorem induxit, fovit, promovit, ut in tanti viri gratiam huc usque Numen Opt. Max. Boyneburgiæ, & Bemelbesgiæ Illustrissimi Sacri Rom. Jmperij Baronum familiæ benedixisse videretur. Certè exemplum tanti Germaniæ Archisterij, & Hermanni, toti per Germaniam Ordini plurimum profuit, nec vicina solum, sed plurima alia, ad Revocationem & restaurationem Veteris disciplinæ insigniter excitavit & animavit, ut Hermanno Boyneburgio Corona Muralis debeatur. Nec unius hæc loci in Germaniæ, cæteroquin præ alijs frigidæ, regionibus felicitas fuit, hinc enim & inde Benedictini fervor spiritus sese utili-

Etiam Germania nostra floret.

Hermannus de Boyneburg Abbas Corbeiensis,

Generositas spiritus supra omnem generis Nobilitatem.

Hermannus Monasterium reformat,

utiliter prodidit, & bono publico Ordo verè Benedictus semper,& cœlo & terris dedit, quorum profectu,& superi sibi gratularentur, & usu ac fructu mortales juvarentur, ex illis

Gerardus de Halyn Abbas S. Jacobi Leodij.

præsenti anno Gerardus de Halyn S. Jacobi Leodiensis Abbas, Vir DEO, & hominibus acceptus post vitam sanctissimè exactam, miseræ huic mortalitati valedixit, cum annis septendecim suo exemplo facem lucidissimam Ordini, & orbi prætulisset, omni eruditione non minus quàm Virtutibus cultissimus, perenne sui Cœnobij decus, inconsolabili omnium luctu 18. Augusti omnium amoribus præreptus, quem Joannes Comes ab Horne Princeps, & Episcopus Leodiensis tantopere luxit, ut multis diebus contabescere videretur, & vix quemquam admittere, & audire sustinert, *ex monim. ejusdem Cœnobij.*

Moritur summo omnium luctu.

Nec minore fama,& gloria effulget hoc ipso anno, & cum bono Monasterij consulit, tùm publico venerandæ memoriæ Antistes Conradus de Rodenberg Monachus, & Prior Sanctæ *MARIÆ* ad Martyres Trevirensis, postea Abbas sancti Joannis Baptistæ, Rinkaugiensis insignis disciplinæ Monasticæ Restitutor, & Zelator, Cultor Deiparæ singularis, qui & præstantis ingenij pulcherrima monimenta à morte sua posteris profutura reliquit.

Conradus de Rodenberg Abbas Rinckaugiensis.

Jn Laudem Cœlitum Jmperatricis Librum unum sumpta de singulis ejusdem membris materia.

Vineam Domini Sabbaoth. . . Librum I.
Exercitium Novitiorum. . . Librum I.
De Præparatione ante Missam. Librum I.
Orationum variarum. . . . Librum I.

Ejus Libri Mss.

Vulgatur hoc ipso anno typis in Archisterio Beatissimæ Matris Virginis Catalaunensi Montis Serrati, *EXERCITATORIUM VITÆ SPIRITUALIS*, Authore Viro illuminatissimo Beatæ memoriæ Garsia de Cisneros Abbate ejusdem sanctissimi loci, sive potius compendium magni operis ab eodem concinnati, & Studio religiosissimo humilitatis, absque nomine aliquoties descripti, atque aliquot Bibliothecis crediti, de quo viri eruditissimi,& Religiosissimi diversorum Ordinum, quotquot majorem illum videre contigit constanter asseverarunt, nullum ipsi usquam similem reperiendum, in quo fundamentaliter,ad amussim res solidè spiritales, & praxis earumdem atque usus tractetur, imò arcam esse, thesaurorum sacrorum, & reconditissimarum viris sacris devotionum & meditationum, fontémque inexhaustum lympidissimas Divini Spiritus aquas Contemplationis perennibus riuulis diffluentè, & exundantem. Ex quo, communicantibus ejus locis Monachis, quos ex nomine deinceps appellabimus, S. Jgnatius celeberrimæ Societ. JESU Patriarcha, omnem suorum sacrorum conatuum, & Exercitiorum succum depromserit, imò principia hauserit sanctioris vitæ, & animum suæ Societatis,& instituendæ,& stabiliundæ. Ex vita Garsiæ ejusdem.

Exercitatorium Vitæ Spirit.

Ven. Garsias de Cisneros.

Ejus opera nsitur felicissimè S. Ignatius.

Sed ante omnia memorandus felicissimus novi Ordinis sive Congregationis sub Ordine nostro, gloriosissimo sanè, & Cœlitum Augustæ longe gratissimo Titulo *Jmmaculatæ Conceptionis*, succesSus, confluentibus ad hoc novum institutum, seq; Deiparæ emancupantibus nobilissimis in Hispania Virginibus. Jnstitutrix meritissima fuit, re ipsa non minus Beatâ quàm nomine Beatrix â Sylva, Generis nobilitate,& virtutum splendore celeberrima. Hæc illiustrissimo nata, genere Beatum Amadeum, & Jacobum de Sylva, primum Portalegræ Comitem fratres Germanos habuit;formæ autem elegantia ad miraculum excelluit, adeò, ut cum Jsabellam Joanni II. Castiliæ Regi nupturam, inter Palatinas lectiores sequeretur in amorem insanum tantopere Castellanos solo contuitu accenderet, ut non semel cædibus, & insignibus duellis de ea fuerit certatum, quam tamen ipsa pulchritudinem, â quo acceperat Regum Regi, Virginum sponso, nec alij, post multos contra castitatis insultus,labores consecrandam existimavit & consecravit, & quidem sub auspicijs Virginis Matris, quæ sese illi candido, & cæruleo circumamicta vestitu videndam exhibuit. Jnde quamprimum in Monasterio Virginum Toletano, quod â S. Dominico nostro de Silos nomen habet, sanctissimæ Regulæ

Ordo Conceptionis Jmmaculatæ.

B. Beatrix de Sylva.

Pulchritudo Virginis.

nostræ

nostræ Legibus se subdidit, adeo Virgineæ Castitatis custos sedula vigilansque, ut obvelatum plurimis annis vultum ejus nemo unquam conspiceret, præter Reginam ejusque filiam, quæ semel insignem hanc gratiam ab humillima & verecundissima Virgine extorserunt. Meruit præclarissimè de amantissimâ suâ, totiusque Ordinis Matre & Tutelari Virginum Virgine, cujus honorem per Hispanias, summa cum Regnorum illorum gratulatione, sub Titulo Præfato institutæ Congregationis *Immaculatæ Conceptionis* mirificè promovit, DEIparam & Virginis Filium, quin & cultores in terris Cœlitum Augustæ omnes cœlumque ipsum immortaliter demeruit. Habuit admirandas, super Ordinis sui erectione & propagatione visiones Beatrix, & varijs à DEO miraculis illustrata est, tandemque præmonente Deipara de mortis suæ horâ edocta, plena grandium meritorum mortalitatem hanc exuit, induit immortalitatem, ad amplexus æterni Regis assumpta. In cujus defunctæ dignissima fronte Stella aurea insoliti fulgoris insedit. Inter miracula rarius illud: cum navis quæ Româ Diploma Confirmationis sui Ordinis afferre debuerat, mari demersa esset; illud nihilominus *DEI* ancilla post orationem intra scrinium suum alijs admixtum chartis prodigiosè repererit. *Vid. Joan. Marietta, Vasconcellius in Anacephaleosi Reg. Lusit. Zamalloe Garivan. Comp. Hist. &c.*

Tolla Regiæ Gratia.

Meritum Beatricis incomparabile.

A Deipara de morte edocetur.

Miraculum insigne.

Floret mirificè in Italia sacra nostra Reformatio Beatæ Matris Virginis de Monte Oliveto, è quorum illustrioribus celebratur hoc anno P. F. Jacobus de Trajecto, ex Jurisperito eruditissimo humilis Monachus, qui hoc ipso anno edidit Librum de Modo visitandi & corrigendi subditos. Idem scripsit Commentarium super Regulam S. P. N. Benedicti, pluraque alia reliquit & ingenij & pietatis monimenta. *Ex rer. Olivet. script.*

P. F. Jacobus de Trajecto.

Floret in eâdemmet Olivetana familia Venerabilis Pater Hieronymus à Mantua, Js cum Puerulus etiamnum mitteretur ad scholas sanctissimum Patrem nostrum Benedictum imitatus, pietatis Studium præelegit, & ubicunque poterat à ludicris se subducens templa frequentavit. Cumque aliquando summo mane basilicam Dominicanarum Virginum ingressus, illic raptam in extasim Beatam Annam Andreasiam intueretur, adeo concepto repente Divini Amoris igne succensus est, ut illico de sæculo deserendo se resolveret, nilque deinceps, quam de elevanda in DEUM mente cogitaret, idque quo felicius succederet, nihil non tentaret, ut in sanctæ illius Virginis notitiam & familiaritatem deveniret. Nec displicuit Superioribus, sanctum utriusque studium, ita ut familiari litterarum commercio, mutuo mirificè animarent atque excitarent. Fruitus sæpius etiam est ejusdem præsentiâ & alloquio, arcanorum ejusdem cœlestium unicè conscius, donec ea Senas mitteretur. Cúmque illius ipse absentiam inconsolabiliter deflere, ab Angelo consolari meruit, & brevi redituram intellexit. Fuit & ipse Uberibus Divinæ consolationis assuetus, & lucrari DEO homines doctissimus, Novitiorum Magister lectissimus, Principum Mantuanorum singulare solatium, venerabilis universis. Scripsit vitam Beatæ Andreasiæ, multo verò perfectius in seipso expressit. Vita excessit annis & meritis gravis, sepultus ante aram maximam suæ Ecclesiæ; cujus sacrum corpus nostra ætate, incertum, qua occasione, reserato sepulchro repertum est incorruptum. *Ex communicatione Patrum ejusdem sacræ familiæ.*

Hieronymus à Mantua.

Mira Vocatio.

Familiaris S. Andreasiæ.

Magister felix Novitiorum.

Incorruptio post mortem.

JESU CHRISTI ANNUS M. D. I.
Sanctissimi Patris Benedicti MXX. I.

Uti initium anni, Calendas olim Januarias, Verbum illud Jnfans, DEus homo sui sacri SANGUINIS purpurâ expians consecravit, sic initium sæculi hujus, uti sæcula priora omnia, uti annos à condito primùm Ordine ferè omnes, Ascetæ nostri Benedictini, gloriosissimâ pro Christo effusi Sanguinis purpura, & longè Augustissimis pretiosissimi Martyrij coronis & victricibus palmis coronant atque exornant, ijdem de quibus supra Novi Orbis primi Patriarchæ discipuli & Collegæ, hoc ipso anno uti Proto-Apostoli, sic & Proto-Martyres Novi Orbis effecti. Et merito:

Initium sæculi Martyrum nostrorum consecratur Sanguine.

rito: ut quorum Professionis Socij, nullam non Europæ, Asiæ, Africæ, orientis atque occidentis provinciam adierint, Christo verbo & exemplo vitæ lucrati sint, incolas sacri Baptysmatis undis lustraverint, proprio sanguine provincias illas omnes infuderint & impinguaverint, merita ubivis meritis cumulaverint, Americæ quoque seipsos impenderent, & primitiæ Victimarum, in Holocaustum DEO longè acceptissimum gloriosissime, ut generosissimè, caderent. *Victimæ Numinis generosissimæ.* Sic, ut qualiter prius sæculum, & ultimum sæculi annum Sanguine velut cerussâ nobilissimâ insignivimus & clausimus, taliter istud inchoemus; & quidem aliorum ejusdem Patriarchæ Bueilli Sociorum, qui clade suorum & supplicijs minimè territi, imo animati, fortiores insurrexerunt, habentes inter digniſsima optatissimum mori pro Christo, ejusque pretiosissimo Sanguini, suum sociare. Cæterùm, ut nullum non sæculum fuit, quod non novis fervoribus Divini Spiritus efferbuerit, scintillas primùm, mox flammas, juxta cœlestem splendorem, cœlestisque fragrantiam odoris longè latéque effuderit, Ecclesiam recrearit, orbem attonitum reddiderit, ita præsens istud, non uno, sed plurimis, ut suo dicetur loco, & quidem diversissimis in Regnis, toroque cœlo disitis provincijs, talia digna cœli contuitu spectacula edidit, ignésque festivos dedit. *Omne sæculum nostrum fulgoribus resplenduit.* Hoc verò ipso anno in Regnis Hispaniarum sanctissima illa Montserratensis magnæ Matris, Virginis Benedictæ, Benedictique Patris. Solidáque Ordinis per Hispanias Reformatio, tanquam vehementissimum, cœlo tamen plausibilissimum, terris utilissimum incendium invaluit, & nobilissimas illas provincias mirè illustravit. *Reformatio Montserratensis.* Nec Religiosos solùm ipsos, sed sæculares etiam homines, magnates æque ac plebeios mirifice accendit, magnâ illâ & Admirabili Matre Virgine Benedictini Ordinis, præ Benedicto suo Institutrice, id vel maximè efficiente, cum tanquam Augustissima sui MONTIS SERRATI Tutelaris, Domina & Materfamilias, insolentissimis Gratijs & miraculis, loco primùm illi, gratiam, nomen, famam, & reverentiam, apud Regni primùm incolas, mox exteros longéque remotissimos conciliaret, eoque ipso Religiosorum illic degentium animos in sacrum stuporem, mox sui mirificum amorem raperet; ita ut Exercitatorio Cisnerij deinceps, tanquam à radijs solis inexplicabilis, vi fructificandi, imo saluberrime accendendi additâ, Montserratenses Religiosi, paulo post in admiratione omnium summaque veneratione essent, & ab his paulo post ardor in præcipua Hispaniarum Monasteria diffusus, Reges ipsos oculis animisque in tantos Marianæ Gratiæ effectus raperet, admirabili paulo post fructu Hispanias universas lætificante, & revera beatificante. Et revera Benedictæ huic Matri, & Benedicto Patri nostro, plurimum Hispania tunc debuit, toto jam orbe in diversas Hæreses præcipiti, ut unicum ferè illud Regnum sibi constaret, cum in salutare illud felicissimi Vesuvij Montserratensis incendium & incendiorum miraculum, intenti defixissimis oculis Hispani, Debellatrici Hæresum omnium Virgini, & hujus Honoris assertoribus, cultus promotoribus Ascetis Montserratensibus fideliter adhærerent, ad Montem salutis certatim confluerent, nec tam miracula quotidie & beneficia in exteros collata, quam in domesticis magnæ Matris Ascetis, exempla sacrorum ejus loci indigetum suspicerent ac venerarentur, colonias inde deducerent, & refrigescente per universum charitate, deficiente oleo atque lumine, ipsi abundarent, arderent, lucerent, & tot monstris Hæresum, ex inferis subito emergentium insuperabiles non solum, sed intolerabiles redderentur. Porro excitus ad splendorem tantum præ alijs beatæ memoriæ Garsias de Cisneros sacratissimi Montis Antistes, ut aliàs erat Matri Virgini addictissimus, velut alter Moyses, ex consortio sermonis DEI, & rubi ardentis inextincti accensissimus, supra quam aliàs, & contemplationis studio & ferventiore DEIparæ obsequio tantopere incaluit, ut sanctitatis radijs atque fulgoribus longè latéque innotesceret, etsi nil magis quam latere studeret.

Mater Admirabilis nostri Institutrix Ordinis.

Ita & Congregationis Montserratensis.

Mons-Serratus, & miraculis, & viris sanctis illustrissimus.

Garsias Abbas alter Moyses.

Vir

Vir per omnia magnus, non solùm maximis sui sæculi sed præteritorum omnium comparandus syderibus, per quem in amplissimis illis Hispaniarum Regnis, agente per ipsum benedicta Misericordiæ Matre Benedictinus Ordo, non tam novo vigore, quàm primævo virore refloruerit, sed, & innumeros quasi, deinceps, viros, fœminásque egregia vitæ perfectione & sanctitate conspicuos, imo plurimos, ut videbimus miraculorum etiam gloria illustres Orbi & Ecclesiæ dederit.

Reformator meritissimus.

Certare cum pijs Montserratensium conatibus, visa Deipara, majoribus quotidie beneficijs non ipsos solùm, sed Hispanias universas obstrinxit, cum incredibili quotidie hominum occursu mons ille sanctissimus frequentaretur, expiatisque nostrorum opera & instructione peccatoribus, etiam sceleratissimis ad pœnitentiam flexis, alij ceu novi homines regrederentur ad suos, alij & penè innumeri, ægri afflictique, integri & lætabundi inde reverterentur.

Deipara beneficia.

Quæ paulo post sparsa in universum fama, non Europam solum, sed Asiam atque Africam excitavit, ipsos etiam alienigenas & à fide Christi alienissimos, eò impulit, & coram, stupore implevit, ut nemo Montis illius fortunam & gloriam, Virtutes & gratias Matris Virginis, nemo Monachorum merita ignorare videretur. Fuitque, uti hodie est, æternum illud ac quotidianum miraculum, in tanto tot millium quotidie peregrinorum concursu, in tanta Monachorum ejusdem loci Hospitalitatis exhibitione, qua pro cujusque statu & dignitate satisfit omnibus, hospita tecta rogantibus & acceptantibus, nec Ascetis loci, unquam quod largirentur defuisse, nec hospites nisi contentos & super his quæ viderant & experti erant admirabundos, & attonitos discessisse.

Fama gratiarum in Monte Serrato collatarum.

Miraculum quotidianum.

In Galliarum Regno sanctorum etiam novissimis sæculis ad hanc usque diem longè feracissimo, clarent diversissima ejusdem sydera, & contemptu maximè Mundi illecebrarum Amazones, etiam Regij generis hoc ipso etiam anno plurimæ. è quibus, ut alias plurimas taceamus, simul semelq; emicuere, quatuor germanæ ejusdé propositi sorores, Eleonora Borbonia Caroli Ducis Vindocinensis, & Franciscæ Duciss de Alenzon filia Fontis Everardi sive Ebrardi Abbatissa lectissima & Margarita S. Crucis Pictavensis, Catharina B. Mariæ Suvessionensis & Renata Calensis Monasteriorum sereniss Antistitæ, ut ex his solis splendorem & vigorem Ordinis in Gallijs meriaris, uti deinceps admiranda dabimus.

Galliarum Regnum sanctorum feracissimum.

Illustrissimorum Principum exempla.

In Germania, Bursfeldensis Benedictinæ familiæ Congregatio celeberrima animadvertens pastorum ocitantiâ, sacrorum omnium curam poni in ultimis, & rudem passim plebeculam cleri odio contemptúque, & ab inscitia ortis, & exemplis pessimis solertissimo studio suis cavet, & tota passim Germania longè latéque dispersa Cœnobia saluberrimis constitutionibus cùm ad litterarum, tùm ad virtutum studia concitat, ita ut perditissimo etiam tempore, studia plurimis locis florere inciperent, & quo plures in præceps laberentur, eo etiam plures è suis in altiora consurgerent, & ex lapsu aliorum cautiores redditi, quantis poterant artibus & viribus, non religiosos tantùm suos, sed Monasteriorum subditos, ad semitas Justitiæ revocarent. Clarent multi ex Abbatibus sanctitatis opinione, speculum, & exemplar non Monachorum solùm modo facti, sed etiam sæcularium è quibus Simon de Petra Joannis de Diedesheim viri sancti in Abbatia Lacensi sanctus successor, postulatus ex Monasterio Hornbach Metensis Diœceseos & eruditione & vitæ exemplo plurimos retinuit, & periclitantem nonnullis locis Disciplinam Monasticam strenuè reformavit, singulare Religiosissimi Præsulis exemplar.

Bursfeldensis Congregatio.

Abbates plures in opinione sanctitatis.

In Italia hoc ipso anno & tempore Camaldulensis Celeberrimæ sub Regula Sanctissimi Patris nostri Benedicti Congregationis ingens gloria, & renatus à sæculo in sæculum vernans vigor ac viror, cui in hunc usque diem virorum sanctissimorum nunquam defuit copia. E quibus hoc anno Beatus Eusebius, vir excelso animo, sed juxta humillimo ad supera illa

Camaldulensium fama & sanctitas.

illa gaudia evocatus, felicem Cælitum auxit numerum, cœlósque implevit gratulatione.

Beatus Eusebius Hispanus.

Hic natione Hispanus, virtute non minùs, quam genere Nobilis, magnis animi corporisque talentis præditus, & ob hæc Regibus catholicis charus, cum Anno Christi 1497 Regum eorumdem Oratorem apud sereniſſimam Rempubl. Venetam ageret, & sæpius ad lectiſſimum, hodieque [ut coram mirati sumus] florentiſſimum sanctitate Cænobium S. Michaelis Camaldulensium nostrorum inviseret, sacrosancto aliquando Missæ ibidem Sacrificio, cœlesti quadam vocatione invitatus, quamprimum accommodans animum, hospitium illic rogat, & super proposito suo Regem informat; qui tantum sibi virum abesse graviter ferens, submisso statim in ejus locum Oratore alio, Eusebium revocat, eoque sibi singulariter opus esse multis edocens rationibus & argumentis, nihil tamen efficit ipso constantissimè in suo sancto persistente proposito, quem frustra deinceps reducem sereniſſimus Reipubl. Dux & Princeps proceresque cùm Veneti, tum Hispani avertere conati sunt. Cucullum proin summa devotione complexus, & expleto sacri Tyrocinij probationis anno, Monasticen professus, mox Venetias & Hispanias splendoribus miræ sanctitatis percelluit, & Magister creatus Novitiorum, charitate, patientia & pia sollicitudine, non minus se ipsis Novitijs, quam illi, etsi tam sancto instituti Magistro, probavit, & exemplo omnibus atque incitamento fuit, ut vel maxime tunc pulcherrimum & feliciſſimum Cænobium, juventute renovatum Aquilæ, in pullis tam probatæ generositatis, Venetias adorarent. Animi demissione maximus, nihil tantopere, quàm viliora exambijt, & in culina servire inter oportiora habuit. Sæpius ex obedientia occurrere ad proceres jussus, in ictu oculi paruit, & ut erat sordido procinctus linteo se se admirantibus stitit. Fuit rigidus sui corporis castigator, quod multa inedia, usu cilicij, alijsque afflictionibus carnis strenuè edomuit. Fractus denique laboribus, stomachi graviter debilitati laborans morbo, accedente febri, sexdecim totos ante obitum dies, nihil prorsus cibi seu potus admittens in DEI jugiter laudibus permansit, perceptisque demum sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis, præ gaudio in dulces effusus lachrymas præque dulcedine societatis Angelorum exultans, erectis in cœlum manibus moritur 4. Idus Februarij hoc anno, cùm paulo ante mortem ipsius, tota spectante & admirante Venetiarum Vrbe, flamma lucidiſſima è cœlis super Cænobium in quo decumbebat descendere videretur. Claruit à morte illustriſſima miraculorum gloria, & in eodem suo sepultus Cænobio ab Aldo Manutio sequenti elogio est honoratus.

Conversio ejusdem.

Constans in suo proposito.

Magister Novitiorum insignis.

Viri egregia sanctitas.

Mors ejusdem felicissima.

Miraculorum gloriâ celebr.

Lector, parumper siste; rem miram leges.
Hic Eusebij Hispani Monachi corpus situm est.
Vir undecunque qui fuit doctissimus,
Nostræque vitæ exemplar admirabile.
Morbo laborans, sexdecim totos dies
Edens, bibens nihil prorsus, & usque suos monens,
DEUM adijt. Hoc scires volebam: abi & vale.

Epitaphium B. Eusebij Hispani.

Vixit vir sanctus, annos unum & quinquaginta, cujus vitam Stylo facundo scripsit Augustinus Florentinus.

IESU CHRISTI ANNUS M.D.II. Sanctissimi P. N. Benedicti MXXII.

NEquid Hispaniæ, nequid Italiæ cedere videretur fertiliſſimum, tot sanctiſſimorum per Ecclesiam universam Institutorum & Ordinum, atque innumerabilium utriusque sexus sanctorum Genitrix Galliarum Regnum, ipsum quoque Benedictini inextincti fervoris flammas in sublime exsuscitat. Gratioſiſſimo quamprimum splendore, latè omnibus colluscescentibus.

Novus in Gallia splendor.

Institutæ primum hoc anno à Guilielmo Alabatio Abbate S. Petri Casalis Benedicti, Diœceseos Bituricensis, insigni per Gallias Ordinis nostri Reformatione, quæ ante pauculos annos optimis cœpta initijs, aspirante cœptis Numine, nunc latius propagata, paulo post feliciſſimis crevit successibus, adeo ut deinceps, magna sedis Apostolicæ gratulatione

Casalis Benedicti Congregatio.

ne à Leone X. nec minus minore applausu Francisci I. Galliarum Regis solemnissimè & probaretur, & plurimum commendaretur, dicta deinceps CONGREGATIO CASALINA. Admirabili Divini Numinis providentiâ & dispositione, ut cum orbem quotidie in deteriora raperet Cacodæmon, è contra DEUS varia passim luminaria discutiendis tenebris susciteret, & suavissimo modo quoscunque bonæ voluntatis ad se raperet, & à præcipitio scelerum præservaret. Confluxus ad eandem magnus. Fuit ad Congregationem hanc magnus quamprimum confluxus, vocantémque DEUM, viri opibus & gloriâ florentes, eosque inter eruditione celeberrimi, non sine summa multorum admiratione consequuti, divitias antea summo quæsitas studio & labore, paupertate voluntariâ, delicias mundique illecebras rigore Monachico, litterarum profanarum, & scientiæ inflantis studium, simplicitate sanctâ, & sui contemptu religiosissimo permutarunt: quos inter Guido Juvenalis, Joannes & Carolus Fernandi, singulari eruditione clarissimi, & litterarum celebres in Archi-Universitate Parisiensi Professores, ad Casale illud, Regum Palatijs illustrius, mirâ Instituti illius rapti honestate & sanctitate, certatim convolarunt. Guido Juvenalis. Viri aliquot illustres. Ex his mirandus præ alijs Carolus Fernandus, modo dictus, imò pro miraculo passim habitus, qui cum à prima ferè ætate oculis captus, atque ob idipsum elementorum omnino ignarus esset, eâ tamen excelluit ingenij sagacitate, ut alter sui sæculi Homerus haberetur, in omni præterea scientiarum genere versatissimus, adeo, ut ultro Parisios, ad universitatis cathedras, & ad publicè profitendum expeteretur, & evocaretur. Caroli Fernandi eruditio. Is autem contempto eo, quod miraculum passim audiret, & oraculi vice haberetur, Monasterium prædictum ingressus cucullum famâ omni sanctius & potius habuit; atque Apostolicâ dispensatione ordinatus Diaconus, nomen suum perinsignibus ingenij monimentis, conspicuum orbi & æternitati fecit. Reliquit autem:

Commentariorum Diversorum Librum I.
Laudum Ordinis Patrum Carmelitanorũ Lib. I.
De Conceptione Beatissimæ Matris Virg. Lib. I.
Odarum in Laudem Christi Servatoris. Lib. I.
Orationem insignem in Laudem ejusdem.
Carmen Jambicum de Beatissima Virg. Lib. I.
Orationem celebrem de Laudibus Deiparæ.
Orationem de Laudibus S. Catharinæ Virg. Mart.
Carminum diversi generis plurimorum. Librum unum.
Elegiarum de contemptu mundi. Lib. I.
Epistolarum ad diversos. . . . . Lib. I.
Specalum Disciplinæ Monasticæ. Lib. I.
Epistolam Paranesticam observationis Regulæ Benedictinæ. . . . . Lib. I.

Ejusdem ingenij plurimonimenta.

De eo agit *Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica: fuit enim Brugensis patria; nec non Antonius Sanderus de Scriptoribus Flandriæ. Chopinus lib. 2. de Dominio Franciæ, & lib. 1. Monast. tit. 2. Arnoldus Duacenus & alij.*

Efferbuit hoc ipso tempore in eodem amplissimo Galliarum Regno [ut promptissimam in vota Magni Benedicti, suique conservationem Ordinis, DEI manum agnoscas] & mirificè exarsit, plurima longè latéque Cænobia calentissimo vitæ Monachicæ exemplo exsuscitans Congregatio nostra Sagiensis, de qua memoratus nunc primum Carolus Fernandus in Libro suo Parænetico de observatione Regulæ Benedictinæ, ad cujus Reformationis Monachos opus idem scripsit; quæ quidem, ut ex eisdem apparet scriptis, magnæ omnino fuisse observantiæ & abstinentiæ, comprobatur. Congregatio nostra Sagiensis. Ut mirum planè sit, invalescentibus per orbem Hæresibus & sceleribus, ipso quoque Atheismo, vetustissimum tamen Ordinem, nunquam non novos, ut deinceps videbimus, surculos germinasse, & Aquilæ juventute sæculis singulis, imò singulis, si non annis, annorum certè Decadibus & singulis Olympiadibus renovatum. *Carolus Fernand. Arn. Duac. &c.* Juventute Aquilæ renovatur Ordo.

Italia item, novi non ita pridem concepti fervoris retinens, celeberrima inprimis sanctæ Justinæ Paduanæ Congregatio, & Reformatio, viros cùm eruditione, tùm rarâ vitæ perfectione illustres plurimos, summo cum bono atque ornamento Ecclesiæ S. Justinæ de Padua Congregatio.

cleſiæ educat. Quorum aliqui, ignorantiſſimo ſanè ſæculo, & ob hoc ipſum tot erroribus obnoxio, meritis etiam de re litteraria gravibus excelluêre. E quibus hoc ipſo anno, Lucas Bernardus Brixienſis ſe prodidit, cui alia inter debet ſera poſteritas Beati Joannis Chryſoſtomi Homilias octuaginta è Græco in Latinum converſas, quæ Baſileæ Rauracorum tomis duobus excuſæ ſunt.

Theophilus Martini Epiſcopus Drivaſti.

E congregatione ſimiliter noſtra Camaldulenſi, eminet juxta alios, Theophilus Martini, vir præſtantiſſimus, Balnenſis primum Monachus, dehinc Abbas, ob vitæ autem doctrinæque merita Cœnobio extractus, & Drivaſtenſis in Candiæ Regno Epiſcopus ordinatus, quem ipſe honorem ita geſſit, ut honoratiorem redderet, novo exemplo docens, quantum Cathedris etiam eminentiſſimis Monachi veteres ſecum contuliſſent.

S. Severini in Urbe Neapolitana Reformatio.

Rurſum aliud Regnum, novis luminibus colluceſcit, calore incaleſcit, Neapolitanum ſcilicet, & ipſa Metropolis, ac ſedes Regum Neapolitana urbs, Reformatione Ordinis novâ, fervore Religioſorum novo, ſuccenſo primum Divini Spiritus igne præ alijs Cœnobijs, ſancti Severini ſpectatiſſimo ibidem Archiſterio, cujus conatus, uti cœlum excitavit & juvit, ſic ipſe Archidux & Patriarcha Monachorum Benedictus, prodigioſo applauſu approbavit, & commendavit. Sicut deinceps audiemus.

Ottho ab Eltern Abbas S. Maximini Trevir.

Germania, etſi poſtrema plerúmque, tanquam natura tardior, ſobrietatis tamen & frugalitatis exemplis non omnino carens, produxit hoc ipſo tempore, qui reformationis, toto ſtudio ſatagerent, quos inter Ottho ab Elten ſive Eltern Archiſterij Trevirenſis S. Maximini Archimandrita, Reformator ſtrenuus, perfectionis ſtudio cultiſſimus, hoc ipſo anno beatiſſimo fine, ultimâ Aprilis decedens, ſucceſſorem pari Zelo reliquit Thomam ab Hueſden Brabantinum, uterque non ſuo ſolum Cœnobio, ſed multis alijs vitæ exemplo plurimum profuêre.

Chriſtianus Abb. Altaich.

Nec minori laude & magnis conatibus celebrem Chriſtianum Abbatem in ſuperiore Altaich Bavariæ hoc anno mortuum Cæſari Maximiliano & Alberto Bavariæ Duci chariſſimum mortalibus ereptum conſequutus pari Religione & Reformationis Studio Georgius, & Monaſterium ſuum, & vicina immortaliter demeruit. Chriſtiano pro meritis, Filij ſacri ſequens Epitaphium poſuêre.

Epitaphium ejuſdem.

Sexto Kal. Julij anno Chriſti 1502. Obijt venerabilis Pater ac Dominus Chriſtianus Abbas noſtræ Congregationis, Vitæ Regularis Zelator, Virtutum Cultor, Vitiorum Ultor, Fratrum amator, Monaſterij Reformator, partímque Reſtaurator.

Ipſo anno 1502. in Regno Poloniæ, Monaſterio ſanctæ Crucis Montis Calvi, Benedictini Ordinis, ſupra quinquaginta Monachi, Tartaris Cœnobium invadentibus, in Eccleſia collecti, dum SALVE REGINA, toto animi Voto depromunt, â barbaris crudeliter mactati, cœptam Salutationem coram Regina Martyrum in Cœlis feliciter abſolvunt. *Ex monim. ejuſdem Cœnobij.*

Virgilius Abb. S. Petri Salisburg.

Obijt eodem ipſo Virgilius eo nomine II. Abbas S. Petri Salisburgenſis, de quo Albertus intaminatiſſimæ Vitæ Succeſſor: *qui non ſolum Verbo ſuis præfuit*, inquit, *ſed ſanctæ Converſationis exemplo*, comprobante ſeſe hoc ipſum in mœſtiſſimis â morte ejuſdem diſcipulis, & ſucceſſorem Anteceſſori non imparem eligentibus, adeo concorditer & unanimiter, ut qui tunc intererat ipſus Electioni Archiepiſcopus Leonardus, â Keutſchach, *nunquam ſe vidiſſe ſive audiviſſe tam ſanctam & concordem Electionem.* ut faciliè, de cætera etiam loci diſciplina omneris.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. III. ſanctiſſimi P. N. Benedicti. M. XXIII.

Status Germaniæ.

NIl proficientibus tantis & viris & virtutum exemplis, Germania nihilominus, cibi potuſque corporalis, nimiâ fame, ſiti, & ingluvie, Gratiarum Numinis & ſacrorum influxuum haud minimo impedimento, languens ipſa ſacietate, etiam lethargo laborare videbatur. Tepebant cum pietate litterarum etiam ſtudia: creſcebat cum avaritia & licentiâ cleri, odium & obſtinatio populi,

puli, Principum crudelitas & ambitio, novarum apud plerósque Studium rerum, Divinarum fastidium; quin & profundiùs diabolica summæ superbiæ, hoc est Hæreseos semina inadvertentibus, quorum maximè intererat, afferre remedium, Serpebant. Ominabatur facilè, ut perspicacissimo erat animo, Magnus ille Trithemius Spanheimensis Abbas, Jllustrissimum sæculi hujus Sydus, ornamentum Germaniæ æternum, utque tantum malum, quod experti sunt Patres nostri, & nos usque & usque experimur, providè averteret, patriæ consuleret, Principes cum sacros tum profanos periculi admoneret, consilia in rem oportuna & necessaria subministraret, omnem lapidem movit, dies noctésque laboravit, cumque apud exteros parum, aut nihil proficeret, illud inprimis conatus est, ut sui Ordinis collegas, Bursfeldensem, maximè amplissimam Congregationem, in officio contineret, novo fervore spiritus accenderet, otium & ingluviem proscriberet, litterarum studia restauraret, quod & plurimis locis effecit, tantúmque potuit, ut tam in inferiore quam superiore Germania, & eruditionis laude, & vitæ meritis plurimi enitescerent, & sarta omnia atque integra conservarent, nisi obstinata jam præcepsque in exitium patria consilium jam omne & medicinam contemptim respuisset. Ipse ante omnes Trithemius, *Vir, si doctrinam spectet*, (Wionio Teste, *sapientissimus; si sanctitatem, incomparabilis, & quodam modo, ut ita dicam, Orbis Miraculum*, ipse, inquam, gliscentibus jam tunc per Germanias Hæresum seminibus, primus omnium, non sine Numinis speciali impulsu occurrit, dormitantes passim pastores excitavit, fideliter prænonuit; egregio sanè Fidei, Vigilantiæ atque industriæ exemplo demonstrans, quid Hæresibus in apertum erumpentibus facturus erat, si superstes foret, quibus, velut præscius futurorum, insigni octo Quæstionum enodatione, sese opposuit, & lucubrationes illas anno sequenti [quo nimirum Caput ipsum Imperij adversum technas & machinationes impiorum, præmuniret] Maximiliano I. Cæsari Augustissimo consecravit. Fuère autem sequentes:

Joannis Trithemij Abbatis conatus.

Vemillertes interverti doctissimi scriptis.

1. *De Fide & intellectu.*
2. *De Fide necessaria ad Salutem.*
3. *De Miraculis Infidelium.*
4. *De Scriptura sacra.*
5. *De Reprobis atque Maleficis.*

Monimenta Abbatis Trithemij.

[Quo quidem libro pestem Germaniæ maximam, prævidit, & extinctam in ortu & semine voluit]

6. *De Potestate Maleficarum.*
7. *De Promissione Divina.*
8. *De Providentia DEI.*

Magna Trithemij providentia.

Neque minus provide idem lectissimus Abbas hoc ipso tempore solerter scripsit.

De quibusdam in Psalterio dubijs. Lib. I.
De certis dubijs & quæstionibus in Evangelio juxta Joannem. . . . Lib. I.
De Prænotionibus licitis Christiano & non licitis. . . . . Lib. 2.
Variarum quæstionum, orationum, & propositionum. . . . . Lib. 20.

Jnexplicabile vero meritum, quo obstrictam Germaniam universam [utinam impia & diabolica hominum pestis & colluviès agnoscèret] voluit, illud fuit, quod improbas mortalium, invalescentibus nimium totis provincijs superstitiones, Magiam, & apertam atque clandestinam cum Jnferis consuetudinem detestandam, & maleficia omnia exscindere pro virili laboravit, ac proin

Trithemius Magicarum superstitionum profligator.

CONTRA MALEFICOS, OMnesque artes ac superstitiones ab Ecclesia prohibitas libros quinque scripsit.

His alios duodecim: *De Dæmonibus & artibus profanis maleficis, & superstitiosis* addidit, inque ijsdem omnium diabolicarum artium vaframenta, egregiè explosit & avertit. Quod dein animadverteret, quantum bonarum artium & litterarum ignorantia mali mundo inferret, totus in eo fuit, ut in ipsis Monasterijs, primis olim apud Germanos litterarum Gymnasijs, Studia revocaret. Unde præter illam, quam solus ipse suomet Marte, arte, ingenio ac manu Bibliothecam integram composuit & scripsit; aliam insignem, conquisitis præstantioribus totâ Europâ libris Manuscriptis, ut alijs Abbatibus exemplo esset & incitamento, sedulò & magnis

Litterarum Studia passim promovit.

nis sumptibus collegit, adeo locupletem, & ab hisce instructam armis, ut eâ præstantiorem tunc temporis Germania non habuerit. Ita ipse ad Joannem Damium, qui sibi â Cubiculis olim fuerat: *In omni facultate scientiarum*, inquit, *volumina multa comportavimus, non solum impressa, sed etiam pergameno scripta complura pretiosa & rara, ut confidenter ausim dicere, IN TOTA GERMANIA SIMILEM NON ESSE BIBLIOTHECAM in qua tot rara & pervetusta inveniantur volumina, in omni varietate Scripturarum tam Divinarum, quam secularium, diversarum quoque linguarum, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Chaldaicæ, Arabicæ, Indianæ, Ruthenicæ, Tartaricæ. Taceo reliquas consulto quæ nostris utuntur characteribus, ut Italicæ, Bohemicæ, Gallicæ & similes &c.*

Bibliotheca Trithemij.

Concus sus ad Trithemium.

Quantus vero ad Trithemium occursus esset, ipse item in Chronico suo Spanheimensi memorat: *Bibliotheca*, inquit, *Spanheimensis hujus Monasterij* [vix quadraginta octo antea volumina, ibi repererat] *hodie in omni terra prædicatur, in tantum, ut multi Principes, Episcopi, Doctores, Magistri, Nobiles, Viri clarissimi, non solum è vicino, sed etiam è Regionibus longinquis, nomine & famâ Ioannis Trithemij Abbatis & voluminum ejus excitati, hunc locum invisérint, quibus antehac nec nomen quidem Cœnobij constabat. Inter quos, ut paucos cæterisque præstantiores commemorem, fuit Joannes Dalburgius Episcopus Wormatiensis, Joannes Capnion Pforzensis, Conradus Celtes Protutius Poeta Laureatus, Franciscus Bononius Reginæ Romanæ Secretarius, omnes viri doctissimi, Græcæ quoq; & Hebraicæ linguæ peritissimi; Henricus Bunaugius Saxoniæ Ducum Secretarius, Ioannes Cuspinianus Poeta Laureatus & Medicus, Jacobus Wimpfelingius Theologus, Aquinus natione Suedus, Mathematicus subtilissimus, Ægidius Delphius Theologus Parisiensis, Jason Italus, Jodocus Gallus Rubiacensis Theologus, Gabriel Biel Theologus famosissimus alyque multi, quorum nonnulli ad mensem, quidam ad duos vel tres, alij etiam ad unius anni spatium, solutis expensis, amore litterarum tam Græcarum quam Latinarum, quibus instructus affatim habebatur Trithemius, in hoc mansêre Cœnobio.* Ita ipse.

Viri litterati plures enumerantur.

Triumphantis Ecclesiæ coronæ, insignis Militantis gemma inseritur hoc anno Beatæ Memoriæ Godefridus Floreau, Catalaunensis in Campania Gallica Pontifex, qui ex Monacho & Abbate S. Germani â Pratis, ad eam evectus Cathedram, cùm raro perfectioris vitæ exemplo suæ Ecclesiæ annos quinquaginta strenuè præstitisset, Monachum se fuisse nunquam oblitus, atque esse facto ipso commonstrans, Regularem vitæ disciplinam ad finem usque indefessè observare in potissimis duxit, animi demissione, quam Insulis spectatior. Conditus est pro meritis in medio chori cathedralis Ecclesiæ, cujus jussu insignia chori sedilia confecta sunt, & columnæ aræ majoris. *Joan. Chenu, Belforestius, Claud. Robertus, Arnoldus Duacenus, &c.*

Godefridus Floreau Episcopus Catalaunensis.

In Germania Monasterio S. Petri Erffordiensis, summo bonorum omnium luctu magnum omnino luminare extinguitur, Guntherus Abbas, non de Monasterio solum suo præclarè meritus, sed de Ordine universo per Germaniam nostram, spectatissimus plurimorum Monasteriorum Reformator, ex cujus Cœnobio, tanquam Religiosioris vitæ Ascetarum promptuario, plurimi ad diversa loca Præsules sunt postulati.

Guntherus Abb. S. Petri Erffordiensis.

Effulgescit summâ longè latéque auctoritate & celebritate Leisbornense Cœnobium sub Joanne lectissimæ notæ Antistite, ejusdem loci Ascetis tantâ eruditionis & perfectionis vitæ famâ celebratis, ut difficillimi casus & controversiæ totius provinciæ ad ipsos remitterentur. Ex quo facilè animadvertas, etiam perditissimo hoc tempore, juxta perfectionis & sanctitatis studia, etiam eruditionis apud nostros strenuè viguisse.

Joannes Abb. Leisbornensis.

IESU CHRISTI ANNUS M.D.IV. Sancti Patris Benedicti M.XXIV.

INgenti prodigio, & æternis memorando sæculis, restitutæ hoc anno, deploratæ Monachorum in sacro Casinate Monasterio res, & propensissima Numinis voluntas in Ordinem nostrum, in hoc etiam fine sæculorum, manifestissimè comprobata. Marcum Antonium Scipionem elegantis-

Afflictissimus Casini status.

gantissimi Styli scriptorem, virum amicissimum, audiamus: *Sanctissimum Ordinis Archisterium Commendatarij, ut vocant, Abbates, eósque inter postremus Joannes Medicæus S. R. E. Cardinalis, habuerant. Ab hoc,* inquit Scipio, *Julius Pontifex Maximus, Abbatiam enixè contenderat, Consalvi Magni assiduis ac penè importunis precibus efflagitatus. Hic enim Ferdinandi Regis Hispaniæ Copiarum in Italia Imperator, cum intra Barulum inclusus à Gallis semestri jam obsidione acriter adeo premeretur, ut prævictus inopia, quodvis herbarum genus ac mures ipsi jam cessissent in cibum, nec ulla commeatus & subsidij spes in proximo ostenderetur: tam difficili tempore & loco ad preces & vota conversus est; Divi* BENEDICTI *ope, ac patrocinio, deploratis Hispaniarum rebus, supplicitèr exorato: nec frustra; Nam insequenti nocte per quietem à suo Tutelari Benedicto confirmatus, bono animo esse jubetur, hostem statuto loco, atque horâ lacessere ad prælium; ex quo certam victoriam, ac triumphum esset relaturus: tantùm recordaretur, ubi Campaniæ Regno potitus esset, suos Monachos in Casinatis Cœnobij liberam possessionem asserere. Ex nocturno viso Dux & milites erecti, capessunt pugnam, tanto animi ardore atque audaciâ, ut Gallis longè numero superioribus, partim cæsis, partim in fugam conjectis, Victoria brevi ad Hispanos inclinaverit, qui temporis, ac cælestis patrocinij beneficium occupantes, invadere hostium castra, prædas agere, vicinis locis deinceps potiri: donec capta Neapoli (Principe Regni urbe) reliqua oppida & urbes, sponte sua deditionem fecère. Rebus hunc in modum, præter expectationem prodigiosè transactis: Consalvus, annuente Ferdinando Rege, Campaniam omnem Proregis dignitate, atque imperio moderabatur. Iamque tam insignis Victoriæ (quam Divi* BENEDICTI *auxilio retulerat) optimè conscius ac memor, de voto persolvendo religiosè cogitabat, Omnes igitur omnium Cœnobitarum Antistites (quotquot sanctissimi Patriarchæ Regulam Neapoli profitebantur) ad sese accersiri mandat, visurus cuinam Sodalitio, Domicilium Casinas ex voti obligatione attribueret. Hos inter simul ac Vincentium Neapolitanum (id temporis ad S. Severini Abbatem) adspexit cucullo laxioribus manicis, multiplicique plicaturâ concinnato, atratum ac gravem; intento in eum digito: Hic enim vero, inquit, ille est, qui Casinatem saltum, cum amplissimo Cœnobio retulerit, ex objecta mihi specie Divi Benedicti habitâ, quàm simillimus. Mox cum Ferdinando Rege ac Julio Papa, summâ sollicitudine per litteras, ac nuncios agere non destitit; donec Monasterium Casinas ad eam Congregationem adjungeretur, cui S. Severini Sodales antea copulatos compererat. Hæc autem sodalitas, ab insigni apud Patavinos Cœnobio, deductis ortu ac nomine, Congregatio S. Justinæ de Padua, vulgo appellabatur, exquisitæ renascentis Monasticæ Disciplinæ cultu atque observantiâ; Cœnobiorum numero atque amplitudine junctissque inter se tum domicilij, tum Monachorum animis, arctissimo Religiosæ Conjunctionis, ac pacis fœdere: latè per totam Italiam celeberrima. Hanc igitur sæculi prateriti anno quarto* [scripserat hæc familiarissimus nobis Scipio anno Christi 1630.] *Cœnobium Casinas (agente imprimis atque adnitente Consalvo) sibimet tanquam capiti copulavit: transiisse in eam de suo nomine* CONGREGATIONIS CASINENSIS *appellatione. Visuntur etiamnum Casini sacerdotales amictus ex veste Attalica crispante, quâ Consalvus Neapolim, parta de Gallis Victoriâ spectabilis, triumphali majestate ac pompâ inierat.* Ex hac porro serie atque eventu rerum, quivis [opinor] facilè animadvertet, Divi BENEDICTI Numen, quantopere Hispanorum Regum rationes, atque amplitudinem promoverit. Scilicet providerat, Neapolitanum Regnum, haud longo post tempore ad Austriacos Principes [sui generis sobolem] diffuso per tot provincias ac Regna dominatu, & Catholicorum Regum, non titulo magis, quam professione, atque actionibus glorioßissimos, devolutum iri: quorum in ditione futurum erat, ut plurima sui Instituti collegia [Casinas præsertim] sanctitate atque opibus florerent, gauderéntque opimâ pace, ac Religioso otio, pijssimorum Principum munita Patrocinio, libertate cumulata, decorata Privilegijs. Ac mihi quidem, illud etiam hac in re spectasse videtur sanctissimus Patriarcha: *Ut quemadmodũ FRANCORUM OLIM REGIBUS,*

Commendatarij Abbates exclusi.

Consalvus Magnus Belli Dux.

S. P. N. Benedicto suppliciter exauditur cum additione.

Ope sancti P. N. prodigiosa Victoria.

Voti memor Consalvus.

S. Severini Neapolitani Monasterij Reformatio.

Congregatio S. Justinæ.

Æternum meritus de Regibus Hisp. S. P. N.

GIBUS, PER SUI ORDINIS HOMINES, GALLIÆ SCEPTRUM, AC DIADEMA CONCILIAVERAT: SIC HISPANOS REGES BONA ITALIÆ PARTE, LONGEQUE PULCHERRIMA DONATOS, HAUD DISSIMILI BENEFICIO PER SE IPSE ADIUVARET &c. Ita Scipio. Inter alios Ordinis Viros Illustres morte, hoc anno felici extinguitur, Antonius de la Haye Abbas Regij Galliæ Archisterij S. Dionysij, quem CONSANGUINEUM & Consiliarium in litteris suis vocabat Ludovicus XIII. Francorum Rex Augustissimus. Ut hinc satis animadvertas, florem Ordinis in Regno illo liligero, cui Regij sanguinis viri, & hic & plurimi alij nomen dare & seipsos emancipare, dignissimum duxerint, *Ex S. Dionysij Historia, & Cl. Roberto.*

Sceptrum Galliæ per Benedictinos Regibus obtigit.

Antonius de la Haye Abb. S Dionysij obijt.

Moritur hoc anno insignis novi Ordinis sub Regula sancti Patris nostri promotrix, Isabella Castellæ & Legionis Regina, quæ Beatæ Beatrici nostræ condendo primo Conceptionis Immaculatæ Cœnobio Palatium proprium, quod Galliana dicebatur, obtulit & donodedit, sacrúmque illud & Cœlo summè plausibile Institutum, tanquam altera ejusdem Mater fovit, inter nostros pro eximijs meritis referenda. *Ex diversis rerum Hispaniæ Scriptoribus.*

Isabella Castella Regina nostris accensenda.

Extinguitur hoc ipso anno illustrissimum sacræ Familiæ nostræ Caelestinæ sydus, cœlóque inseritur sanctæ memoriæ Henricus cognomento Juvenalis, Gallus natione, cujus sanctimoniam, eximiæ Virtutes & variæ de eventuris rebus revelationes, ac quarumdam, pro quibus sacrum fecerat, animarum è purgatricibus flammis liberatio, clarissimè comprobarunt. *Ex communicatione R. P. Philippi Malabaylæ, & monimentis Cœlestinorum.*

Henricus Juvenalis moritur.

In Germania, frigidissimo hoc sæculo sanctitatis splendoribus effulget, & Divini Pneumatis exardescit ignibus, Beatæ memoriæ Joannes de Susato, Abdinckhofensis Cœnobij Abbas spectatissimus, Henrici de Peynis, pari sanctitate viri dignissimus successor, & Reformationis Monasticæ ferventissimus promotor, cujus sanctis vitæ exemplis ipsi Paderbornenses Episcopi [situm in eadem urbe Monasterium est] plurimum lucis & fructus perditissimo tempore hausêre; multáque ejusdem Auctoritate & Consilio, tota Diocæsi, ad conservationem Religionis & devotionis piè & providè sunt instituta.

Joannes de Susato Abbas Abdinckhofensis.

IESU CHRISTI ANNUS M. D. V. sancti Patris Benedicti. M. XXV.

ILlustrissimus, albóque notandus capillo hic annus est, novâ Ordinis nostri Archisterij Casinatis Reformatione, *Casinensis Congregationis* nomine primùm exaudito. Cum Ferdinando Hispaniarum Rege potentissimo, Conialvóque Proregе Neapolitano agentibus; ipso Patriarchâ nostro sanctissimo Benedicto, id ipsum efflagitante: Commendatarijs Abbatibus [qui ipsos quinquaginta annos patrimonio tanti Patris miserè incubuerant] liberatum Casinense Monasterium, cedente [qui ultimus occupaverat] Julij Rom. Pontificis precibus ac jussis, Joanne Medicæo S. Romanæ Ecclesiæ Cardinale, nova lectissimorum Monachorum colonia, legitimo cum Præsule est solemniter introducta. *Eusebius Mutinensis*, ait Scipio, *Congregationis S. Iustinæ caput ac Præses, primus ex eadem sodalitate, Casinensis Abbas renunciatus, religioso centum Monachorum comitatu stipatus, Casinum adijt, sacrum Cœnobium ex sanctissimæ Regulæ præscripto, & recens usurpatæ consuetudinis laudatissimâ formulâ moderaturus. Porro Eusebium adventantem, Casinates obviam effusi, pleno hilaritatis vultu, ac libentissimis animis excipiunt, omnibus Religiosi obsequij ac reverentiæ argumentis, domum officiosissimè deducentes. excepti vicissim ab Eusebio, ejusque socijs Casinates, nullum in eos humanitatis, nullum Benevolentiæ signum omittentibus. Cæterùm ex hac, non minus animorum, quam Instituti ac nominis mutua inter ipsos communicatione, dici non potest, quanta utrisque oborta sit, integerrimæ voluptatis ac lætitiæ affluentia, cum Patavinæ sodalitatis Alumni, quo ipsi fruebantur castissimæ disciplinæ bono, cum omnibus illud Divi BENEDICTI Cœnobijs communicatum peroptarent; Casinates verò Apud Proregem Neapolitanum, ac Romanum*

Casinum mirè Commendatario Abbate liberatur.

Eusebius Mutinensis Casini Abbas Reform. I.

Casinatum plausus.

manum Pontificem vehementißimè contendißent, ut quod de puriore ſacrarum Legum cultu admittendo agitari cœptum erat, quam citißimè perduceretur ad exitum: cum perhonorifica tamen earum conditionum acceßione, quæ Caſinatis Cœnobij omnium toto orbe clariſſimi amplitudinem ac ſanctimoniam declararent. Euſebius igitur in ſuo munere obeundo, cùm alias virtutes multas; tum vero inprimis mirificum ardorem, Religioſam Diſciplinam inſtaurandi, & indefeſſi animi ſtudium præſetulit. Hinc ſacræ Militiæ copias augere: Legum quas Caſinates profitebantur, inviolatam obſervationem exigere: viciſſim, quibus rebus illi indigerent, antequam peterentur, ipſe ultro deferre & abundè omnibus elargiri. Neque interim bonorum Monaſterij, ac Iurium procuratio vel omiſſa, vel remiſſè negligenterque pertractata. Multis à Julio II. Pontifice: multis à Ferdinando Rege Catholico impetratis Privilegijs, res Caſinenſis ſtabilita, Cleri diſciplina (cui per multos annos vigentibus bellis, ſoluta militum conſuetudo ac familiaritas, non parum labis ac ſordium aſperſerat) perutilis Synodi celebratione repurgata &c. Videatur Marcus Anton. *Scipio Caſinas.*

Euſebij Abbatis Studium.

Res Caſinenſis miriè ſtabilita.

Caſalenſis Congregationis in Gallia non minores progreſſus, cui non virorum jam ſolummodo, ſed illuſtria Virginum Cœnobia accenſa ſunt, & non levem paulopoſt, Regno ſpectante & mirante univerſo, tam ſanctæ Reformationis fructum meruêre. eo quoque in ipſum Regnum redundante, ita, ut quæ jam tunc propiora erant pericula, ſupplicum hujuſmodi, adeo Numini probatorum & dilectorum, fervore ac precibus, non ſemel diſjcerentur, & averterentur.

Moniales totam Reformationem amplectuntur.

Hoc primùm anno, cum ferè biennium vacaſſet Jlluſtriſſimum illud Galliæ & verè Regium S. Dionyſij prope Pariſios Archiſterium, Abbatem legitimâ electione accipit Petrum de Gouffier 26. Decembris deſignatum, Fratrem Arturi Magni Franciæ Magiſtri, Adriani S. R. E. Cardinalis, Guilielmi Admiralij, & Aymareli Albienſis Epiſcopi Abbatis Cluniacenſis, filium Guilielmi & Philippæ Mommerentiæ, præſtantiſſimis animi & corporis præditum talentis, de quo conſulendus recens editus liber de Regali S. Dionyſij Archiſterio.

Petrus de Gouffier Abbas

Jn Germania illuſtria rurſum ſydera extincta, Cœlo inſeruntur Venerabilis memoriæ Abbates, Blaſius Ranshovenſis vir eximiæ perfectionis, verus pauperum pater, adeo ut ſuos ſibi ipſe detraheret calceos & egenis largiretur, genuflexus animum creatori transmittens octogenarius; & Henricus à Lippia, Adamo ſanctæ memoriæ Anteceſſori ob inſignia vitæ merita chariſſimus, eidémque ſuccedere digniſſimus, Præſul verbo & opere potens [fuit enim Orator facundiſſimus] qui Monaſterio S. Martini Majoris Colonienſi cum ſexennium præfuiſſet, & Reformationem ubivis ſtrenuè promoviſſet, ingenti ſui relicto deſiderio, vita exceſſit, cujus èlogium peculiari libello circumferri aſſeritur, quem tamen hucuſque videre non meruimus.

Blaſius Abb. Ranſhoſenſis.

Henricus à Lipp. Abbas

Jn Hiſpanijs maximis ſe meritis commendat Joannes Enguerra Aſceta Populetanus vir Religioſiſſimus æque ac doctiſſimus, Regi Catholico à ſacris confeſſionibus, atque ab ipſo ad Regem Galliarum Legatus, Reginæ germanæ ejuſdem nuptijs conciliandis. Fuit idem Hæreticæ pravitatis Jnquiſitor [ut vocant] Generalis per Regnum Arrogoniæ, idem poſtea Epiſcopus Vicenſis, ac deinde Jlerdenſis deſignatus, de quo multa Mariana, atque Zurita ad hunc annum.

Joan Enguerra, Confeſſarius Reg. Hiſp.

Epiſcopus Vicenſis & Ilerdenſis.

Claret viris valde Jlluſtribus Religione non minus, quam eruditione, noſtrum Lacenſe in Germania Cœnobium, è quibus duo, hoc ipſo anno ex hac mortalitate evocati magnum ſui deſiderium in patria reliquerunt. Horum alter R. P. Joannes de Andernaco in ſacris ac profanis litteris præclarè eruditus, atque in Computo inprimis Eccleſiaſtico, atque Aſtronomico inſigniter verſatus, vitâ & converſatione ſingulariter devotus, Cœlorúmque Auguſtæ ſervitio præcipuè deditus extitit. Reliquit ingenij præſtantis aliquot monimenta, eaque inter librum unum de Recollectionibus. Alter fuit Antonius de S. Huberto, jugi exercitatione & ſtudio ſacrarum litterarum excellentiſſimus, concionator egregius, Vir zeloſus admodùm, atque optimè meritus, cujus extat ſermonum tomus & liber Epiſtolarum. *Ex monimentis ejuſdem Cœnobij.*

Ioannes de Andernaco Monachus Lacenſis.

Antonius de S. Huberto Lacenſis.

IESU CHRISTI ANNUS S. M. D. VI. sancti Patris Benedicti. M. XXVI.

RUrsum alij Benedictini Ordinis & Regulæ, Congregationis sanctissimæ Camaldulensis Ascetæ, Orientalem versus Jndiam, Romani Pontificis auctoritate & jussu, ante biennium profecti, Apostolico munere, immortali cum merito, generosissimè perfuncti sunt; qui Persiam, atque finitimos Persidi Jndos, Evangelicâ prædicatione, hoc ipso anno, atque deinceps, inexplicabili laborum tolerantia, indefessi informarunt, seque ipsos ultro & sponte victimas Numini offerentes, ab nullo omnino periculo absterreri se passi, diéque noctésque incredibili Zelo in lucrandis Gentilium animis sese occuparunt; & Apostolicas sibi coronas meruerunt. Jta perpetuo sæculorum decursu, nostri irremisso labore Fidem Christianam & Ecclesiæ atque Romani Pontificis auctoritatem asserentes, in omnes omnino Mundi plagas intulerunt, & felicissimè propagarunt. *Hist. Camald. Honor Philop.*

Viri Apostolici in Indias missi.

In conversione Indiarum labor.

Debent sub hoc ipsum tempus, Antipodes, orbis recenter inventi incolæ Montserratensibus nostris, & primo Patriarchæ suo, Bueillio nostro, Romani Pontificis meritissimo Vicario per Jndias universali, primos ibidem in diversas provincias ijs lucrandis ordinatos, & destinatos Episcopos, presbyteros & Ecclesiarum pastores; debent diversas longè latéque exstructas Ecclesias; debent Fundata prima Monachorum, & Clericorum Collegia; debent institutas scholas ac seminaria; debent proscriptâ barbarie, inductam Humanitatem; Fidem denique debent, post DEUM ipsum, quâ majus, & necessarium magis nil esse potest, ad vitam consequendam sempiternam. Cæterum de Bueillij ipsius sanctioris vitæ exemplis, raris virtute Crucis Dominicæ prodigijs, eversis ab eodem delubris ac simulachris. *Vid Honorius Philoponus & alij scriptores.* De suprema ejusdem in Jndijs potestate. Scribit inter alios oculatus testis, vir omni exceptione major, clarissimus & præstantissimus Ferdinandus Consalvus Overensis; qui tunc Romæ, quando ea missio est adornata, cum Hispaniæ Legatis adfuerat; quæ ipsius met verba, fide optimâ, versa reddamus. *In data Bulla*, inquit, *Ordinavit Papa, per donationem Apostolicam, de cura, quam habere debeant, in convertendis Gentibus Indianis ad Fidem sanctam. Ad quam ordinavit in secundo cum Columbo itinere, certas personas, Religiosas* [ex Monte serrato] *doctas & approbatæ Vitæ. Ad quem effectum electus fuit cum primis Frater Buill Catalanus ex Ordine S. BENEDICTI: Cui Pontifex dedit plenissimam potestatem, regendi Ecclesiam ijs in Regionibus Indiæ. Quapropter iste caput fuit aliorum Religiosorum, & Clericorum, qui DEO in Conversione harum Gentium Indicarum inservire, & progredi constituebat. Itaque Cruces, & Calices, & imagines, & reliqua paramenta necessaria, quibus opus habebant ad Ecclesias constituendas, secum portabant.* Jta Ferdinandus. Franciscus Lopez paria habet, Thomas Bozius, Genebrardus.

Primi Episcopi Indiarum ex nostris.

Delubra & Idola passim à nostris destructa.

Ordinatio summi Pont.

Benedixit, ob Apostolicorum virorum merita, Montserratensibus haud minimè hoc ipso tempore Numen, & Numinis Mater, ita ut quantum ipsi laborarent, in Ejusdem honore & Fide propagandis, tantumdem ipse Congregationis Ejusdem decus & gloriam promoveret, Nobilissimáque Hispaniarum Monasteria eodem fervore succenderet, eidémque Sodalitati in Reformatione Ordinis adjungeret, ita ut per amplissima Regna, devotio in Monachos primum, atque dein in sæculares etiam homines derivaretur, quo factum credimus, ut reliquis Europæ Provincijs, in deteriora semper prolapsis, Hispaniarum Regna sibi perditissimo tempore semper Constantia, & exemplis suorum Religiosorum foverentur, & sacro Inquisitionis munere, uti supra in Joanne Enguerra nostro commendavimus, singulari industria & vigilantia, in Fide retinerentur, quod ad conservationem tot Regnorum Regis Catholici fuisse videtur præcipuum, ut hæc quoque gloria specialis, & hoc & plurimis antea sæculis, sanctissimo Patriarchæ nostro deberi videatur.

Invalescit splendor Montis Serrati.

Fructus inde in Regnum redundans.

Vita excessit hoc anno Burcardus Posu-

Bernardus Abbas Epternacensis obijt.

Posuinus Epternacensis in Ducatu Luxenburgensi Cænobij Archimandrita vigilantissimus, qui quanto Clerum plebemque in solida Numinis dilectione & cultu magis intepescere vidit, & Religiosos quoque periclitari animadvertit, tanto ferventius sacræ Reformationi suorum institit, suoque exemplo, alios etiam Abbates & Monasteria excitavit, & è S. Maximini, Trevirensi Archisterio, quod præ alijs semper excelluit, coloniam sacram introducens, de suo & vicinis Monasterijs æternum meruit. Superior quoque Germania, præter alios viros Ordinis illustres, Joannem eo nomine primum Cremiphanensem Abbatem hoc tempore habuit, qui ob insignem eruditionem & intaminatissimæ Vitæ integritatem, Maximiliano I. Imperatori Augusto charissimus, plurimum apud Eundem & suis prudentissimis consilijs, & summa authoritate potuit, ab eodem Arbiter Secretorum animi & à confessionibus piacularibus extitit, cui se maximis meritis commendavit.

Joannes Abbas Cremiphanij.

ANNUS IESU CHRISTI. M.D.VII. sancti P. N. Benedicti. M. XXVII.

IMmoritur præsenti anno felicissimis Reformationis cœptis, Eusebius Mutinensis, primus Casinensis post solidiorem Monasterij Reformationem Abbas, Ejusdemque nominis Amplissimæ Congregationis Præses Generalis, vir meritissimus, & qui ad id muneris, ut ex supra memoratis constat, peculiarius ab ipsomet sanctissimo Patriarcha nostro S. BENEDICTO expetitus videtur. Successit, haud impari æstimatione Zacharias S. Justinæ Patavini Cænobij Asceta, traditam sibi à Patribus, Casinatem præfecturam eodem anno feliciter auspicatus, egregiæ Virtutis opinione ac merito, apud Ferdinandum Hispaniarum Regem, cognomento Catholicum apprimè commendatus. *Marcus Ant. Scipio, Annal. S. Justinæ &c.*

Eusebius Abbas Casinas obijt.

Zacharias Abbas.

In Gallijs magno cum Ordinis ornamento effulget Jacobus d' Amboise Cluniacensis Archisterij meritissimus Abbas, familia Illustrissima ortus, ex qua Principes plurimi Ducésque sereniss imi prodiere. Is à teneris annis sanctissimo Patri nostro Benedicto in Archisterio prædicto oblatus, Monachum professus, sub Joanne Borbonio antecessore sanctè educatus, Studiorum postea gratia Parisios, ad Hospitium sive Collegium ab eodem Joanne conditum missus est. Ubi Pontificio Juri operam sedulo navavit, magnósque in Studijs progressus fecit. Abbas postea de Jumieges creatus, nec multo post S. Illidij prope Urbem Claromontensen lituum meritus, postremo Cluniacensis Antistes renunciatus, tot tantorumque sanctorum meritissimus successor, ejsdem, per omnia se conformare studuit; de Monasterio insigniter meritus, donec Claromontanus Episcopus crearetur. De quo alia inter, ita Franciscus de Rivo Prior Major Cluniacensis: *Hujus Patris nostri Reverendissimi*, inquit, *quid fidem vobis, quid facultatem, quid ingenium, quid eximiam rerum omnium experientiam commemorem? Quid liberalitatem? quid animi magnitudinem, justitiam, & æquitatem, regularémque observantiam dicam? quæ omnia tamen ex omnibus singula ad consummatum sufficere posse hominem videntur. in eo enim simul, velut facto agmine concurrunt, adeo, ut quidquid eorum, alibi reperiri potest, ea illius prodijsse pectoris armario credi possit &c.* Claruit sub hoc ipso Abbate, Antonius de Rupe ejusdem Archi-Cænobij Prior Major, Decretorum Doctor, qui totus Religiosus [verba Chronici sunt] totus erga Conventum laboriosus, fundator extitit venerabilis Collegij S. Hieronymi apud Dolam, quod à fundamentis exstruxit [sunt enim Priores illi, eodem quo Abates alij Jure & potestate] ædificium miræ pulchritudinis. Jacet in Capitulo juxta Abbatem Rolandum. Ita Nicolaus d' Olery, qui & sequentia subjungit: Post istum Antonium, fuit Prior Major Philippus de Bourgoin, antea Prior Claustralis, *MAGNÆ SANCTITATIS VIR, qui multum rigidè tenebat servorem Ordinis. Jacet in Capitulo juxta Abbatem Guillermum.* Ita citatus Auctor, ut ad hæc usque tempora nunquam defuisse Archisterio illi, viri Sanctitate illustres videantur.

Jacobus de Amboise Abbas Cluniac.

Antonius de Rupe.

Philippus de Bourgoin.

Moritur hoc ipso anno, memorabile exemplar contempti [tam ambitiosè à multis quæsiti] Abbatialis honoris,

Christophorus Abbas in Weichen Stephan.

noris Christophorus quondam Abbas in Weichen-Stephan pulchertimi prope Frisingam Cœnobij, qui invitus atque reluctans ob egregia & animi & corporis talenta electus, ultro & sponte post paucos annos Præsulatum resignavit solo amore litterarum, Bononiamque profectus Pontificijque Juris Doctor creatus, insignem sacrosanctæ Theologiæ Professorem egit, cumque præter raram eruditionem insigni polleret eloquentia, & potentissima perorandi facultate, in Carinthiam secedens in Cella Mariana, totum se laudibus Deiparæ celebrandis devovit, Cathedram illam, omnibus Infulatorum omnium præ ferens, in quo summa omnium cum admiratione, ad confluentes peregrinos miro cum fructu verba fecit, hisce laboribus ibidem felicissime immortuus; cum non multo ante mortem ad Weichen-Stephanense suum revisisset, eidemque [cui incorporatos etiamnum erat, nec tanquam emeritus Abbas celebrari voluerat] magnam pecuniæ summam pro condenda insigni Bibliotheca & exstruendo Deiparæ Sacello contulisset. Vita excessit eodemmet anno successor ejusdem, non immediatus, sed post Wolfgangum de Weix virum similiter immortali memoria dignum, Antonius, de quo Abbatum Catalogus: *Vir mirè Religiosus, humilis, mansuetus, totus amabilis, disciplinæ Zelator, pauperum & orphanorum Pater, alter S. Martinus &c.* Ut inde animadvertas, non unius solum & alterius perditissimo sæculo, quasi rari nantis in gurgite vasto eam fuisse mentis continentiam, sed alterum ab altero, quasi successionis jure, talia exempla sequutum fuisse summæ integritatis, & rarioris vitæ perfectionis.

Wolfangus de Weix.

In Brauweilerensi non minus Cœnobio, tantopere nunc viguit disciplinæ sanctioris observantia, ut inde exemplaria egregia expeterentur vitæ Regularis â Joanne de Weda Abbate, uti hoc anno ad S. Alexandri vulgo, *in Grafschaffi* Monasterium Abbas est postulatus Albertus, quo cum destinati cooperatores sunt tam præclaræ functionis Collegæ Religiosi Patres Matthias de Passendorff, Joannes de Hammone, Conradus de Warbergh, Medardus ab Eusskirchen & Stephanus de Crossi, ob egregia vitæ exempla merito celebrandi.

Joannes de Weda.

ANNUS JESU CHRISTI M.D.VIII.
Sancti Patris Benedicti M.XXVIII.

GRande omnino [nec minus Apostolico censendum merito, quo provinciæ totæ Regnaque ampliſſima Ordini Benedictino obstricta sunt] æstimari ab æquis rerum Censoribus debet, quo Ordo Magni Benedicti verè Augustus, tot deinceps alios sanctissimos & frequentissimos Ordines, primo in ortu suo promovit & fovit, ita ut nullus uspiam post admirabilem Patrem & Patriarcham, Legislatorem nostrum consurgeret, quin seri tanti Patris posteri, instinctu procul dubio boni Numinis mereri de singulis quamprimum aggrederentur; Quo quidem ipso, si nullo alio sanctissimus Pater noster *Patriarcha Monachorum & Religiosorum omnium* jure meritissimo appellaretur. Sic non tantum Cluniacenses, Cistercienses, Camaldulenses, Humiliatos, Cælestinos, Montis Virginis Olivetanos aliosque propriè suos, suæ Regulæ professores, etsi ob multitudinem & frequentiam cuivis Reformationi nomen dantium, Ordinum nomine censos & honoratos, per seipsum plerosque, cœlo descendere visus, novasque has sui Ordinis ampliſſimi Familias, Congregationis & Reformationis ipsius informare ac juvare; sed alios quoscunque diversarum Regulatum, sive per se, sive per suos, mira benignitate, liberalitate & charitate, susscipere, alere, protegere, promovere, atque exornare est comprobatus. Ita Carthusianorum perfectissimus Ordo, & ipse ejus Institutor lectissimus S. Bruno, primum â nostris susceptus est, & S. Hugonis nostri Gratianopolitani in Gallijs Episcopi ductu & munificentiæ fundamenta jecit, Carthusianos montes dono accepit, primamque, inde cognominatam Carthusiam condidit. Quamvis etiam hic ipse Orde, etsi non omnino, ut illi, accensendus tamen etiam nostris sit, ut qui nostra etiam utatur Regula, suasque inde Constitutiones composuerit, teste Innocentio Papa in Diplomate Carthusiæ Casotulensi dato, & Petro Sutore Carthusiæ Priore in Annalibus, nec non hono-

Proprium S. P. N. Benedicti omnes alios Ordines demereri.

Recensentur Ordines aliqui.

Carthusianos demeretur Ordo noster.

rato

rato Neapolitano & aliis: estque eorum Perfectionis nervus, in strictissima Benedictini silentij observatione, â qua non potest non ingens Ordini Bonum obvenire, juxta illud Jacobi Apostoli: *Si quis putat se Religiosum esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est Religio* cap. 1. & cap. 3. *Lingua ignis est, universitas iniquitatis, &c.* Quod uti â Jacobo Apostolo præcipuum sui Instituti post trium Votorum commendationem S.P.N. Benedictus suis tradidit, ita Carthusiensium Ordo peculiare etiam sibi esse voluit, & severissimis Legibus sanxit, ut alia ex Regula nostra, â carne abstinentiam & cætera prætereamus.

Silentij observatio ex Regula S. P. N.

Ita S. Norbertus Præmonstratensium Canonicorum Institutor, in Sigebergensi Illustrissimo Ordinis nostri Cænobio, prima sanctitatis fundamenta jecit, & eodem, pulsatus tentationibus, sæpe redijt, Conone inprimis Abbate, *admirandæ Sanctitatis Viro*, familiariter usus, *apud quem* [ut Joan la Paige Norbertinus affirmat] *tyrocinia quædam futuræ Conversionis aggressus est &c.* Idem juxta Regulam S. P. N. Benedicti primùm suos dirigens, idem Monastico cum suis schemate, scapulari scilicet, Canonicis aliàs inusitato volens insigniri. Idem Præmonstratum ipsum, â quo totus cognominatus est Ordo â B. Bartholomæo nostro Laudunensi Episcopo, dono accepit, primúmque illic & Princeps suæ sacræ familiæ Archisterium, ejusdem Pontificis Munificentia condidit.

Præmonstratenses quid Ordini nostro debeant?

Similiter sub hoc ipsum Divi Norberti & B. Juonis Carnotensis tempus, exortus primum Canonicorum Regularium juxta Regulam Divi Augustini, sed & Heremitarum sub eadem lege Ordo [cum tunc primùm Regula eadem ex Epistola quadam ad Moniales quasdam scripta extraheretur, & in certa distingueretur capita, prædictique Ordines juxta Eamdem instituerentur] ipsum Benedictinis Diuum Augustinum debuere, cum sacrum ejusdem Ecclesiæ Doctoris corpus, quod trecentos ante annos Luitprandi Regis dono Patres nostri acceperant, novis Augustiniani nominis & Regulæ Religiosis, gratis concederent, æternóque sibi amore tanti Doctoris Cultores obligarent. *Ant. de Jepes Constant. Caiet. Frider. Rozzenb. &c.*

Canonici Regulares quid debeant?

Similiter Magnus ille Dominicus, Prædicatorum Ordinis celeberrimi Institutor sanctissimus, ut nasceretur sancto Dominico nostro de Silos debuit, ad cujus tumulum Joanna mater enixis precibus, ipso apud Numen intercedente, tantum filium impetravit, â quo & Dominicum cognominari voluit. Idem apud Nostros in sancti Petri prope Gumialem institutus, ubi fratrem germanum Beatum Mamertum de Guzmanno habuit, ejus loci Abbatem meritissimum, instructorem autem Beatum Didacum, ex Monacho ejusdem loci creatum postea Episcopum Oxomensem. Ita idem Divi Dominici institutum, beatus Henricus ex Abbate claræ Vallis S. R. E. Cardinalis, pro virili contra obtrectatores propugnavit, & ob idipsum â Deipara apparente & gratias agente laudatus fuit. Unde colligas licet, quam gratus uterque Cæli Augustæ fuerit? Et quantum quod septingentis post Diuum Benedictum annis, hunc ipsum Psalterium B. M. V. prædicantem Dominicus imitatus sit? tantumque & orbem terrarum universum, & hujus Imperatricem demeruerit? Sed & Diuum Thomam Aquinatem Landulphus patruus Casini Abbas educavit Ascetæque ibidem litteris ad usque Theologica studia, in his autem Neapoli quoque nostri ipsum instituêre. *Ex Ptolomæo Lucensi ipsius Confessario.*

Dominicanum quantum Ordo noster præstiterit?

Ita Seraphicum illum Franciscum Hugolinus noster sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, postea Gregorius IX. Pontifex Maximus in condenda sua Regula juvit. Ita idem Legum lator primum suum Monasterium Mariæ Angelorum, Portiunculæ deinde dictum, dono Casinensium Ascetarum accepit, & ut grati animi argumentum omnis sua sacra posteritas ostenderet, offerri â suis è proximo riuulo aliquot in singulos annos, piscículos voluit, & jussit, quos usque hodie anniversariâ debiti & agnitionis contestatione, Portiunculæ Patres Casinatibus offerunt, singularem erga nostros observantiam contestati. Sed & B. Raynerius è Benedictino S. Francisci alumnus, ejusdem postea arbiter conscientiæ fuit.

Quid Franciscanus ab Ordine nostro obtigerit?

Ita posteri ejusdem, ex minimo maximi Francisci Reverendi Patres Capucini, â nostris primum benevolè susceptι, adjuti & contra omnes novæ Reformationis adversarios propugnati sunt. Ut nihil de alijs memorem beneficijs, quæ cùm isti, tum alij Ordines universi, & novissimi, pares tamen antiquis & primis facti, sanctissimæ JESU Societatis Patres, de quibus suo loco, â Benedictinis accepere, adeoque magno Religiosorum Patriarchæ Benedicto debere se, ultro confitentur.

Quid de Capucinis.

Nunc vero, cujus gratia hæc compendio enumerata fuerunt de Ordine loquemur, qui dicitur *Minimorum*, quem non minus, & sub ipsâ initia, & hoc præsenti, quem tractamus, anno, quam alios omnes, quantis poterant beneficijs, nostri sibi, & Archiduci suo Benedicto, obstrictum voluere.

Quid de Ordine Minimorum.

Ejus INSTITUTOR alter fuit, non minus sanctitate secundus, quam cognominatione, ipsâque nominis felicitate. Franciscus iste quem à Patria Calabriæ Oppido Paulanum dixere, vir per omnia & ipse maximus, etiam cum MINIMUM sese dici & suos omnes voluit. Hic in Monasteriolo quodam, juris similiter Casinatis, vitæ Religiosæ rudimenta posuit. Inde Casinum secedens, rogata patrum Casinensium ope & cura, in vicina solitudine sub Magisterio & directione eorumdem, quatuor se ferè annis sanctè exercuit. Rursus Casinum conscendens, quasi petita ad tumulum Patriarchæ nostri licentia, & benedictione, atque inde discedens, paulo post sui Ordinis fundamenta jecit, & plurima è Regula nostra in suas Leges transtulit. Ita Nicolaus Montoia in Chronico ejusdem sacræ Religionis. Decessit superiore anno M. D. VII. Franciscus, non minus hoc ipso tempore, & post obitum quam in vita â nostris cultus, & in suis adjutus: cui hoc ipso anno in administrando universo Ordine, *Generalis*, ut vocant, *Corrector* successit beatæ memoriæ Franciscus Binetus, professione olim Benedictinus, Prior Monasterij S. Mamertini, qui de sui licentia Domini Abbatis, sanctissimo viro indissociabilis adhæsit, eique grandi merito, quo erat Zelo & eruditione in condendis Regulis fideli ac diligenti opera adstitit, æternis deinde meritis, cum alter â Francisco Ordinis Generalis esset, universo non tam præfuit quam profuit, & sacram illam Familiam mirificè promovit.

S. Franciscus de Paula.

Franciscus Binetus noster.

Estque non minus ad mutuæ Minimorum ac Benedictinorum necessitudinis commendationem: eorumdem Authoris & Parentis sanctissimi, primum omnium discipulum è nostris fuisse Bernardum Bucillium, Bucillij nostri Montserratensis, Novi Orbis primi Apostoli & Patriarchæ patruum, & ipsum Ejusdem Montis Serrati Religiosissimum Monachum, qui præter alia vitæ merita, sacram MINIMORUM Familiam longè maximo merito demeruit, meritus ejusdem sacratissimi Ordinis fieri Proto Martyr; cum in Hispanias missus, illic pro Religione â Mauris cum socio occideretur. Videatur Nicolaus Montoia in Chronico citato, Antonius de Jepes alijque.

Bernardus Buellius.

In Monasterio sacræ Insulæ Lirinensis Monachum hoc anno profitetur venerandæ memoriæ Dionysius Faucherius, vir Religione & eruditione maximus, Reformationis deinceps Benedictinæ, perditissimo hoc sæculo, promotor singularis, idem maximis Principibus multo nomine commendatissimus, ab ipsis Romanæ Ecclesiæ Cardinibus summo in pretio & respectu habitus, cujus merita suo loco celebrabimus. Ex Chronico Lirinensi.

Dionysius Faucherius.

In Germania nostra celebratur ab eximijs vitæ meritis Antonius Levenius Ultrajectinus laudatissimus S. Matthiæ prope Treveros Abbas, & florentissima sub ipso Cænobij disciplina, extantque binæ Joannis Trithemij Epistolæ, altera Antonio inscripta, super laudibus Joannis Brachtij, & eximijs virtutibus, altera ad Eberhardum de campis, Encomiastica ejusdem Brachtij nuper defuncti, simulque Eberhardum quam simillimum deprædicantis.

Antonius Levenius Abbas.

ANNUS IESU CHRISTI M.D. IX.
Sancti Patris Benedicti MXX. IX.

Vallumbrosanorum flos.

VAllumbrosanæ Congregationis nostræ, quamvis perpetua observantia, constans semper viguerit, san-

sanctitas, alijs tamen atque alijs, ex Ordine nostro Congregationibus, pio certamine atque æmulatione, alteram fervore superare, supremamque vitæ perfectionem consequi satagentibus, & ipsa pari studio nunc concitata, pari inflammata desiderio, magis atque magis, tot tantisque aliorum exemplis exarsit. Celebratissimi rarioris opinione sanctitatis, ex eadem familia, mortalitati hoc ipso anno valedicentes, immortalibus accensi sunt, sanctus Angelus, vita & nomine verè Angelicus, & beatus Simeon, uterque in Principe Ordinis Archisterio Valle umbrosa Monachum professus. Fuit Angelus Illustrissimo Lignorinorum Genere ortus, Florentinus patria, qui calcatis generosè sæculi honoribus & illecebris, sacrum vitæ rigorem amplexus, liber spiritu ad summum perfectionis apicem conscendit. Beatissimæ Matris Virginis Angelorum Reginæ longe studiosissimus gratiam ejusdem laudatissima ambitione, & mira in omni vita industria exambijt, aliósque inter ab eadem acceptos favores, insignem sanè illum meruit, ut sub Elevatione sacrosancti Eucharistici Sacramenti, *DEI, ut fertur, gloriam intueretur.* Denique vita sanctissimè exacta ad felicem immortalitatem hoc anno felicissimus evolavit, & quorum studia mortali in corpore pro virili imitabatur Angelorum choris associatus est, ætatis suæ anno octuagesimo, in Cænobio de Ripolis tumulatus. Simeon in Monasterio primum sancti Salvij haud longè ab Urbe Florentina Monachum professus, inde ad sacram solitudinem Vallis Umbrosæ transijt, ubi sub Umbra pallij Gloriosæ DEI Genitricis requiescens, in somnum dulcissimæ resolutus contemplationis, nihil deinceps infelicis & insipientis mundi sapiens, insigni vitæ perfectione enituit. Excelluit præcipuè admiranda in gravissimis infirmitatibus patientia, cum varijs afflictionibus corporis in hac vita exercitari DEUM exorasset, & impetrasset, ne Purgatorij ignibus post mortem cruciaretur. Ita gratissimum cœlo factus spectaculum, miraculum mundo patientiæ fuit. & quotidianum sese DEO holocaustum offerens, corpore solutus, rectissimo volatu ad immortalia gaudia concessit. Et hic quidem unius Cænobij, tam sero & præcipiti tempore, tamque turbato & misero sæculo duplex fructus, cœlis illatus fuit, ut facilè conjecteris, quantum alij talium exemplo, conatu pari profecerint, nihil ut dicam de Ordine universo & ejusdem tot reformatis eodem ferè tempore tot Congregationibus, totque Cænobiorum millibus, quorum hoc ipso tempore in tanto sæculorum præcipitio, plurima diversas amplexa Reformationes [secundum naturæ mortalium fragilitatem necessarias] numerum haud levem potentium, pro Ordine Advocatorum & Patronorum cœlo destinarunt. Annales Vallumbrosani &c.

S. Angelus Vallumbros.

B. Simeon Vallumbrosanus.

Claudit sub hunc ferè annum Apostolicos labores pulcherrimo fine Venerabilis Bueillius noster primus Novi Orbis Patriarcha, multorum millium conversione felicissimus, æternum suæ familiæ & Ordinis Monachici decus, vir non minus generis Nobilitate, quam singulari eruditionis & virtutis laude conspicuus, frater, nisi fallimur Francisci Bueillij sive de Bueil Archiepiscopi Bituricensis, ex Abbate Plenipedensi, filij Jacobi de Bueil Comitis de Sancerre & Joannæ de Sainte, neposque ex fratre beatæ memoriæ Bernardi Bueillij, de quo anno superiore. Porro ex hac gente nobilissima Bueillia, præter proceres, qui summis Regni dignitatibus potiti sunt, fuit Ludovicus Vencientis Episcopus qui concilio Tridentino interfuit, & Harduinus Episcopus Andegavensis, fundator Collegij sui nominis in Academia ejusdem Urbis.

Moritur, ven. Bueillius Patriarcha America primus.

Extinguitur hoc etiam anno, insigne Ordinis inter Pontifices, eosdem sydus, Antonius Petrus de Narbona, Vabrensis sive Vabrincensis in Gallia Episcopus, qui ex Abbate Fontis Frigidi hujus pastor Ecclesiæ creatus Cathedram & Episcopatum, insigni virtutum ornatu excoluit, magnisque meritis sese commendabilem reddidit, magno cum mœrore omnium bonorum, mortalibus præreptus, cui rursum ex Ordine nostro, & germanus quidem frater ejusdem Ludovicus de Narbona suffectus est, ex Monasterio Grandis sylvæ cujus Abbatem egit, assumptus. Videatur Claudius Robertus.

Antonius Vabrincensis Episcopus.

ANNUS IESU CHRISTI. M. D. X. sancti Patris Benedicti. MXXX.

F. Garsias Cisneros moritur.

SUpremus hic annus beatæ memoriæ Garsiæ de Cisneros, Congregationis & Reformationis Montserratensis Authori meritissimo, & Augustissimi illius Benedictæ Matris Virginis Domicilij & Archisterij dignissimo Antistiti. Is mediocri parentela in Carpentania natus, valedicens litteris, ad Cænobicum convolavit, in S. P. N. Benedicti intra Pincianum oppidum, Monachum professus. Novitij fervorem in omni reliqua vita retinuit: non Regulam solummodo diligentissimè observans, sed longe majorem supra Regulæ dictata rigorem amplexus, quo carnem certius, pleniusque edomaret ac Spiritui subijceret. A vino sæpè abstinuit, sæpè pane solo ac frigidâ contentus, sæpè aspera hyeme nudipes incessit. Mira ut gravitas viri fuit, ita mansuetudo animi gratissima omnibus, & amica vultus serenitas gravitatem temperavit. Quidquid ab orationis & litterarum studijs supererat temporis, totum sacræ lectioni impendebat. Meditationis studio totus flagrans, post preces in Choro Nocturnas, omne deinceps tempus meditando assuetus exigere, fassus familiaribus, sequandoque incognita perfundi fragrantia, interdum cælestem percepisse harmoniam, sæpe mente altius elevari, tantaque affici dulcedine & consolatione, ut cum Petro in illa erumperet: *Domine bonum est nos hic esse.* Nec mirum; cum præcipuus ejus, quo hodie sacri utimur Meditationis modi Author, dubio procul, ante alios, Divinitus sibi collato meditandi fructu uberius & sapidius frueretur; á quo tantum bonum in tot Religiosorum, omnium Ordinum & Congregationum, millia, tanto deinceps cum merito atque utilitate erat derivandum. Præpositus Cænobij designatus, solidissimum sanctitatis exemplar, omnibus fuit, omnibus & venerationi summæ & admirationi. Disciplinæ Monachicæ Zelator strenuus, ad amussim Regulæ boni Abbatis & superioris formatissimus, vitia sola odisse, fratres solidè & verè paternè dilexisse comprobatus est. Fama virtutis atque eruditionis Ferdinando Regi Catholico proditus, petente eodem [cum reformandum Montserratense Cænobium esset] ejusdem Abbas declaratus est, & Archidux factus, absolutissimæ Reformationis. Quæ Præfectura etsi triennium tantum ex instituto Congregationis duraret, ad ipsum tamen pro meritis viri sæpius redijt, ita ut decem & octo annis, incredibili cum fructu, uti & auctoritate præesset. Reddidit autem Archisterium illud, toti Christiano orbi spectatissimum & celeberrimum, in quod è cœlis immigrasse Cœlorum Augustissima Imperatrix videretur, & in plenitudine Sanctorum illic detentam, usque hodie suam fixisse Habitationem, & Augustam Reginæ juxta in terris, Residentiam, ut vocant, sibi delegisse. Cujus cultum, quanto fervore Garsias promoverit, qualem se famulum tantæ Dominæ exhibuerit, nemo imaginari satis, nedum quiverit explicare. Omnibus vere omnia factus, cum perfectissimos è discipulis, per Anachoretarum sacro in monte Cellulas aptè distribuisset, assiduo Contemplationis devotissimos studio, ipse Cænobiticæ vitæ ita junxit solitariam, ut in utriusque solertissima cura, utriusque lucrum haberet in promptu, præmium in expectatione, contemplationis studio planè irremisso, quo ipso etiam negotia omnia temperabat; plus omnibus vigilans, plus omnibus laborans, orans, jejunans, nunquam cujquam loquutus, nisi & Dei sui & Deiparæ meminisset; jugiter considerans, loci Deiparæ unicè sacri & chari dignitatem, suam accusans indignitatem, inde solitus nudipes, per aspera montis altissimi, ad singulas Eremitarum suorum cellulas eniti, ut sacra eis Spiritus solatia afferret; & quandocunque per graviora Congregationis & Monasterij negotia posset, totas subinde hebdomades in Eremitorio sibi reservato, latitare & Divinis rebus vacare, atque *EXERCITIORUM SACRORUM*, adeo hodie commendatorum, & sancto Ignatio ejusdemque Societatis laudatissimis Patribus amicorum & solemnium, Religiosis omnibus utilium & desiderabilium, solidiora & compertiora fundamenta seipsum prius, quam alios *EXERCENDO*, ponere; cujus postea strenuum imitatorem S. Igna-

Abstinentia ejusdem.

Contemplationis gratia.

Præpositus Cænobij.

Abbas designatur.

Reformator strenuus

Eremita nostri Montserratenses.

Exercitiorum sacrorum Author primarius.

Ignatius se præbuit & à Garsiæ discipulo Joanne Clanonio modum edoctus, professor postea & propagator præcipuus tam sanctæ artis & Exercitationis evasit. Cæterum quoties inde prodiret Cisnerius, cæleste quid vultu & verbis spirare visus est. Nequid autem per hanc suam absentiam, res domestica damni pateretur, ferventem spiritu Monachum, Petrum Burgensem Oeconomiæ præfecit; ipse ante omnia, quæ animos suorum & disciplinam Monasticam concernebant, magno animo & amore aggressus. Silentij observantissimus, hujus curam suis quam maximè commendavit, absque hoc disciplinam omnem Cænobiorum nullam asseverans, omnique laxitati, odijsque ac simultatibus, nec non gravissimis peccatis aditum aperiri. In peregrinos mirè hospitalis, non solum corpore, sed mente largius refectos, plenósque solatij à se dimisit. Lachrymarum gratia felicissimus extitit, & dulcoribus Divinis ineseatus, sæpe inter contemplandum, confusam quandam vocem emisit, quæ inexpertos in stuporem verteret, expertos mirè accenderet, & inesearet. In adversis magna ejus patientia eluxit; in prosperis modestia, & insignis in DEUM grati animi contestatio. A Ferdinando & Isabella Regibus Legatus ad Galliarum Regem missus, re feliciter confecta ad Cænobium suum rediit, & quantumcunque potuit se condidit: tantum abest, ut Aulam sequutus gratiam & præmia exambiret. Moriturus, Contemplationis & Orationis studium suis commendavit, & sacris omnibus ritè munitus, post omnes Patres Fratresque Osculo exceptos sanctissimè obijt hoc anno 1510. ætatis quinto & quinquagesimo, vigesimo septimo Novembris, relictis egregijs aliquot ingenij & suæ pietatis monimentis. Quæ inter præ alijs celebratur:

Ut Spiritu ferventissimo.

Lachrymarum donum.

Legatus ad Regem Galliarum.

Sanctè moritur.

Ingenij monimenta.

1. *EXERCITATORIUM VITÆ SPIritualis. Volumen insigne, omnem omnino materiem rerum sacrarum quasi exhaurientem librum & mirificè animis instillantem, usque hodie necdum integrè excusum sed ut magnum Thesaurum posteritati asseruatum.*

2. *DIRECTORIUM HORARUM Canonicarum.*

3. *LEGES HEREMITARUM Montserratensium.*

Lusit in librum Lusitanus quidem Poëta sequenti Poëmate.

Vis scelerũ delere notas? vis lumine mentẽ.
Lustrari? uniri vis & amore DEO?
Hæc documẽta tibi Cisnerius ordine pandit.
Perlege: volve animo: pectore conde tuo.
Nempe canit blando moriens ut gutture Cygnus:
Sic mundo moriens, hos dedit ille modos.
Tu lachrymas da, corda para, Christi ignibus arde:
Quod Garsia docet, Gratia posse dabit

Ex vita ejusdem quam penes nos M.S. tam retinemus, Antonio de Yepes. Constant. Cassian. &c. De quadruplici DEUM laudantium genere, per Eundem Cisnerium in Monte Serrato instituto, & ab hoc dimanante fructu, consulendus Jepesius citatus. In Monasterio S. Florini Schönaugiensi extinguitur Joannes Schwelmius ex Priore olim loci, Abbas optimus, Melchioris pari Religione & eruditione successor meritissimus, uterque relictis egregij ingenij monimentis celeber.

Quadruplex psallentium genus.

Joan. Abb. Schönaugiensium.

In Cænobio item celeberrimo S. Martini Tornacensis diem supremum claudit Nicolaus Flamengus de suis egregiè meritus Abbas quibus scientia & pietate mirè præluxit & ignorantissimo perditissimoque sæculo, Bibliothecam insignem pretiosissima librorum supellectile instruxit.

Nicolaus Flamengus Abbas.

ANNUS IESU CHRISTI M.D. XI. sancti Patris Benedicti. M.XXXI.

OBscurat omnia omnium ferè merita, nimio suo splendore Venerabilis & immortalis sanè memoriæ vir Abbas noster Spanheimensis Joannes Trithemius, adeo ut nec meminisse quidem, virorum sanctitate atque eruditione clarissimorum libeat. dum miranda & memoranda unius viri, quanto plus merentur admirationis, tanto magis ut describamus & celebremus perurgent. At vero relictis, quibus Ordinem solum nostrum, & Germaniæ Monasteria devinxit, meritis; ea, pro quibus ipsi debitor est orbis terrarum universus, unius ingenij partum tam multiplicem infœcundissimo cæteroquin talium sæculo, quo tamen non solum istud implevit, sed sequutura omnia immortaliter domeruit,

Joannes Trithemius

Universum deueretur posteritatem.

meruit, vel nunc quidem, tantum enumeremus. Scripsit autem, præter ea de quibus non constat, sequentia:

MAGNUM CHRONICON HIRsaugiense Archisterij tomis 2. in folio, quorum alter Typis necdum vulgatus in Bibliotheca hodie asservatur serenissimi Bavariæ Electoris.

Chronicon Monasterij sancti Jacobi apud Herbipolim. . . . . Tomo. 1.
Chronicon Cœnobij Spanheimensis. . lib. 1.
Chronicon Ducum Bavariæ & Comitum Palat. Rheni. . . . . lib. 1.
Annales de Origine, Regibus & gestis Francorum & Germanorum. Tomis 3.
Epitome ejusdem Galliarum & Germaniæ Historiæ. . . . . libris 3.
De Origine, Regibus & Ducibus Bavarorum Comitum Palatinorum & Spanheimensium &c. . . . . libri 4.
Itinerarium Vitæ suæ. . . . . libri. 2.
De varijs & diversis materijs & rebus Antiquitatum. . . . . libri 14.
De causis & cura morbi caduci ac maleficiorum. . . . . libri 3.
De Origine & rebus Francorum diversas à superioribus. . . . . liber 1.
Hieraticum, pro diversis morbis propellendis. . . . . liber 1.

Diversa opera Ioannis Trithemij.

Ad quæstiones Rutgeri Sicambri. liber 1.
De Ducibus Francorum & Episcopis Herbipolensibus. . . . . liber 1.
De septem intelligentijs Orbem moventibus. . . . . libri 2.
De Laude scriptorum. . . . . liber 1.
De Laude Carmelitarum. . . . libri 2.
De Scriptoribus Ecclesiasticis. . . liber 1.
De Viris Illustribus Ordinis S. P. N. Benedicti. . . . . libri 4.
De Luminaribus Germaniæ. . . liber 1.
Epistolarum ad diversos. . . . . liber 1.
Epistolarum Spanhemensium . . libri 4.
Poliographiæ ad Maximilianum Imperatorem Augustum. . . . . libri 6.
Stenographiæ. Opus immensi laboris, nostra ætate à Serenissimo Augusto Brunsuicensi & Lunæburgensi Duce enodatum & immortali cum utriusque gloria typis mandatum. . . . . libri 8.
De certis dubijs & quæstionibus in Evangelium Joannis. . . . . liber 1.
De quibusdam in Psalterio dubijs. liber 1.
Octo Quæstionum ad Maximilianum I. Imper. Augustum. . . . . liber 1.
De Laudibus studij Divinarum Scripturarum. . . . . liber 1.
De Computo Ecclesiastico. . . . . liber 1.
Variarum Quæstionum, Orationum & Propositionum. . . . . libri 20.
De Prænotionibus Christiano homini licitis & illicitis. . . . . liber 1.
Contra Maleficos & eorum artes ac superstitiones. . . . . libri 5.
De Dæmonibus & artibus maleficis ac superstitiosis. . . . . libri 12.

Trithemij Abbatis opera.

De Miraculis Beatissimæ Matris Virg. Dittelpacensis. . . . . libri 2.
De Miraculis Ejusdem in Urticeto apud Helprunnam. . . . . libri 6.
De S. Anna Rosarium 50. distinctum articulis simulque Horariæ Preces & Missæ Officium de Eadem. . . . liber 1.
Rosaria de Sanctis Petro, Magdalena, & plurimis alijs. . . . libri plures.
De S. Ioseph Nutritio Domini simul cum Rosario & Missæ officio. . . . libri 1.
De Laude S. Annæ Genitricis Dominæ nostræ. . . . . liber 1.
De Laudibus S. Andreæ Apostoli. liber 1.
De Laudibus sancti Patris nostri BENEDICTI. . . . . liber 1.
Orationes diversæ ad Deū & sanctos. lib. 1.
Sermones in diebus Festis ad populum. lib. 1.
De Vita S. Rhabani Archiepiscopi Moguntini. . . . . libri 3.
De Ejusdem à Maguntia in Saxoniam Translatione. . . . . liber 1.
De Vita S. Maximi Episcopi Trevirensis. lib. 1.
De Vita S. Herminæ Virginis. . liber 1.
Compendium Vitæ Sanctorum. . liber 1.
In Regulam S. P. N. Benedicti Comment. lib. 2
Summula Virtutum. . . . . libri 2.
De Tentationibus Monachorum. . libri 2.
De Miseria Vitæ Præsentis. . . liber 1.
De Vitio Proprietatis. . . . . liber 1.
De modo Visitationis claustralium. liber 1.
De modo & forma celebrandi Synodum Ordinis. . . . . liber 1.
Statuta Capitulorum Provincialium Ordinis. . . . . liber 1.
Statuta Annalis Capituli Patrum Bursfeldensium. . . . . liber 1.
De modo & forma Annalis Capituli celebrandi. . . . . liber 1.
Meditationes Vitæ Christi. . . . liber 1.
Speculum cœlestis Doctrinæ. . . liber 1.

Opera Ioannis Trithemij.

De Institutione Vitæ Sacerdotalis. liber 1.
De triplici Regione Claustralium. libri 3.
Exercitium spirituale Monachorum liber 1.
Epitome Exercitij spiritualis. . . liber 1.
Orationes in Capitulis & alijs locis. 24.
De Miseria Prælatorum Claustralium. lib. 2.
Contra Vitium Proprietatis Claustralium liber 1.

De

De Laudibus Vitæ Monasticæ. . liber 1.
De Laudibus veræ Pœnitentiæ. . liber 1.
Monologium hominis DEO devoti. liber 1.
Sermonum sive Exhortationum ad Monachos. . . . . libri 2.
De ruina Ordinis Monastici Panticon. lib. 1.
Maximus Abbas de Incarnatione Domini translatus. . . . . liber 1.

Alia insuper plurima & scripsit ipse & transtulit, quæ posteritas videre, nedum habere, non meruit. Sed consulendi, qui ejus opera edidere in fronte librorum eorumdem. In Congregatione nostrâ & Archisterio Vallis umbrosæ è pluribus emicat eximiâ omnibus probatus sanctitate Beatus Homodeus Ariminensis patria, vero Homo DEO dedititissimus, & ut scriptura loquitur, cum DEO ambulans omnibus diebus vitæ suæ, in quo verè Spiritus DEI requievit, & ipse in DEO totum se perdidit, sibi sanctè mortuus, ut DEO soli viveret, de quo nonnihil in anno ejusdem obitus agemus. *Ex Monumentis Vallumbrosanis.*

B. Homodeus Vallumbros.

ANNUS IESU CHRISTI. M.DXII. sancti Patris Benedicti MXXXII.

INter viros Religione & doctrinâ Illustrissimos celebratur hoc anno in Ordine nostro Venerabilis Paulus Orlandinus, fama longè latèque notissimus, & relictis præstantissimis ingenij monimentis immortalis, Monachus Monasterij Angelorum Florentiæ, sanctissimæ Congregationis nostræ Camaldulensis sydus lucidissimum, qui contemplationis studio in sublime evectus, Theologum re & nomine dignissimum præ se tulit, & verè egit. Hic uti suis exemplo vitæ perfectioris multum contulit, ita nobilissimis scriptis posteritati consuluit, Ordinem nobilitavit, orbem beavit, è quibus sequentia præcipuè lucem spectârunt, & à viris doctis celebrata sunt.

V. Paulus Orlandinus Camald.

De Theologia separata. . . . . liber 1.
Dialogorum de Theologia. . . . libri 3.
De Theologia Mixta. . . . . liber 1.
Disputationum super Epistolam S. Hieronymi ad Paulinum. . . Lectiones 24.
Sermones duo & triginta & alia nonnulla.

Ejus ingenij monimenta.

Ut videas quam sit glorioſum & utile sanctitatis studio, etiam litterarum conjungere, cum ab illa admirabile gratiæ lumen, in ipsa transeat, scripta, ut nihil tale à semetipsa exigere queat etiam summa eruditio, quod sanctorum æquè atque eruditorum virorum, solet quam utilissimè seræ impertiri posteritati. *Ex diversis Rerum Camaldulensium scriptoribus &c.* Fuit memoria admirabili, ita ut 200. versus audiens, illico retrogredo ordine omnes recitando repeteret. *Ita ijdem.*

Monachum hoc ipso anno profitetur in celeberrimo & sanctissimo illo Monasterio Montis Serrati Joannes Cianones sive Clanonius, Gallus natione vir præstantissimus, qui beatæ memoriæ Garsiam de Cisneros jam mortuum non aliter quam vivum, suæ vitæ Magistrum elegit, ejusque libros mira volutans diligentiâ admirabilem Mirabilis Magistri se discipulum præbuit & comprobavit. Contemplationis sacrorumque Exercitiorum studio, eo progressus, ut Professor paulo post, ex discipulo evaderet; alioſque inter discipulos Igneum illum Ignatium, ferventissimæ deinceps Spiritu, Societatis JESU parentem & Fundatorem, & informaret felicissimè & inflammaret, de quo suo loco uberius dicetur. Trigesimum vitæ jam agebat Joannes, cum in sancto hoc Cænobio, se DEO & DEIparæ consecraret, verum tanta animi demissione & innocentia, ut non tam assimulatus parvulis, quâ lactentibus per omnia æqualis videretur, verè lacteus magnæ Matris Alumnus, hoc uno similis grandioribus, quod tantillus sibi semper visus, tanto tamen passu, tantis in sacræ professionis Progressibus, se ipsum superaret, alios provocaret, exemplar statim factus rarissimi vitæ rigoris, abstinentiæ, vigilantiæ, seriæ pœnitentiæ, humilitatis, cæterarumque virtutum solidè Heroicarum. Fuitque in hoc non solum Archisterio, sed ampliſſima jam & spectatissima per Hispanias Congregatione & reformatione, pulcherrimum inter omnes certamen, stupente ad hoc spectaculum Regno universo, applaudente cœlo, cum quisque alterum laborum tolerantia, observantia rigoris Monastici, singulari erga DEIparentem studio, & observantiæ contestatione, non tam post se relinquere, quam currentem concitare videretur, ipsâ Cœlorum Augustâ si unquam alias, tantæ sibique devotissimæ Domus sese verè

V. Joannes Clanonius Gallus.

Vita mira innocentia.

Montis Serrati celebritas.

Matremfamilias prodente, & grandibus prodigijs, eodem universos fideles invitante, Majestatemque suam, & apud filium auctoritatem prodente. *Ex Chronico Montserratensi, Antonio de Yepes, Annal. nostr. Benedict.*

Gerlacus de Breitbach Abbas Tuitiensis.

Moritur hoc anno Insignis Reformationis in Germania promotor Gerlacus de Breitbach, genere atque religione spectatissimus, Abbas S. Hereberti Tuitiensis cui haud impari Disciplinæ propagandæ studio Henricus Horstius succesſit, ut cum vel maximè omnia in sæculo in præceps ferri viderentur, Benedictinus passim Vigor Virorque se proderet, & nobilissima quævis Cænobia, juventute Aquilæ renovari viderentur.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XIII.
Sancti Patris Benedicti. M.XXXIII.

Cistercienſium fervor.

FErvorem hunc Nigrorum, æmulata candidissima Ordinis nostri Reformatio, Cistertiensium in eodem Regno Hispaniæ Congregatio, quæ sæculum superius novo exortu sub annum Christi millesimum quadringentesimum quintum & vicesimum illustraverat, à Monte Syon cognominata, recentibus sub hunc ipsum annum flammis re accensa, etsi nunquam non splendide arsisset, pia tamen & laudabili æmulatione nunc flagrantior, germana Nigrorum, magna BENEDICTI parentis gratulatione, sancto Zelo cum germana contendit, pulchro certamine, cum vinceret utraque, neutra vinceretur. Juvat ex Henriquezio pauca afferre, quam studuerint olim, studeantque hodie, sanctæ hujus Reformationis filij acuratè sanctissimi sui Patriarchæ Benedicti Regulam observare. In Monasterijs, inquit, multa cum Reformatione vivunt, semper silentium servant (NB) unum solum in hebdomade habent diem, quo liberè loqui licet post refectionem, & in campos ad deambulandum exire. Quod tamen nunquam in Quadragesima vel Adventu conceditur, tunc enim temporis continua mortificatione & pœnitentia se exercent. Vestiti & cincti, juxta Regulam, dormiunt, nec Caligas exuunt. Eorum jejunia sunt frequentia & assiduæ mortificationes & disciplinæ, quibus passiones domant. A sanctæ Crucis Festo, quod in Septembrem incidit, usque ad Pascha Ordinis jejunia observant, nec cænant, nisi Dominicis diebus, quando ova eis dantur, nam semper per annum in cœna carnibus abstinent, & ter solummodo in septimana carne vescuntur: idque ideo permissum, quod difficulter pisces in Castellæ provincijs reperiantur. Clausura eorum notatu digna, nam semel tantum in triennio Monasterio exire licet: dumque ibi sunt, cubiculis exire & per domum vagari vetatur, nisi eundo ad Chorum. Quotidie labore manuum exercentur, vel fodiendo hortum, vel lapides ad ædificia portando, vel alijs laboribus & exercitijs se occupando: dumque operantur, omnes simul capitibus tectis laborant, nec verbum quidem proferentes, ita ut solus instrumentorum strepitus, & ne verbum quidem inter homines audiatur. Idque non parum admirationis, eorum Monasteria visitantibus adfert, quod ratione habita recollectionis, & silentij ibi servati, videantur intra illos muros clausi, non homines vivi, sed corpora mortua. Et sanè sic se res habet: jam enim rebus humanis mortui sunt, quasi in mundo non viverent, sed in desertis his sepulti jacerent. Hospites singulari humanitate recipiunt, secundum Regulam, & post orationem in templo habitam, omnia necessaria in domo Hospitum, liberaliter præbent. In qua hospites una comedunt, & religiosè tractantur, nullo tamen in cibis permisso excessu, nec profano colloquio in congressu. Potius Hospites multum ædificantur, dum humanitatem, charitatem, modestiam, & virtutē, quâ excipiuntur, animadvertunt. Si hospites fuerint Religiosi, in Refectorio aliquando comedunt, & tanquam veri fratres tractantur. Nec propter strictam, quam profitentur clausuram, proximorum utilitati consulere desistunt, sed magna sollicitudine populū docere student virtutis semitā, & à vitijs & peccatis avocare, quibus se implicare solent, qui mundum amant, ejusque vanitates & delicias sectantur. Hac de causa, ex solitudinibus, quibus clauduntur, profecti in civitates & vicos, amore Divino accensi, Verbum Dei annunciant, populi confessiones audiunt, sanctisque admonitionibus, & gra-

Modus vivendi sanctissimus

Exercitia quotidiana.

Hospitalitas Benedictina.

Clausura strictior.

Fructus Contemplationis.

gravibus verbis, quam plurimos, ad propriæ miseriæ cognitionem adducunt, &c. Evidentissimi sunt effectus, qui sanctum hoc exercitium consequuntur: nam & ipsi Religiosi Divinarum rerum contemplatione, exercentur & sufficienter in Divinis litteris instruuntur. Habent hâc de causa in Regnis Castellæ & Galletiæ Philosophiæ & Theologiæ scholas, ubi Monachi non litteris solum, sed bonis etiam, & sanctis moribus informantur. Sunt ibi Abbates & Priores alijque officiarij Abbatum & Monachi qui Chorum frequentant, & pro temporali regimine sunt solliciti. Studiosi mane hora tertia surgunt, omnesque simul in Ecclesia contemplationi vacant: indeque ad Studia, cubicula sua repetunt, totumque diem in studijs transigunt; sic, ut nec media hora in otio transigenda supersit. Omnes summæ Missæ, Salutationi Divæ Virginis Vespertinæ, & contemplationi post completorium intersunt &c. Ex his Collegijs eminentissimi prodeunt viri, qui postea publicè professi sunt, & profitentur Theologiam, non solum in Ordinis Collegijs sed & in Universitatibus; quorum multi per universam Hispaniam celeberrimi extiterunt, &c. Maxima est uniformitas, quæ in omnibus hujus Congregationis Monasterijs observatur; nam nec victu, nec amictu, nec cærimonijs & conversatione inter se differunt: sed omnes, quamvis in diversis agant provincijs, eumdem servant agendi modum, & similem disciplinam. Bona sunt communia, ditiores enim Abbatiæ pauperiores juvant, & particulares necessitates, communes habentur. Hincque Religiosos habent, quos Procuratores Generales nuncupant, qui Madriti, Vallisoleti, Conimbriæ & Romæ, omnia Monasteriorum negotia, totius Congregationis expensis, procurant: hincque omnes contribuunt, quo commune Monasteriorum bonum conservetur & promoveatur. Mutantur & ablegantur Monachi ex uno in aliud Monasterium, prout Superioribus visum fuerit expedire. Quod omnino necessarium, tum ad Monachorum consolationem, tum ad unitatem & Monasticæ disciplinæ conservationem, videtur &c. Mittuntur & Religiosi in Infidelium Regiones ad Evangelium annunciandum; unde maximus consequutus est fructus, præsertim in Hybernia, ubi insignes & Apostolicos habuimus viros, qui innumerabiles homines ad fidem Catholicam converterunt &c. *Jta Henriq. libro* 11. *fascic. dist.* 15. Ut quivis facilè animadvertat, quantum hæc unica, sed amplissima Congregatio, nequissimo hoc sæculo præstiterit, & quid horum exemplo, & pia æmulatione aliæ quoque Congregationes molitæ sint, Divi Benedicti Spiritu semper magis ac magis suos animante, & ad altiora promovente, uti deinceps videbimus.

Litterarum studia florentissima.

Professores celeberrimi.

Procuratores Generales.

Missiones Apostolicæ.

Agit de eâdem Congregatione Aubertus Miræus scriptor meritissimus, nostrarumque rerum, ut in suis ad nos datis litteris & aliàs sæpè prodidit, indagator solertissimus. *Habet hæc Congregatio*, inquit inter alia, *varia Collegia Philosophica & Theologica, in quibus Monachi optimis disciplinis ac moribus imbuuntur, quod exemplum utinam Galliæ ac Germaniæ nostræ æmularentur* [& vero hodie multa strenuè æmulantur] *hoc præsertim tempore, quo tot Hæreticorum phalanges, Ecclesiam Orthodoxam undique impugnant. Inter alia Collegia Hispaniæ, eminent Complutense, quod ea in Academia Ludovicus Strada Abbas Hortensis fundavit; itemque Salmanticense, titulo Beatissimæ Matris Virginis Lauretanæ clarum. In utraque Academia plurimi sunt ex Ordine Cisterciensi* [similiter & Cluniacensi] *Doctores ac professores Theologiæ celeberrimi, quos Cathedraticos vocant, plurimi item concionatores facundissimi, ex istarum Academiarum aliorumque locorum Gymnasiis quotidie, magno Fidelium, nec minore Religiosorum commodo atque ornamento.* Ita Miræus.

Hæresum debellatores.

Neque satis, quos jam non semel laudavimus, Camaldulensibus nostris, communem Regularis vitæ ac viæ tramitem tenere, nisi novo fervore simulque rigore nova & maiora auderent, & ad altiora enitterentur. Ita hoc ipso anno, æterna cum sæculi hujus gloria, Ordinis & Ecclesiæ universæ bono, beatus Paulus Justinianus Venetus aggressus est, & novam ejusdem sanctissimæ Congregationis Reformationem instituit; cui plurimi deinceps, non tam nomine, quam factis ipsis subscripsère, incomparabili paulo post

V. Paulus Justinianus Reformat Congregationem.

fructu subsequente. Js illustrissima Justinianorum gente, apud Venetos ortus, Patre Francisco Justiniano, matre Paula de Maripetris editus, summa omnium admiratione, delicatissimus etiamnum adolescens, summæ Vitæ rigorem Camalduli professus est; quo in Archisterio, rarissima vitæ excellens sanctitate, plurimos ad sui imitationem, è mundi periculis, in portum securissimum Religionis pellexit, & ab interitu vindicavit. Quos inter Petrus Quirinus: Patricius Venetus, non minus eruditione quam Generis splendore spectatus Hebraicæ, Græcæ & Latinæ linguæ peritissimus, haud vulgaribus, autequam Monachum profiteretur Legationibus pro Republica perfunctus, qui Paulo nostro in Ordinis Reformatione, egregiam etiam operam navavit. Jta novum rursus lumen, ex Ordine nostro Italiæ affulsit, & Congregatio nostra Camaldulensis primævæ reddita sanctitati, exempla perfectionis eximia, omni, sequuturæ deinceps posteritati, utilissimè submi-

Petrus Quirinus vir sanctus & eruditus.

nistravit *Ex Luca Erem. Romualdinis &c.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XIV.
Sancti Patris Benedicti. M. XXXIV.

PLures ex Ordine nostro, Cænobijs, etsi vel maximè reluctantes, extracti, ob eximia Vitæ merita, & super candelabrum positi magno cum Ordinis honore, nec minore diversarum Provinciarum utilitate, summo Regnorum diversorum, & Ecclesiæ Catholicæ plausu & ornamento, Episcopatus diversos, sanctissimè atque utilissimè administrarunt. Eos inter, hoc maximè anno excellunt: Reverendissimus & Jllustrissimus Antonius Boherius [de Bohier] Austremonij Baronis de Sainct. Cierque, ex Berarda Antonij Cardinalis à Prato sorore filius, ex Monacho celeberrimi Cænobij SS. Trinitatis Fiscanensi, Bituricensis Archiepiscopus, Galliæ Primas [idem jam ante, ob insignem virtutis famam, varijs honoribus cultus, muneribus honoratus] summo omnium plausu creatus; & Fr. Ludovicus Mendez, ex Monacho sancti Dominici de Silos; Episcopus Sidoniæ renunciatus. Jdem Abbas perpetuus prædicti sui Cænobij confirmatus, meritissimus sanctæ Hispanicæ Reformationis propagator, *Claud. Robertus, Joan Chenu. Anton. de Iepes Chron. Benedict. Alph. Ciacon & alij.*

Antonius Boherius Archiep. Bituric.

Ludovicus Mendez Episcopus Sidoniæ.

Extinguitur hoc eodem anno, haud vulgare Ordinis ornamentum, Joannes Raulinus, Universitatis Parisiensis Doctor & Professor clarissimus, Concionator Regius, sanctissimi illius, & innumerabili sanctorum frequentia toto Orbe famosissimi Archisterij Cluniacensis in Majore Burgundia Cænobita Religiosissimus, Prior S. Dionysij Noganti, *Epistolis & sermonibus editis*, teste Claudio Roberto, celeberrimus, cujus eximia erga Deiparam, Cœli Reginam, Benedictini Ordinis Dictatricem devotio plurimum commendatur; ut & erga Parentem suum communem Religiosorum Patriarcham Benedictum, cujus laudes insigni studio & industria celebravit, multumque Ordini in conquirendis Antiquitatibus contulit. Decessit autem sepultusque est Parisijs in Collegio Cluniacensi 16. Februarij hujus anni M. D. XIV. scripsit autem, præter multa alia, typis necdum vulgata Libros sequentes:

Joannes Raulinus vir doctissimus.

Sanctè extinguitur.

Sermones Quadragesimales. . librum 1.
De Adventu Domini nostri. . librum 1.
Doctrinale de Triplici morte, Naturali, Culpæ & Gehennæ. . . . librum 1.
Itinerarium Paradysi. . . . . librum 1.

Ingenij monumenta.

Qui omnes Venetijs typo excusi in lucem prodierunt anno Christi. 1585.

IESU CHRISTI ANNUS M. D. XV.
Sancti Patris Benedicti. M. XXXV.

ITerum alia Reformatio, multo bonorum plausu, summâ Redivivi in suis filijs Benedicti parentis gloria instituta, & mox latius propagata, quâ amplissimum illud, Insulæ verè sanctæ Lerinensis Archisterium, cæteris plurimis exemplo & incitamento restitutum est, sub Augustino Grimaldo Abbate, multis deinceps ejusdem propositum, & conatus, pio Zelo & æmulatione Generosa consequentibus. Placet ex Vincentio Barrali nostro, pauca de felicitate sacræ illius Insulæ cognoscere, ut sanctissimo Patriarchæ nostro atque ejusdem Ordini, pro ejusdem possessione & tanto post Spiritus resuscitatione promptius & plausibilius gratulemur. *Est igitur*, inquit, *nostra felix Insula Le-*

Iterum Redivivus in suis Benedictus.

rinen-

Deformatio Lerinensis.

rinensis, parva [à Strabone Planasia dicta] sed plano schemate, formoso delectabilique, ac si penicillo quodam solertis industria Magistri efformata foret, figura ovali, oblongaque, angulos habens acutos ad Orientis & Occidentis plagas positos, duo vero latera Septentrionem, & meridiem respicientia. Hujus circuitus ad duo millia ascendit passuum, circumfuso aëre apcrto & salubri, dulci gratoque aspectu per gyrum continentis portuum Civitatum Castrorum Montium vastique maris gaudet: Æquoreis fluvialibusque squamosis piscibus abundans, ramosisque arboribus ac arbustis, & omni fere plantarum sponte nascentium & satarum genere fertilis, & facunda aliis hirsutisque pinis, tremulis triumphalibusq; palmis, pinguibus, paciferisq; oleis, victricibus lauris, quam solam non percutit fulmen, cyparissis mœstis, paphia, myrtho redolente, infinitisque penè aliis arbuscults lætis, genista, lentisco, brucho cadie & herbis dives fulget humus, semper vario vestita colore, & grato juxta odore florum spirans. Habet autem, nedum antiquissima verum etiam venerabilia cuncto Orbi ac votiva Sacella, & Monachorum Claustra silentia, inestque in ipsius Insulæ medio, Ecclesia sanctæ DEI Genitrici solemniter dicata. Tum Ecclesia major sancto Archiflamini & primo suo Fundatori Honorato consecrata. His annexa manet Capella sancti Patriarchæ nostri Benedicti, juxta quas Claustrum & vetus Refectorium, omnia ex dolatis lapidibus. Circa gyrum insulæ, viæ stratæ ad peregrinorum solamen visitantium oratoria sanctissimæ & individuæ Trinitatis, SS. Martyrum Cypriani & Justinæ, Beatissimæ Transfigurationis Domini Salvatoris nostri JESU Christi, S. Caprasij Confessoris, sancti Apostolorum Principis Petri Lirinensium Protectoris, S. Porcary Abbatis & quingentorum eoque amplius Monachorum Martyrum, qui hanc Insulam proprio effuso cruore consecrarunt &c. Appellatur autem & honoratur hæc Insula, ob insignem longo decursu sæculorum sanctorum illic degentium ferquentiam, amplissimis Titulis â sanctis Patribus, Hilario, Cæsario Areletensi, Sidonio, Ennodio, Honorato Massilicnsi, Fausto Rhegiensi alijsque: ut dicatur. & sit [sitientibus vitam æternam] Acies instructa Prælijs, Admirabilis consuetudo. Advearium mellis. Ara sacrificij. Beata Insula. Benedicta terra. Consecrata habitatio. Commendata congregatio. Comprobata Institutio. Caminus humiliationis & agonis. Castra Dei. Celebranda tellus. Cohors Sanctorum. Desertum Lerinense. Dulcis locus. Dulce solamen. Domus Dei dedicata dedicata. Eremitorium Lerinense. Exercitus sanctorum. Fœcunda, felix, felicior, felicissima mansio. Fines Gallicani. Gloriosa Civitas. Hierusalem superna. Horreum Vitæ. Insula Lerinensis marina, sacra, plana, parva, lætans, pollens, illustris, locuples, utilis. Ignotum exilium. Interior umbra & domus. Inimica adversario. Latebra sanctorum. Latibulum illuminatum. Mensa Christi. Mons Lirinensis. Mansio in Christo viventium. Nutrix Sanctorum. Navis Lirinensis. Ovile Dominicum. Porta Cœli. Palæstra Eremitidis. Congregationis. Paradysus terrestris. Quies piorum. Religionis exemplar. Secretum oportunum. Schola Christi. Stadium Insulanum. Sedes remota. Speculum sanctimoniæ. Sinus tranquillissimus. Templum sanctum. Mirabile Insulanum. Sacrum Monasterium. Umbraculum Monachorum. Mari simile, quod vivos retinet, mortuos reijcit &c. Et hic demum, abjectissimo hoc sæculo, locus, suo restitutus splendori, haud immerito sibi redditus, alia quoque omnia in novum fervorem succendit. Excitato novo ibidem, imo primævo resuscitato spiritu, cooperantibus tot sanctorum illic sepultorum millibus, qui in loci incolis, reviviscere visi sunt; & locum de novo sanctis actibus consecrare.

A sanctis Patribus laudata Insula.

Insulæ Lerinensis descriptio.

Ecclesiæ variæ & Sacella.

Floria sanctissima Insula.

Extrahitur Cænobio alius rursum in Gallia Monachus, & Claromontanæ Diœceseos celebri Cathedræ imponitur P. F. Jacobus de Ambasia [d'Amboise] Cænobiticam in gemmeo illo Gemmeticensi professus Archisterio, inde Abbas Cluniacensis illius sanctorum Promptuarij felicissimi, optimè meritus, & plurimis jam honoribus, magna cum laude gestis, ac muneribus perfunctus gravissimis, qui vix adito Pontificatu, demereri Ecclesiam magno animo aggressus, nobile omnino monimentum sui Regiminis statuit, dum Cathedralem exornans Basilicam

Jacobus de Ambasia Episcopus Claromontanus.

licam totam plumbo texit, sibique subjectis multo nomine consulens, vitæ cum primis exemplo facem omnibus prætulit... *Vid. Rerum Gall. Script. Claud. Rob. & alij.*

IESU CHRISTI ANNUS M.D. XVI. Sancti Patris Benedicti M.XXXVI.

MAgnum omnino Sydus, & splendidissimum quidem, Germaniæ nostræ extinguitur. Moritur, immortalis meritorum copia & felicitate, Abbas noster Joannes Trithemius, vir sæculi hujus ingeniosissimus plane & eruditissimus; Benedictini Ordinis Zelator fidelissimus, Reformationis promotor præcipuus, studiorum Restitutor solertissimus, nunquam sine reverentia nominandus. Is quantumvis â diversis & maximis Germaniæ Principibus in familiam, & familiaritatem, etiam ambitiosissime & certatim expeteretur, Monastici tamen Instituti tenacissimus, nec ab ipso quidem sui longè amantissimo Divo Maximiliano I. Jmperatore Augusto persuaderi potuit, ut Aulam Cæsaream, favoresque & gratiam tanti Cæsaris cellulæ suæ præhaberet, hanc omnibus mundi divitijs & illecebris potiorem habuit, animitus dilexit, suisque omnibus mirifice commendavit. Vir, quem merito suo, dignis honoribus ac titulis, nisi ipsus respuisset, & pro virili aversatus esset, Principes maxumi evectum & excultum voluere, & Joachimus inprimis Sacri Rom. Imperij Elector Brandeburgius extulit, dum in litteris ad ipsum datis, ita denique illum compellavit: *Vale Germaniæ decus, totiusque arca sapientiæ, mei memor ad DEUM, & amans, quia Te vehementer amamus.* Jn ipso *Ridivivum Benedictum*, & primævum Ordinis resuscitatum Spiritum, nemo dubitaverit, qui Commentarios ejusdem in Regulam, sermones in Generalibus Capitulis habitos, & alia sacra scripta legerit, adeo omnia Divini Pneumatis dictata referunt, ut in hoc genere inmullo maximis Ecclesiæ Doctoribus cessisse videatur adeo ponderosè graviter simul & suaviter animos Religiosos afficit, ut revera non Hominis, sed DEI verba & dictata agnoscas, & merito tanto post sæpius Reformatissimis Cænobijs ad mensam, & alias magno cum Fructu, summaque omnium admiratione & approbatione audiantur. In Historicis non nemo arrogantius quã prudentius tanto viro Fabulas imputans, ipse prudentioribus Factus Fabula, dignas temeritate pœnas dedit. De ipso longè aliter Gaspar Scioppius, rigidus cæteroquin, rerum censor, vir eruditissimus: *Trithemio rectè fidem haberi, nemo æquus & intelligens negaverit. Nam is fuit vir gravissimus, & partim in regimine Monasteriorum, partim in Theologicis & Philosophicis studijs, præcipueque in arcanis naturæ indagandis occupatissimus, ut cum comminiscendis novis Genealogijs nequaquam vacare potuisse planum sit. &c.* Et paulo post: *Non ego quidem*, inquit, *quæcunque in Historia scripsit Trithemius, vera esse, aut credo, aut alijs persuasum volo. Nam & alicubi eum dormitasse, aut oscitasse, aliasq; res egisse agnosco, & in loco alienæ fidei, simpliciter credidisse intelligo. Sed hæc humana sunt, facileque veniam sibi ab omnibus bonis inveniunt. Illud autem nullum excusationi locum relinquit, falsa scientem volentem litteris prodere, & auctores; in quibus ea inveneris, comminisci: cujus culpæ dicam, periculum non est, nequis Trithemio impingat, qui hominem ex libris suis, pernoverit. Plurimos enim Scriptores, qua sacros, quæ profanos ab eo visos esse, ac lectos constat, quorum hodie nullum usquam vestigium invenitur, postquam scilicet Agricolarum, Lutheri doctrina efferatorum, tumultibus, benè magnam Germaniæ partem turbari, multaque Monasteria & arces cum Bibliothecis, & tabularijs suis, expilari, cremari, funditusque everti contigit. Magnæ ergo*, pergit, *imperitiæ & iniquitatis est, siquid se Trithemius in veteribus, & idoneis rerum Auctoribus, legisse dicat, quod apud eos non extet qui hodie sunt in manibus, id continuo falsum, & commentitium judicare &c.* Idem ferventius alibi, contra protervius insultantem: *Reliquum est*, inquit, *ut Trithemium ingenio ad fingendum, & sarcinas lectoribus imponendas, natum, aut multo studio factum fuisse insimulet &c Hoc autem cui persuasurum se speret, ipse viderit; quemadmodum etiam, quomodo hanc judicij sui temeritatem Christo Iudici probaturus sit &c.* Ut hinc facile animadvertas, quanta temeritate manus in Christum Domini iujecerint scriptores & calumniatores illi, qui tantis nomi-

Joannes Trithemij obitus.

Honorum omnium contemptor.

Redivivus in ipso S.P. Spiritus.

Commentarius in Regulam.

Fides & Auctoritas Trithemij.

Defenditur contra Zoilos.

Magna injuria tanto viro illata.

nomine Religione & meritis virum, ob editum Stenographiæ opus subtilissimum in suspicionem non solum Magiæ vocare ausi sunt, sed & publicè damnare, libróque omni dignos æternitate, omnium gentium admiratione & veneratione, ipsiusmet tanti Præsulis sanctissima scriptos manu, ignominiosissime exurere, quorum tamen gloriosissimum omnino Vindicem egit, & assertorem integritatis Trithemianæ serenissimus ac potentissimus Princeps Dominus Dominus Augustus D. G. Dux Brunsuicensis & Lunæburgensis, Princeps eruditissimus, & libris novem ignorantiam illam Censorum adeo temerariorum Orbi universo prodidit, & sanctissimæ memoriæ Principi Ferdinando II. Jmperatori Augusto anno Christi M. DC. XXIV. dedicavit, sub hoc Operis Titulo:

Vindicem verè Augustum agit Augustus Dux Brunsuicensis.

GUSTAVI SELENI.
CRYPTOMENYTICES ET CRYPTOGRAPHIÆ Libri IX.
In quibus & planissima
STEGANOGRAPHIÆ
Á
Joanne Trithemio Abbate Spanheymensi & Herbipolensi, admirandi Ingenij viro, magicè & ænigmaticè olim conscriptæ
Enodatio Traditur.

Serenissimi Ducis laudatissimus conatus.

Insperfis ubique Authoris ac Aliorum, non contemmendis inventis.

Meruimus ipsiusmet serenissimi Principis dono opus præfatum, nec fine magna animi consolatione, de tanto Nominis & famæ Tanti Abbatis Assertore gratulabundi, in frontispicio libri tabellæ cupreæ inciso, quantum Trithemio deferret Dux & Princeps tantus, facilè animadvertimus, cum Ipse stans á tergore sedentis, & scribentis tanti ingenij virum, meritissimumque honoraturus caput, huic Ducalem suum pileum sive cidarim imponeret; summa revera Veneratio nis contestatione, & memorabili litterarum & litteratorum omnium Mecœnatis, illorum tantopere colendorum exemplo, potentissimo illos confundere, qui sæpè de viris doctissimis & meritissimis, stulta & temeraria indebitæ sibi gloriæ ambitione, nequissimè detrahere non erubescunt. Vivit & vivet æternùm Trithemius, non in perenni solum eruditorum memoria, sed vel maximè in Religiosorum omnium pectoribus; *Redivivus* quotidie in suis exhortationibus, neque Redivivus solum, sed & resuscitans, & resuscitaturus deinceps innumeros ad novam & sanctam Vitæ Reformationem; de quo tanto Præsule & Exhortatore merito sibi totus Benedictinus Ordo gratulatur. Evocatur ad superos B. Nicolaus de Prato, Conceptionis Jmmaculatæ Assertor mirificus, revelato sibi obitus diequem & disertè alijs prænunciavit. Jpso anno Vitæ etiam cursum implet & communem mortalium viam ingreditur Petrus Gouffier Abbas S. Dionysij Parisiensis, frater. Arturi magni Franciæ Magistri Adriani Sacræ Rom. Ecclesiæ Cardinalis Guilielmi Admiralij, & Aymardi Abbatis Cluniacensis Episcopi Albiensis mortuus 8. Januarij cum non nisi duodecim annis præfuisset.

Magna Trithemij tanto post gloria ob tantum Assertorem.

Petrus Gouffier Abb. S. Dionysij Parisiensis.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XVII.
Sancti Patris Benedicti M. XXXVII.

IN Jtalia admirabili effulget vitæ sanctitate Venerabilis Maria Catharina Brugora Monialis Monasterij S. Margaritæ Virginis & Martyris Mediolani, Congregationis Casinensis; nata in eadem Urbe anno salutis partæ millesimo quadringentesimo octuagesimo nono, Patre Bartholomæo Brugora, Matre Leonora Bolla, in cujus etiamnum infantia, stupenda omnino signa se prodidere futuræ sanctitatis, & tanta quidem, ut in tenella ætate, altera quasi Catharina Senensis, in vita reliqua [teste Francisco Rugiero in libro Vitæ ejusdem Brugoræ approbato] ob creberrimas & Cælestes revelationes altera Brigitta, ob raptus atque extases, altera Catharina Rizzia Florentina; ob vitæ asperitatem & juges corpusculi mortificationes, altera S. Paula á S. Hieronymo tantopere celebrata; ob suam cum Angelo Custode familiarem consuetudinem altera S. Francisca Romana haberetur. Ut in hac Redivivam Benedicti Patris sororem scholasticam, restitutum primævum Benedictinarum Virginum & Viraginum Spiritum, ac minimè abbreviatam DEI manum, eruditissimo hoc sæculo merito suspiciamus; & cum

B. Catharina Brugora monialis Mediol.

libri

libri Authore in illa Claudiani consonè prorumpamus:

Quæ spargantur in omnes
In Te [ô Venerabilis Brugora] *mixta fluunt & quæ divisa beatos*
Perficium collecta tenes.

DEUM autem ter Optumum Maximum, in hac electissima sponsa sua toto corde & animo magnificemus, & veneremur... *Ex Vita citata.*

Petrus Quirinus Camald.

Inter præclarissima, hoc etiam anno sydera Ecclesiæ, & Benedictini Ordinis columina referendus Venerabilis memoriæ Petrus Quirinus, ex Patricio Veneto sanctissimæ & florentissimæ Congregationis Camaldulensis Monachus, de quo supra, sub hoc modo tempus, propter egregiam Vitæ sanctitatem & doctrinæ eminentiam invitus admodum & reluctans â latere Beati Pauli Justiniani meritissimi Camaldulensium Reformatoris abreptus, & ad exornandum Eminentissimum Patrum Purpuratorum Sacræ Rom. Ecclesiæ Cardinalium senatum è Cœnobio extractus, & Cardinalis renunciatus incomparabile tanti Honoris ipsius ornamentum; inter tot mortalium applausus sibi miserrimus visus & vilissimus, adeo Monachici rigoris tenax, ut eo ipso, quod ad Tantæ Eminentiæ culmen raptus esset, majore etiam conniſu ad ardua virtutum sibi enitenduma arbitraretur, suspectissimam habens mundi gloriam, & ipso purpuræ contuitu expavescens necdum ad sanguinem usque se pro Christo ejusque Ecclesiâ laborasse. Et mirabili exempio cæteris Patribus Purpuratis fuit, exemplar veri & solidi Ecclesiæ Romanæ Cardinis, cujus contuitu Christi fideles omnes salubriter moverentur, & Romani inprimis Proceres sacræ purpuræ dignitatem & æstimare nossent, & venerari. *Ex Romualdinis Monim.*

Fit S. R. E. Cardinalis.

Speculum omnium Cardinalium.

Antonius Boherius & ipse fit Cardin.

Eodem anno, ad parem Cardinalitiæ dignitatis honorem Romam evocatus est Antonius Boherius noster ex Gemmeticensis Cœnobij Monacho Bituricensium meritissimus Archiepiscopus & Galliarum Primas, qui idem Eminentissimum Orbis Christiani Collegium egregiæ Virtutis fama & exemplis, non minus quam Quirinus ante dictus, honorabile reddidit; omnesque numeros veri Cardinalis, & Christianæ Reipublicæ consulis explevit. Ut nihil porro sit, quod ad hujus anni splendorem desideres, imo habeas quæ sufficiant, ad totius sæculi præsentis ornamentum, sequuturorum exciramentum.

IESU CHRISTI ANNUS S. M.D.XVIII.
Sancti Patris Benedicti. M.XXXVIII.

NE cui Regnorum seu Provinciarum cederent Galliarum, amplissima Regna ibi se vel maximè Benedictus prodit Redivivus, primævus exerit Benedictinus Spiritus, non unâ, ut supra memoravimus, Lirinensi Insula, conclusus, sed per amplissimas tanti Regni oras effusus, atque intima ejusdem viscera complexus, neque viris solis, sed & tenerrimis Virginibus, viriliter fortia aggressis, & primævum Ordinis rigorem sponte resumentibus, eo rerum successu ut Rex etiam ipse tanta Religiosorum, & Religiosarum inprimis Virginum sancta Generositate accensus, ijsdem omni modo consultum cuperet, & Reformationi gratiosissimè faveret. Et vero licet in plurimis Galliarum Cœnobijs, ea diligentia & cura superiorum, res ita fuerint constitutæ, ut nullus omnino in disciplina Monastica defectus appareret, eaque inter Cœnobium Illustrissimarum Virginum sancti Petri Remensis, â S. Clotilde Galliarum olim Regina exstructum, & â sanctis Balderico ejusque sorore Bona restauratum, ab incredibili studio observantiæ Regularis omni tempore commendatum fuerit & celebratum; provocatum nihilominus sub hoc tempus, recentibus è cœlo flammis multorum accendentibus corda & novum fervorem concitantibus, Religiosissimorum Virorum & Virginum, exemplis & studijs, nulli omnino talium sacri rigoris ultronea ex ambitione cedendum censuit; & in hoc ipso generosissimè & gloriosissimè elaboravit. Cooperatus strenuè Reformationis negotio fuit Stephanus de Poncher, Juris olim Pontificij & Jmperatorij Interpres celeberrimus, atque in amplissimo Galliarum Senatu Præsidens, ex Procancellario Franciæ Archiepiscopus Parisiensis, Benedictini Ordinis amator & Zelator singularis, cui electo gratulatus Joannes Raulinus noster,

Virginum cum viris pia æmulatio.

S. Petri Remensis Illustrissimum Cœnobium.

Stephanus de Poncher Promotor Ordinis.

ipsum

ipsum vocat: *Virum gemina pollentem scientia, Vitæ & doctrinæ, & vere Sanctum Patrem &c.*

Js tantâ sedulitate promotum etiam apud Moniales Reformationis salubérrimum propositum, voluit, ut in eundem finem, sapientissima statuta conderet, eaque Monialibus transmitteret, & sollicitè commendaret. Nec minus in hoc ipso Robertus de Lenoncour Archiepiscopus Remensis, Galliæ Dux & Par, idemque sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalis laboravit; & ad tantũ opus Beatæ memoriæ Jaqueslina Domina de Grandi-Prato, prædicti Monasterij S. Petri Remensis meritissima Abbatissa se se ultro obtulit, & impetratâ ab Archiepiscopo Cardinale licentiâ, ad ferventissimum sacro rigore & novo Reformationis fervore Monmartanum Cænobium, tanquam novitia Tyruncula sese contulit, & per decem & octo menses ibidem commorata, hocque anno ad Cænobium suum reversa, exemplar omnibus perfectæ disciplinæ facta, non solum sibi creditas omnes ad solidum perfectionis studium accendit, sed percrebrescente quamprimum tam sanctæ Reformationis famâ, Cænobia longè latéque plurima ad pares conatus concitavit, ut quo magis Hæreses paulatim serperent, tanto magis licentia hominum, sacro infirmissimi sexus robore in tam rigido proposito, confunderetur, pluribus deinceps inter immensas Hæreticorum injurias Generositatem suam tantopere probantibus, sanctóque nihilominus proposito insistentibus, ut privitivæ Ecclesiæ Martyribus meritissimo jure possint & debeant accenseri. *Ex monimentis S. Petri Remensis, & R. P. Amando Tribout Priore Deruensi.*

Jngens Virorum sanctissimorum nec non doctissimorum, in Congregatione nostra Montserratensi & Valisoletana numerus, & mirandum sanè ac penè incredibile videretur, si præsulum in hac Reformatione tam nova hoc ipso anno viventium Syllabum pertexeremus, ita cum rariore vitæ sanctitate, omnes omnino litteris sacris atque humanis exercitatissimi, eruditionem conjunxêre. Jn solo revera Montserratensi Archisterio, quamvis vix esset, qui sancti viri nomine atque fama non celebrarentur, excelluit tamen ante alios Beatæ memoriæ Frater Petrus Munoz, dignissimus Garsiæ de Cisneros Successor in tanti tamque Deiparæ chari regimine Cænobij; idem strenuus novi rigoris, imo potius restitutæ vetéris disciplinæ propagator. Mariani cultus & devotionis promotor ferventissimus, cujus utinam glorioſissima vitæ gesta, ut & aliorum ejusdem Collegarum pro ædificatione & salutari posterorum exemplo, Patres Montserratenses in lucem proferri paterentur! Nec minore commendatione digni in eodem Archisterio R.R.FF. Franciscus de Turre, Petrus de Burgos, Joannes de Bartholina, de quorum singulorum Vitæ rationibus, anni integri non solum, sed tota volumina implenda essent, atque utinam â nobis toties interpellati, tanto post annuerent prædicti Patres, ut quod suo nolunt calamo, juxta illud Proverbiorum cap. 27. *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua*; alieno saltem, absque jactantia fieri consentirent.

Jpso anno hoc rursùm è nostris sibi Episcopum Galli expetunt, & pro vitæ meritis ex Cænobio S. Benigni Divionensis extrahunt Renatum de Breschia Constantienses in Normannia cathedrales Canonici, cathedræque suæ imponunt, Pontificem per omnia dignum etiam â posteris celebrari. *Videantur monum. Cænobij Benigniani Divionensis, Claud. Rob. &c.*

Robertus de Lenoncour fautor Ord.

Ven. Jaqueslina de Grandi-Prato Abbat.

Fervor sacrarum Virginum.

Montisserratus & Valisoleti laus.

V. Petrus Munoz Abbas.

Franciscus de Turre.

Petrus de Burgos Mon Montserr.

Renatus de Breschia Episc. Constantiensis.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XIX.
Sancti Patris Benedicti. M.XXXIX.

Mlranda exactissimæ Regularis Observantiæ exempla, â diversis Benedictini Ordinis Congregationibus & Reformationibus, Camaldulensi, Cælestina, Sylvestrina, Vallisoletana, Montserratensi, S. Justinæ, Casinensi, Bursfeldensi, toti mundo præferuntur, ut nullo unquam sæculo, tot restitutæ, atque ad primævum fervorem revocatæ sacræ DEO Familiæ legantur; sed insolentis, & stupendi potius quam imitandi exempli, ob sacrum rigorem celebrandi nunc aliqui forent, tam ex Hispanijs quam Gallijs & Jtalia, & ex Camaldulensi potissimum & Vallumbrosana familijs: cujus postremæ vel unum saltem liceat

 dome-

domeſticum producere, ſive potius nominare, hoc ipſo anno, poſt feliciter in Religione ſummâ conſtantiâ traductam ætatem cœlo receptum, Beatum Homodeum patria Ariminenſem, qui inter alia pœnitentiæ perpetuæ voluntaria tormenta, etiam hoc poſtremo ſæculo, ſenex nonagenarius, Dominici noſtri Loricati generoſitatem & patientiam in perenni quaſi Martyrio retulit, & quadraginta ipſos annos, abſque omni remiſſione diſcalceatus incedens, catena ferrea nudum corpus præcinxit, intolerandiſque ſeſe jejunijs & vigilijs aliiſque mortificationibus excrucians, quotidie victimam ultroneam Numini obtulit, hoc ipſo anno die viceſima ſecunda Septembris ad requiem Beatitatis æternæ, & fortiter certantium incomparabilia præmia evocatus. *Ex monimentis Vallumbroſanis, & Menologio noſtro.*

B. Homodeus Vallumbroſ. obijt.

Rigor mirabilis Vitæ.

Sed & parcendum diverſorum in Eccleſia ex Ordine noſtro Pontificum, rerum geſtarum deſcriptioni, quorum quo prior ætati noſtræ gloria fuit, tanto facilius à quocunque indagari & reſciri poterit. In quibus tamen vel maximè advertendum, ſub regimine Regularium, nullo nimirum perſonæ & Nobilitatis contuitu, nedum ambitione lectorum, ſed ob virtutem & eruditionem, violenter plerumque è Cœnobijs ad Epiſcopales Cathedras extractum, Epiſcopatus quoscunque quo ad vixerant, ab omni Hæreſum infectione eximios extitiſſe, quod inter præcipua *Benedicti* noſtri *Redivivi* obſervandum, memorandum, & merito celebrandum, uti & illud ſolerter attendentibus apparebit quàm manifeſtiſſimum: quod quamdiu penes Religioſos Pontifices & Epiſcopos Eccleſiæ regimen ſubſtitit, & qui ad Clavum ſuffecti ſunt, munere ſe abdicare quàm præeſſe maluerunt, electioni reclamarunt, ſeſe ſubduxerunt, nunquam tot Concilia celebrata, tot Hæreſes in ſemine ſuffocatas, tot errores correctos, tot bona promota; ut innoteſcat facillimè, quanta Eccleſiæ univerſæ damna provenerint deinceps non ex ambitione ſola & Simonia, ſed indoctorum, inutilium, ſuperborum, & pro ſolo partium ſtudio, deteſtanda cœlis terriſque facta electione, quod ſæculum decimum quartum & quintum, uſque hodie ferventiſſimis lachrymis deploranda, ſexcentis argumentis & demonſtrationibus, imo infinitis exemplis diſſolutæ paſſim diſciplinæ, & creſcentibus inde Cleri & ſacrorum omnium contemptu & otijs, comprobârunt.

Singulare Ordinis, Epiſcopatus rejicere.

Eccleſiæ Utilitas.

Seculi hujus præcipitium.

Hoc ipſo anno Illuſtriſſimum ſanè Sydus terris extinguitur cœlo oritur Eminentiſſimus S. Rom. Eccleſiæ Cardinalis Presbyter Tituli ſanctæ Anaſtaſiæ Antonius Boherius, idem Biturienſis Archiepiſcopus, Par Franciæ, de Regibus Regnóque ampliſſimo, deque Romano Pontifice & Eccleſia univerſa meritiſſimus, in omni ſublimitate humillimus, in omni actione cautiſſimus & prudentiſſimus, in omni negotio dexterrimus, ab optimis quibuſque à morte inconſolabiliter deploratus; ſepultus in Eccleſia Metropolitana, cum hoc Epitaphio.

Antonius Boherus S. R. E.

Antonius jacet hic Boërus, origine quondam
Arvernâ, eloquio vir meritiſque gravis.
A puero Monachus, clauſtris quam pluribus Abbas,
Dignus & hâc celebri Præſul in Urbe fuit,
Tempore non multo plures ſortitus Honores
Cardineo tandem ſchemate clarus obiit.

Epitaphium

Jpſum, per errorem, Ciaconius, & Arnoldus Duacenſis, familia Pratenſi, ſive de Prato editum voluêre, cùm certum ſit, quòd patre Auſtremonio Barone, ſed matre Berarda de Prato Antonij Cardinalis de Prato ſorore fuerit editus. Fuit utrobique ſollicitus & cùm apud Eccleſiam ſuam eſſet, & cùm Romæ ſummi momenti impeditus, negotijs, verſari cogeretur, Vicarios Generales omni exceptione majores conſtituens, è quibus fuit Jacobus de Brolio Archidiaconus Borbonij, & Joannes de Villiers Decanus. Ei Fiſcani etiamnum & S. Audoeni lectiſſimo Abbati, atque Cancellario Normanniæ Eminentiſſimo dicavit Eutropium ſuum Nicolaus Maillardus Rotomagenſis. Jdem de ſuis animi rationibus ſollicitus, nequid pulveris caudâ & ſyrmate Archiepiſcopalis & Cardinalitiæ purpuræ, expiandum purgatricibus flammis ſecum traheret, redemit pro Eccleſia S. Radegundis Dominium, fundando Miſſam quotidianam, quæ ab ipſo Cardinalis cognomi-

Ejuſdem Familia.

Ejus de anima propria cura.

nominatur. Decessit autem Dictis 27. Novembr. inde Bituriges transiatus. Ejus spectantur insignia in Aulæis Metropolitanæ Ecclesiæ, leo cæruleus in campo aureo, cum hoc symbolo: *Virtuti parent omnia*, ut ex hoc ipso Principem agnoscas, & ex vita omni observes sui symboli memorem & observantem. Ejus successor Franciscus Bucillius fuit, cujus supra meminimus. *Claud. Rob. &c.*

Symbolum ejusdem.

Inter Olivetanos nostros, celebratur nunc ab insigni & profunda Cosmographiæ cognitione Ven. Pater Julianus Vannellus, cujus alia inter miræ Magnitudinis sphæra ab ipso confecta usque hodie in Montis Oliveti Archisterio cum admiratione intuentium omnium asservata. *Secundus Lancellotius.*

Jn Italia Casinates inter Ascetas excelluit præ alijs seriæ Reformationis sedulo satagentibus R. Pater Dominus Honoratus Hiernicensis ex familia Fascitella, Vir doctus & Poeta insignis, ob virtutem atque eruditionem creatus Episcopus Jnsulanus in Calabria. Jn Hispanijs supra alios meritis se commendat Georgius de Melo ex Abbate Alcobacensi Episcopus Guardiensis, ut plurimos alios subticeamus. Moritur hoc anno Ven. P. Paulus Orlandinus 12. Novemb. *De quo uberius supra. Ao.* 1512. *egimus.*

Honoratus Fascitellus.

Georgius Episc. Guardiensis.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XX.
Sancti Patris Benedicti. M. XL.

RUrsum quod admirabile omnino est, Luthero & Hæresiarchis multo numero varijs in Ecclesiam Dei insurgentibus, & Divinæ Legis jussa atque sacrosancta verba, cùm mutilantibus, tum ad suam libidinem & placita nequissime detorquentibus, in his ad amussim observandis, consilijs ultro amplectendis solliciti nostri, totos sese ex optimi Numinis beneplacitis accommodant & conformant, consurgitque aspirante Numine nova & strictissima Ordinis Reformatio, Grottanorum, sive Montis Coronæ appellata; Congregatio usque hodie viris sanctissimis & meritissimis instructissima. Jnstitutor ejusdem Beatus Paulus noster Justinianus Venetæ serenissimæ Reipublicæ & Patricij Ordinis sydus lucidissimum fuit, idem quem superius Camuldulensium strictissimæ observationis, restauratorem celebravimus. Js altiori & ferventiori desiderio accensus, totusque inflammatus, accumulando Dei gloriam, per sanctæ Camaldulensis solitariæ Vitæ studium, litteras à sancta Sede Apostolica impetravit, ut ubique terrarum ipsam Camaldulensem Religionem sibi plantare liceret, sicut ex Diplomate liquet, ipso hoc anno in curia Pontificis dato; sollicitus inde non tantum longè latéque sanctissimum illud propagare institutum, verum etiam strictiorem illam in Monasteria pridem exstructa inducere Reformationem, incredibili totius cœli plausu, fructu maximo à tam sanctis exemplis in ipsos etiam sæculares homines redundante, plurimosque à præcipitio revocante.

Paulus Justinianus.

Montis Coronæ stricta observatio.

Habitavit autem Paulus primum, cum quodam Oliva Converso ad sancti Hieronymi de Pascialupo Diœceseos Eugubinæ, deinde apud Oppidum Massacium, quarumdam spelunearum habitator factus, suæ Religionis & novæ Congregationis fundamenta jaciens, quæ à speluncis & cryptis, quas Itali Grottas appellant, Grotanorum sive Montis Coronæ Eremitarum denominationem accepit. Jta invalescente apud sæculi filios Hæresum peste, Ordo noster, juventute renovatus Aquilæ, meritisque gravissimis atque virtutibus adolescens, sanctioris vitæ exempla, ad confirmandos bonos, malos confundendos jugiter protulit, & multa mortalium millia rapuit in salutarem admirationem, movit ad reverentiam, commovit devotionem, traxit ad vitæ correctionem. *Ex Monimentis Montis Coronæ & scriptoribus rerum Camaldulensium.*

Congregatio de Grottis.

Lugent inconsolabili luctu Præsulem suum Georgium Dinspierium superioris Altaichij ascetæ & pio parenti parentant. Is humili natus genere, sed excelso animo, cum Abbas creatus insignia sibi eligere moneretur, calvariam elegit, dignissimum Homine insigne, conducibili ad omnem æternitatem monimento, qui in omni actione illud præ Oculis haberet. Fuit vir Religiosissimus, & quia tot undique ingruebant periculosissimo tempore viro Dei adversa, Monasterio & Religiosis

Georg Abbas Altacherisis.

giosis periculis, similis sibi perpetuo instar Job sancti, fuit, imo reapse Jobum egit, non minore apud prudentes exempli gloria, quam meritis & gratia apud Numen. stupentibus super constantia viri & generositate, qui resciverant, universis, cum pecoribus omnibus abactis, & decem una eademque die villis per summam injuriam ab jurato Religiosorum hoste absumptis igne & in cineres redactis, sibi constans semper, nihil omnino, ne verborum quidem in adversarium retorqueret, & in hæc Jobi sola atque unica erumpere consuesset: *Tribularer, si nescirem, misericordias tuas Domine &c.* quæ ipsissima sibi semper solatio fuisse incredibili in omni tribulationum tempestate serio affirmavit, & suo, moriturus, insculpi sepulchrali lapide jussit, quod hoc ipso, altero post obitum anno, amantissimi tanti patris Cœnobitæ filij fecerunt. *Ex Monumentis ejusdem Cœnobij.*

Laudatissima patientia.

Qualiter sese solaretur.

Jn novi Orbis cultura & cultu rerum strenuè satagunt Vallisoletanæ & Montserratensis Congregationis Ascetæ, pulcherrimo juxta charitatis exemplo, cum sese in tantos tam ampli terrarum spatij labores sufficere non adverterent, & Dominicani & Franciscani Ordinis, sed & ex clericorum votis Religionis non adstrictorum ordine, ultro & sponte non solum admittentes & invitantes quam plurimos, qui secum in agri Dominici laboribus desudarent, quibus cum pacificè onera partiti, nulla cujusquam invidia seu contestatione, eosdem Benedictina etiam liberalitate, & mensa dignati, & pro subsidio remunerati, in plurium deinceps sacrarum ædium & Monasteriorum structione, manus & opes auxiliares præbuere, tanta sua de universis merita de industria occulentes, contenti animarum saluti, Numinis honori consuluisse, nec suis solummodo, sed in tot millium usque hodie laboribus & manibus cœlos demeruisse. *Ex diversis rerum Hispan. Scriptoribus.*

Noſtri novum Orbem demerentur.

Ultro socios sibi adjungunt.

JESU CHRISTI ANNUS M. D. XXI.
Sancti Patris Benedicti. M. XLI.

REdiviva in Redivivo Benedicto Catharina Senensis, Gemella & altera ipsa Catharina Mediolanensis est, Maria inquam Catharina Brugora, electa ab ipsa infantia, imo in utero Matris ad Virginum sponsi favores singulares, ad singularia in ipsa comprobanda, gratiarum charismata. Cui sub hoc ipsum tempus, uti Catharinæ illi, sua mirabili modo communicare stygmata visus est, & quod ad gratiæ cumulum, puncturas omnes coronæ suæ spineæ tam charo sibi capiti Virginis infligere, quæ humillima Virgo nefas cuiquam aperire quam per obedientiam conjurata Abbatissæ suæ & arbitro conscientiæ, censuit, cum, hoc gratiæ, intensissimo Meditationis studio & Dominicæ passionis consideratione, cum intolerabili sibi compassione comparasset, & quasi meruisset, ipsa Regis ac Reginæ Martyrum admirabile exemplar facta; spectaculum Angelis jucundissimum, in tantis ipsa doloribus, in effusissimas tota exhausta gratiarum actiones. Et hi quidem, etsi tanti dolores, solatium juxta habuere, utpote summæ charitatis â sponso pignora. Dolores alij intolerabiles & immedicabiles, imo quasi infernales, cum tenerrimæ dilectionis Virgo in considerationem offensarum Dei quotidianarum, & peccati mortalis descenderet, & sæculi tantopere corrupti scelera expenderet, exanimari statim visa, & exanimata revera esset, nisi is qui dilectæ suæ tantum peccati honorem, & condolentiam infudisset, idem sibi tam charam, ad majorum incrementa meritorum servasset, & inter castos amplexus adeo digne exanimem servasset & animasset. Tantum hominis miraculum etiam perditissimo huic sæculo numen beneficum dedit, & Benedictum Archiducem nostrum & communem patrem in hâc filia tanto post honoravit, atque conatus Ordinis & Reformationem concitavit. *Ex Vita per Franciscum Rugierium.*

Sacris stygmatibus insignitur.

Ingentes ejus dolores.

Prodigiosè in vita conservatur.

B. Catharina Mediolanensis.

Jpso hoc anno miris incrementis sanctissima Montis Coronæ Congregatio augetur, sanctitatis scilicet novorum Christi militum odore commotis certatim hinc inde confluentibus mortalibus, & vitæ solidos fontes consectantibus, atque Religiosæ disciplinæ consortium efflagitantibus, quos inter genere & eruditione illustrissimi plurimi: ex quibus hoc ipso

etiam

Ven. Hieronymus Suessanus.

etiam, anno Hieronymus Suessanus fuit, vir omni scientiarum genere cultissimus, & Medica inprimis excellens arte, sacri Palatij sub Leone X. Pontifice Maximo Protophysicus, qui multo nobilior atque perfectior in cellula Monachica factus, mira exin sanctitatis opera dum viveret ostendit.

Montis Coronæ increm.

Excrevit vero in tantum, Luca Camaldulensi teste numerus Religiosorum vix natæ Reformationis & Congregationis, ut neque locus eos caperet, neque alendis alimenta sufficerent, nisi oportune ijsdem DEUS, nec sine miraculis subinde, per potentiorum subsidia & pias largitiones subvenisset. *Extenuebatur quippe*, idem ait, *supra modum inauditæ rigiditatis insuetæque austeritatis vulgatum nomen, & spiritalem progressum mirabantur omnes &c. Consulenda Romuldina, Montis Coronæ libro* 3. *&c.* Et tantus quidem non solum, ab Oceano sæculi ad portum Religionis, sese Ordini nostro debet numerus, verum etiam multo major, perditissimis hisce temporibus, insolentissimis tanti rigoris tantæque disciplinæ exemplis, à communi cæterorum sæcularium præcipitio & exitio præreptus, cum nemo hæc audiens & intuens, non in admirationem, nisi dementissimæ desperationis homo, raperetur, plerique suæ salutis effecti memores solidâ actâ pœnitentia, ad meliora consilia converterentur.

Ingens ad harum virtutem concursus.

IESU CHRISTI ANNUS M.D.XXII.
Sancti Patris Benedicti M.XLII.

OBstrinxit hoc anno, æterna sanè necessitudinis sanctissimæ obligatione [non aliter atque superius vidimus, cæteros omnes diversarum Regularum æterno gratæ voluntatis debito devinctos Ordines] Ordo noster & laudatissima illa Ordinis Reformatio & Congregatio Montserratensis, per sanctissimum novæ Militiæ Ducem Jgnatium Loiolam, universam lectissimorum Ejusdem filiorum Reverendorum Patrum Societatis JESU sacram posteritatem; quem novum vitæ Jnstitutum meditantem, Nostri primùm quam humanissimè exceptum, consilio, auxilio & multis omnino modis promptissimè & liberalissimè juverunt atque in proposito confirmaverunt; adeoque post DEUM Optimum Maximum, Jgnatio præcipui Auctores fuerunt, ea, ad quæ ab Numine impellebatur, absque mora seu trepidatione ulla, constantissime & evidentissimè exequendi: *Nam sub initia*, [ait ex diversis, cùm Montserratensium, tùm Patrum Societ. scriptoribus, Marcus Antonius Scipio noster] *suæ Conversionis, votiva peregrinatione ad Montem Serratum profectus, cum in æde totâ Hispania præcipuo DEIparæ cultu celeberrima, totum se DEO, eique sanctissimæ Parenti, traducta in pretiosos nexus, devovisset, tum apud unum ex alumnis Divi Benedicti, totius vitæ superioris noxas per sacram Confessionem triduo deposuerat; multis etiam præsidijs instructus, non in præsens duntaxat ad animi expiationem ac medelam, sed ad eam sanctitatis apicem, quo postea evasit, securius facilinsque conscendendum: Siquidem à Joanne Ciavone [de cujus sanctitate superius] eximiæ virtutis & innocentiæ Cœnobita (cui de peccatis confessus erat) spiritualibus exercitijs diligenter excultus est: ijs ipsis, quæ Garzias de Cisnedo (sive Cisneros) admirandæ sanctitatis Abbas, & Monasticæ disciplinæ, non in ea tantùm Domo, sed per omnem Hispaniam felicissimus instaurator, paulo ante concinnaverat, quæque jam inde ab anno millesimo quingentesimo typis evulgata, in Bibliotheca Casinati asservantur. Jgnatius itaque hominem nactus, qualem salutis ipsius rationes requirebant, & ipse optabat maximè, Joanni se totum aperuit; quæ mente agitaret, quæ designaret in posterum, de procuranda plurimorum salute, deque genere vitæ huic rei accommodato, ac nominatim de suscipienda Jerosolymitana peregrinatione, cum eo contulit omnia, auctoritate ipsius atque sententia stabiliens, quidquid deinceps admirabili studiorum actionumque convenientia, ad obitum usque est exequatus. Quin etiam Manresæ (oppido tres circiter leucas à Religiosissima æde distanti) subsistere aliquamdiu decrevit, unde sæpius & commodius, Montem Serratum repeteret, seu Virginis colendæ studio, seu spiritualis Patris conveniendi necessitate promoveretur &c.* De hisce primis ejusdem sanctissimi Viri apud nostros initijs, sic nos in Menologio nostro pridie Cal. Aug. ex eodem Marco Antonio, monimentis Montserratens. Jepesio, Caietano & alijs nostris: Romæ Depositio S. Jgnatij sive Enneconis Con-

Ejusdem conversio.

Ven. Garsias de Cisneros.

S. Ignatius ab hoc institutus.

Manresam se confert.

Menologium Benedicti.

S. Ignatium Loiolam nostri fovent.

Confessoris, Institutoris sanctissimæ Societatis Jesu, qui Christo militaturus, novum hominem & habitum in Monasterio Beatæ Matris Admirabilis Montserratensi apud nostros assumpsit, ibique Oblatorum, quos Hispani Donatos vocant, Religioso schemate donatus, & sub Magisterio insignis servi Dei Joannis Clanonij ejusdem Monasterij Monachi ad sanctiorem vitam eruditus, ab eo accepit *Exercitatorium Vitæ spiritualis* magni illius & excellenti sanctitate viri Garciæ Cisnerij ejusdem Ordinis ac Monasterij Abbatis: quo & ipse S. Jgnatius, mirabiles in Vita spirituali progressus fecit, & è quo potissimum, post aliquot annos, sua exercitia elucubravit, &c. Sed de Jgnatio Nostrorum semper observantissimo, deque impensis eidem á sanctissimo Patriarcha nostro per suos filios Monachos ope & consilio, sæpius suo loco, ex supra citatis.

S. Ignatius Joannis Clanonij discipulus.

Hoc etiam anno Jllustrissimum lumen Ordinis terris occidit, oritur cœlis Beatus Michael noster Florentinus sanctissimæ Camaldulensis Congregationis Monachus perfectissimus, æterno merito Ecclesiam Christi universam demeritus, in ventione & propagatione Rosarij ætatis Christi, quod vulgo vocant Camaldulense. Hic egregia Nobilitate juvenis Laurentij Medicæi Principis Pincerna fuit, eidem in paucis charus, quem cum pietati addictissimum cerneret, ad Sacerdotium ipse Princeps promovit, quo in numero, tanto se dignum gradu, ipsa vitæ comprobavit Sanctitate, Eumdem Principem Camaldulum aliquando sequutus, amorem Ordinis imbibit, sed post suceptam prius ad Urbem peregrinationem, tunc primum cucullo se vestijt, inter illustrissima Camalduli sydera merito habendus, Reclusionem paulo post perpetuam impetrans, totus absorptus in Divina fuit, præsertim dum sacris operaretur, tanquam Cherubim in vultu inflammari visus. Dono lachrymarum mirificè excelluit. Orationis autem studio summopere delectatus, Dominicam in ore perpetuo habuit, quasi Christi sacrosancto ore præmansam, exque intimo corde fusam atque inexplicabiliter dulcoratam. Jnde Divino monitus Oraculo, Rosarium Christi, quod Coronam Domini & Camaldulense vocant, immortali prorsus merito, fidelium perpetuo usui composuit, omnique posteritati commendavit. Quæ Corona omni Diademate Regio & gemmato pretiosior, tornatis orbiculis, ab ipsomet primum Michaele confecta [re cum Majore prius Eremi communicata] Leoni X. Pontifici Maximo, tunc Florentiæ agenti oblata, insigni gratulatione ab eodem acceptata, confirmata Fidelibus Christi toto terrarum orbe commendata, & Jndulgentijs ut vocant, & Gratijs largissimis exornata æterno Christianæ Reipublicæ fructu in hodiernam usque diem religiosissime teritur & usurpatur. Claruit Michael Prophetico spiritu, aliaque inter Stephano Eremitæ, Meditationem ab eodem mente formatam, ad verbum describens, quasi tunc capiti ejus insedisset dono misit, hæc insuper litteris addens: *Ipse MARIÆ semper Virginis JESUS, semper Benedictus fi ius, dum manibus Venerabilem Eucharistiam contrectarem, cogitatum tuum quem in eum ipsum ex tota anima jeceras, mihi misericorditer revelavit, &c.* Sic etiam Cardinali Medicæo, qui postea Clemens VII. fuit, Pontificatum Urbis & Orbis disertissimè prænunciavit. Similiter cum Cardinalis Farnesius, qui postea Paulus III. dictus est, sacram Heremum inviseret, Bartholomæo Grottæ, ejus Sacellano, quiritanti quod Cardinali suo gratis serviret, hæc ipsa brevibus hisce insinuavit: *Perge fili, quia aliquando Te Pontifici Maximo famulari intelliges, &c.* Quod audiens Cardinalis, ipsius convenit Michaelem, & quando hoc futurum esset? quæsijt. *Post electionem*, inquit, *duorum magnorum Sacerdotum*, Adrianum nimirum & Clementem intellexit. Neque minus sibi ipsi eventura prænuncians, cum ultimam celebraret Missam, eam supremam esse prædixit. Fuit mirus vitæ ejus rigor, vinum modicum & aqua dilutum die Dominico admisit. A cacodæmone graviter vexatus & plagis horrendum contusus, tanto majores animi consolationes, quanto plagas acriores meruit. Claruit etiam mira miraculorum gratia, è quibus singulare, cum deploranti mortuum bovem rustico, eumdem vivum reddidit.

B. Michael Florentinus.

Rosarij Camald. author.

Reclusionem impetrat.

Corona Domini confirmatur à Leone X.

Spiritus ejus Prophetius.

Cardinalis Farnesij Pontificatum prædixit.

Miracula claret.

didit. Decessit hoc anno, cujus defuncti manum osculatus Venerabilis Justinianus Bergomensis, illico gravi dentium dolore est liberatus, nihil deinceps morbi seu doloris ejusdem persentiscens. *Ex Vita, & Augustino Florent. Arnoldo Duaceno & script. Camaldul.*

IESU CHRISTI ANNUS M.D.XXIII. Sancti Patris Benedicti. M.XLIII.

INvalescentibus nimium per Germanias Hæreticis, ipsisque inter se dimicantibus, unanimiter tamen Catholicos impugnantibus & persequentibus, rerum Ordinis pro virili satagunt Bursfeldenses nostri diversosque Conventus celebrant, quibus non solum solertissimè disciplinæ cavent, sed vel maximè, cum & Monasteriorum ejusdem Congregationis magnus esset numerus, & pleráque amplissimas possiderent ditiones, quomodo caveretur subditis, ne pravis Hæreticorum dogmatibus infecti perverterentur; & hoc non sine fructu maximo, & immortali de Germania & Romana Ecclesia merito, cum vix uspiam fideles felicius & certius in fide, quàm qui subditi Religiosis erant, continerentur, etsi nonnulli etiam seditione universali deinceps rusticorum, prædæ potius intuitu, quàm fidei contemptu neglectúque in transversum se rapi paterentur, communique turbine rebellionis involverentur. Placet pro rei dignitate, catalogum Bursfeldensis prædictæ Congregationis Cænobiorũ attexere, ex quo meritum quoque æstimes tot majorem partem subditorum in fide a vita & Romanæ Ecclesiæ retentorum.

Bursfeldensis Congregatio hene meretur.

Ejusdem Congregat. Cænobia.

1. *Bursfeldense ipsum, etsi plerísque alijs subditorum frequentia minus potens pro reverentia tamen tantorum inde emergentium bonorum & meritorum, ante alia nominandum & celebrandum.*
2. *Beatæ MARIÆ Virg. in Clusa Diœcesis Hildesheimensis in Ducatu Brunsuicensi ubi primùm cœpta Reformatio est, & Bursfeldam translata.*
3. *S. Matthiæ prope Treveros insigne admodum Monasterium.*
4. *S. Joannis Evangelistæ in Cismarid.* 1435
5. *SS. Cosmæ & Damiani in Husberg, sive Hilsberg Diœceseos Halberstat.* 1444
6. *Beatæ Mariæ Virginis ad Martyres Trevirense.*
7. *Mons sanctorum Petri & Pauli Erffurdiense.*
8. *S. Jacobi Apostoli prope Moguntiam.*
9. *S. Panthaleonis celebre admodum in Urbe Coloniensi.*
10. *S. Martini Episcopi & Confessoris Coloniæ.*
11. *S. Michaelis Archangeli Hildesheimense*
12. *S. Joannis Baptistæ in Bergen prope Magdeburgum.*
13. *Sancti Pauli prope Bremam.*
14. *Sanctorum Christophori & Mauritij in Hoburg Diœceseos Moguntino.*
15. *Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli prope Mersburg.*
16. *Munch-Neuwenburg in Ducatu Saxoniæ.* 1456.
17. *S. Christophori in Rheinhausen Diœceseos Moguntinensis.*
18. *S. Joannis Baptistæ in Reingovia Diœceseos Moguntinæ.*
19. *Sancti Georgij prope Neuwenburg.*
20. *Sanctorum Petri & Aurelij Hirsaugiense Diœceseos Spirensis in Wirtenberg.*
21. *Gottisaugia vulgo Gottsauw in Marchionatu Badensi.*
22. *Sanctorum Mauritij & Simeonis in civitate Mindensi.*
23. *Wiblingen sive Wittlingen in Suevia & Diœcesi Constantiensi.*
24. *SS. Petri, Pauli & Georgij in Schwartzach Diœceseos Argentinensis.*
25. *Sancti Stephani Herbipoli in Franconia &c.*
26. *Sancti Florini in Schbnauw Diœceseos Trevirensis.*
27. *S. Blasij in Northeim Diœceseos Moguntinensis.*
28. *SS. Cosmæ, Damiani & Simeonis Iusti in Lisborã Diœces. Monasterienses.*
29. *Ilsenburg Diœceseos Halberstattensis.*
30. *Sancti Gotthardi Hildesheimense.*
31. *S. Michaëlis in Monte Monachorum prope Bambergam Franconiæ.* *Bursfeldensis Congregatio.*
32. *S. Landvini in medio Lacu Diœceseos Trevirensis.*
33. *Beatissimæ Matris Virginis in Posavia.*
34. *S. Clementis in Jburg Diœceseos Osnabrugensis.* 1468.
35. *Conradesburg.*
36. *Cella MARIÆ; olim Elsen, Diœceseos Lubecensis.*
37. *Scinnense Monasterium in Diœcesi Mindensi.*
38. *Sanctorum Petri & Pauli in Amesleber.*
39. *San-*

39. *Sancti Laurentij in Uraugia.*
40. *Sancti Nicolai in Brauwiler prope Coloniam Agrippinam.*
41. *S. Laurentij in Osbruck prope Trajectum Inferius.*
42. *S. Martini Trevirense.*
43. *Fleckdorff Diœceseos Paderbornensis.*
44. *S. Pauli (alias S. Catharinæ) in Siloe prope Groningen Diœc. Traject.*
45. *Clara Aqua Diœceseos Trajectensis.*
46. *S. Pauli Ultrajectense.*
47. *Offenbach in Palatinatu.*
48. *Mons sancti Remigij in Diœcesi Moguntinensi.*
49. *S. Martini in Spanheim Diœceseos Maguntinensis.*
50. *Sancti Laurentij in Hildersleben Diœceseos Magdeburgensis.*
51. *S. Michaëlis in Luneburg Diœceseos Werdensis.*
52. *Beatæ MARIÆ Virginis in Lacu Diœceseos Trevirensis.*
53. *Sanctorum Petri & Pauli in Abdinghofen 1477.*
54. *Sancti Michaëlis prope Velsdorff.*
55. *Sanctæ Felicitatis Martyris in Schwarzach.*
56. *Munchaurach Diœceseos Bambergensis.*
57. *Mariæ Münster Diœceseos Paderbornensis. 1480.*
58. *Sanctissimæ Crucis & B. M. V. Limburgense.*
59. *Sanctæ Walpurgæ Diœceseos Argentoratensis.*
60. *Sanctorum Marcellini & Petri in Selingenstatt.*

Bursfeldensis Congregatio.

61. *Alberspach in Ducatu Wirtenbergensi.*
62. *Weissenburgense Archisterium in Diœcesi Spirensi.*
63. *Oldenstatt in Ducatu Luneburgensi Diœceseos Werdensis.*
64. *Radstedense in Comitatu Aldeburgensi*
65. *Oldensleben in Diœcesi Moguntinensi.*
66. *S. Nicolai in Lampurg Diœceseos Herbipolensis.*
67. *S. Jacobi in Pagavia Diœceseos Merseburgensis.*
68. *Monchroden Diœceseos Herbipolensis.*
69. *Ballensteden Diœceseos Halberstadensis.*
70. *S. Mauritij in Toleia Diœceseos Trevirensis.*
71. *Oratorium Daciæ in Dania Diœceseos Aurusiensis.*
72. *Pronauw in Landgraviatu Hassiæ Diœceseos Trevirensis.*
73. *Beatæ MARIÆ Virginis in Schmitern Diœceseos Argentinensis.*
74. *Odenheim Diœceseos Spirensis.*
75. *Reinsdorff in Comitatu Everfordensi.*
76. *Sancti Hereberti in Tuitio è regione Urbis Colonensis.*
77. *S. Adalberti in Egmunde Diœceseos Harlemensis.*
78. *Beatissimæ Matris Virginis in Secina Diœceseos Moguntinensis.*
79. *Othweimense Monasterium in Dacia.*
80. *Wimmelburgense Diœceseos Halberstadensis.*
81. *Breidenauw in Hassia Diœceseos Moguntinensis.*
82. *Tasech in Regno Bohemiæ.*
83. *Königslautern Diœceseos Halberstadensis.*
84. *Beatæ MARIÆ Virginis & Joan. Evangelistæ in Reinhartzborn.*
85. *S. Adolphi in Himelis sive Stauria in Frisia occidentali Diœc. Leovardensis.*
86. *Hassungen in Hassia Diœceseos Moguntinensis.*
87. *S. Viti Corbeiense in Saxonia. 1505.*
88. *Sanctorum Petri & Exuperij Gemblacense.*
89. *Beatæ MARIÆ Virginis Munsterienſe Luxemburgi.*

Bursfeldensis Congregationis Monasteria

90. *S. Alexandri in Grafschaffi Diœceseos Colonensis. 1508.*
91. *Hasefeldt sive Harsfeldt Diœceseos Bremensis.*
92. *S. Pauli (alijs Beatissimæ Matris Virginis) in Stadis.*
93. *Burgelense, de quo nil præter nomen.*
94. *S. Viti in Gladbach Diœceseos Colonensis.*
95. *Cloister Mansfeldt in Comitatu Mansfeldensi.*
96. *S. Jacobi Herbipolensis Diœceseos in ipsa urbe.*
97. *Hugeshofen Diœceseos Argentoratensis. 1573.*
98. *Brettingense Diœceseos Moguntinensis.*
99. *Sancti Andreæ prope Brugas Flandriæ. 1516 unit.*
100. *Hillmershausen Diœceseos Paderbornensis.*
101. *Maursmünster Diœceseos Argentoratensis. 1517. ad Congreg. receptum.*
102. *SS. Petri & Pauli in Afflighemio Diœceseos Mechlinensis.*
103. *Sancti Salvatoris (alias B. M. V. in Eina) Diœceseos Cameracensis.*
104. *Sancti Hieronymi in Hulsburg Geldriæ.*
105. *Wernerodense in inferiori Germania.*
106. *Beatissimæ Mariæ Virginis in Gengenbach Alsatiæ.*

106. *Beatissimæ Mariæ Virginis in Gengenbach Alsatiæ.*
107. *S. Trudonis in Hasbania Diœcesios Leodiensis.*
108. *SS. Petri ac Pauli nec non S. Medardi in Fluerbach, prope Lovanium.*
109. *SS. Viti & Modesti in Theres Diœcesios Herbipolensis.*
110. *Eberheim Munster, olim Novientinum in Alsatia.*
111. *SS. Petri, Pauli & Georgij in Schwartzach Diœcesios Argentoratensis.*
112. *SS. Ethonis & Landelini in Ettenheim-Münster.*
113. *Sancti Cyriaci in Altorff, in Alsatia.*
114. *S. Dionysij in Bantz Diœcesios Bambergensis in Franconia.*
115. *Auraugia Diœcesios Herbipolensis prope Kitzingam ad Saalam.*

Hucusque cathalogus Monasteriorum, Congregationis Bursfeldensis, quæ omnia, Hæresibus perditissimo hoc tempore constanter obnixa, ut pleraque, potentia erant, & amplis ditionibus imperantia, magnam omnino partem Germaniæ in fide Romanæ Ecclesiæ, cùm vitæ exemplo optimo, tum ipso supremi Dominij jure retinuere, donec invalescente in vicinos Principes Veneno Hæreseos, multa violenter oppressa & ingens Religiosorum numerus [paucis, si cum tanto exulum pro Christo compares, carni & Dæmoni manus dantibus] nihil non injuriarum, pro Religione Orthodoxâ perpessi, hoc ipso etiam immortalibus se meritis Ecclesiæ & cœlis ipsis commendarent.

Monasteria hac multos isfide retinent.

Mortalibus valedicit hoc anno egregius vitæ sanctioris promotor Venerabilis Joannes Gosselet Abbas Maricollensis, Monasterij celeberrimi ad Helpram fluvium siti in finibus Hannoniæ, alter illius Fundator, ob egregias Virtutes & magna merita, Maximiliano I. Imperatori dilectissimus, quem & insigniter demeruit, cujus filiam â Carolo VIII. Galliarum Rege repudiatam, delusis insigni stratagemate Francis in Belgium reduxit, & Augustissimo parenti, non sine magno bonorum plausu reddidit.

Joan. Abbas Maricollensis.

Quo ipso anno Conradus etiam Abbas S. Martini Trevirensis, haud impari gloria Præsul è vita excessit, & immortale sui desiderium suis reliquit.

IESU CHRISTI ANNUS M.D.XXIV. Sancti Patris Benedicti. M. XLIV.

Immortali Ordinis Benedictini gloria & merito, summo juxta Ecclesiæ omniúmque fidelium fructu, juvantibus & plurimum promoventibus suffragio & meritis jam in cœlos recepti Beati Michaelis nostri Florentini, Coronæ Domini, sive Rosarij ætatis Christi usus, longè latéque propagatus invalescit; Fidelibus vel maxime celebrata passim Jnstitutoris sanctitate pellectis, & Pontificio juxta Jndulto, quo Michaelem solemniter inter Beatos retulerat Leo X. Pontifex Maximus, ad majorem devotionem incitatis, ut eo quisque Rosario seu Corona, Numinis demereri gratiam, omnémque Christi Vitam tali compendio recolere pro virili quotidie satageret. Adeo, ut inter præclarissima Ordinis merita tanto dignius hoc Jnstitutum referatur, quanto majore tot millium provinciarum, nedum hominum, fructu & emolumento, constat in totum terrarum Orbem propagatum. Visum haud abs re esse si Pontificias litteras, licet jam ante septennium datas hic quoque inseramus.

Coronæ Camald. usus longe propagatur.

LEO EPISCOPUS SERVUS SERvorum DEI Universis & singulis Christi Fidelibus præsentes litteras inspecturis Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Leonis X. Diploma super Rosario Camald.

Nuper nobis fide digna relatione innotuit: quod cuidam seniori Eremitæ intra unius Cellæ angustias jam quindecim annos in sacra Camaldulensi Eremo in magna vitæ austeritate reclusо, commoranti, Domino, ut credere pium est, inspirante, á quo omnis recta procedit cogitatio, in mentem venit, quod in honorem Salvatoris & Domini nostri JESU Christi, fideliumq; devotionem cedere posset, si, quemadmodum ex antiquissima valdeque communi institutione Christi Fidelium in honorem Beatissimæ MARIÆ Virginis, secundum numerum annorum, quos vixisse in hoc mundo creditur sexaginta tres Angelicas Salutationes, septem interpositis Dominicis Orationibus, devotè dicere solent: quod Orationis genus Coronam Virginis vocant, ita in honorem Domini nostri Iesu Christi, pro commemoratione annorum, quibus ipse in terris versatus est, ex triginta tribus Dominicis Orationibus, quinque

J

que interpositis Angelicis Salutationibus, quasi Dominicam Coronam dicere assuescant, supplicarique nobis humiliter fecit, ut ad excitandum Fidelium devotionem, aliquam Jndulgentiarum gratiam, eam Coronam Domini dicentibus concedere Apostolica Benignitate dignaremur. Nos vero quibus incumbit, & honorem Domini nostri JESU Christi quantum ipso auxiliante possumus augere: & omnibus Christi fidelibus devotionis incitamenta præbere, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictum orandi modum ab illo Seniori, recluso que Eremita excogitatum, approbamus confirmamusque & CORONAM DOMINI volumus appellari. Quod orationis genus, ut à Christi Fidelibus devotius suscipiatur, frequentiusque excolatur, universis & singulis utriusque sexus, cujuscunque status, Ordinis & professionis, qui eamdem Coronam Dominicam semel in die dixerint, per singulas vices decem annorum Jndulgentias; his vero, qui justo amoto impedimento, per continuum anni circulum, eamdem Dominicam Coronam semel in die dixerint, ultra prædictam summam mille annorum Jndulgentiam, de nostræ plenitudine potestatis, Auctoritate Apostolica concedimus & elargimur. His vero, qui ad extremum usque vitæ diem, eam Domini Coronam semel in die dixerint, easdem annorum summas duplicamus, & discedentibus ex hac vita, Apostolicam elargimur Benedictionem. Quia vero difficile esset, præsentes litteras ad universorum notitiam pervenire, nisi oportuno provideretur auxilio, eadem auctoritate volumus & decernimus, ut transumptis etiam impressis, sigilloque sacro Camaldulensis Eremi, & alicujus Eremitæ subscriptione munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris exhiberetur: Volentes, ut omnes Prædicatores, ad quorum notitiam hæc pervenerint, eas in præsentia populorum publicare possint. Contrarijs non obstantibus quibuscunque. Datum Florentiæ sub annulo Piscatoris, die 18. Februarij 1516. Pontificij nostri anno tertio. Per manum Petri Bembi. Rosarium idem Gregorius XIII. pluribus & majoribus Jndulgentijs ornavit, & magno Reipublicæ Christianæ bono propagandum censuit. *Videantur Augustinus Florentinus, Lucas Eremita & alij.*

Solemniter approbatur & commendatur.

Jndulgentiæ concessæ.

Idem Greg. XIII. Jndulgentijs donat.

Jncredibilis, virorum sanctitate, doctrina & genere Jllustrissimorum in una unica Hispaniarum Ordinis nostri Congregatione, magno cum ornamento Ordinis universi se prodit, ex quibus vel unum saltem alterumve Montserratensis Archisterij solo nomine celebremus. Excelluit inter alios præclarissima sanctitatis fama commendatissimus M. F. Christophorus de Zamora, verè simplicitate Columbæ juxta ac serpentis prudentia præditus. Jnter alia mille merita, à DEO Prophetico Spiritu edoctus, quo suam, aliorumque, ex nomine, Montserratensium mortem præcognovit, & disertissimè prædixit. Nec minor sanctitas, atque ab hâc in cœlo terrisque gloria Fratris Mauri de Alfaro, Magistri Novitiorum absolutissimi in eodem Archisterio sanctissimo, & Deiparæ unicè dilecto ut sacro, ante cujus beatissimum obitum, triduo ante singulis noctibus Angelorum applaudentium, & quasi gratulantium plausibiles cantus exauditi sunt. Sed & R. P. F. Francisci de Beiar, viri innocentissimi sanctitas illuxit: ita superis etiam ipsis commendata, ut ad ipsum Magna cœlitum Regina & Jmperatrix invisere dignaretur & sua præsentia moriturum gratiosissimè solaretur. De multo pluribus, etiam diversorum Cœnobiorum Abbatibus & Cœnobitis sanctis atque eruditis, *consulendus Ant. de Jepes & alij rerum Hispan. Scriptores.*

Congregatio Hispanica.

V. Christophorus de Zamora.

Ven. Maurus de Alfaro.

Ven. Franciscus de Beiar.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XXV.
Sancti Patris Benedicti. M. XLV.

SYdera Ordinis Jllustrissima è cœlo Benedictino, exsplendescunt hoc ipso anno: R. P. F. Galeatius Gabrielius, qui tricis mundi hujus feliciter extricatus, se ipsum DEO dare non contentus, sua etiam omnia una secum DEO obtulit; & novæ Militiæ Montis Coronæ nomen dedit. Cujus utique, tanti viri ingressus, plenissima hujus Reformationis confirmatio extitit, teste Luca Eremita, & ab Galeatij conversione, Herois nimirum genere & auctoritate spectatissimi, multo maximè Ordinis sanctissimi propagatio, promota est, de cujus laudibus, fusius idem auctor, & nos alibi. Justinianus deinde Bergomensis, vir pietate eximius, doctrina clarissimus, naturali cultissimus ingenio, ornatissimis moribus, Religione pius, Congregationis ejusdem famam mirificè auxit, atque

Galeatius Gabrielius.

V. Justinianus Bergomensis.

atque adeo Ordini, atque Orbi universo multis modis profuit. Sed ante omnes Paulus ipse Justinianus, Vir sanctissimus enituit, de cujus laudibus, ga Historia Romaldina. Hic doctrina plenus, verbo potens, calamo facundus atque luculentus. Nec vacua fuit in eo Gratia DEI; cum multos â via peccati converterit; quos secum ad Religionem traxit: plures vel alibi, vel domi, piè vivere edocuit; innumeros â blanditijs sæculi, ad durissimam pœnitentiam vivo sermone, operibus exhibitis transire compulit. Ejus, inter relicta ingenij monimenta, laudantur *Constitutiones Eremiticæ; de vera item hominis felicitate: De officio Pontificis ad Leonem X.* [unde colligas quam proprium nostris fuerit, absque adulatione, Ecclesiæ universæ in capite mederi] *Tractatus de obedientia: de Decem gradibus Amoris DEI. De Pœnitentia. De Eucharistia. De Contemplatione. Opuscula alia cœpta, nec vero consummata* quæ centenarium numerum, teste Beato Justiniano Bergomensi superant. *Videatur Lucas Eremita in Rom. Mon.*

P. Paulus Justinianus.

Constitutiones ejusdem Eremiticæ.

Ingenij ejus monimenta

Mortuo superiore anno Joanne Abbate Crëmiphanensi viro Religiosissimo & doctissimo, qui fuerat Maximiliano I. Imperatori Augusto â Confessionibus & conscientiæ secretorum solertissimus & Religiosissimus arbiter, succedit Leonardus, exemplar virtutum omnium continuante apud Austriæ utriusque Monasteria, fervore laudatissimo Mellicensis Congregationis, Ascetisque Monasteriorum, non tantum Disciplina solidè Monachica florentibus, sed & litteratorum insigni frequentia, ita ut in illis partibus Religio Catholica insignes aleret propugnatores.

Leonardus Abb. Cremiphan.

Jn Gallijs mirum in modum proficit laudatissimum Reformationis studium, & noviter Reformatis plurima quamprimum Cœnobia junguntur, seque mutuo excitant, & tanquam animalia illa Evangelica exsuscitant, juxta illud Ambrosij: *Flammescat igne charitas accendat ardor proximos*, ipsis quoque sæcularibus igne illo exempli Benedictini, ad meliorem frugem revocatis. *Ex R. P. Amandi Tribout. communicatis.*

Reformationis Gallicæ successus.

Evocatur ad æternitatis pro magnis laboribus præmia Ven. Pater Petrus Delphinus quondam Generalis sacræ ad amussim Regulæ familiæ nostræ Camaldulensis, exemplar absolutissimum omnimodæ perfectionis, de Ordine universo meritissimus, anno ætatis 81. professionis sexagesimo tertio, 17. Cal. Februarij felicissimè extinctus, postquam 55. Ecclesiæ summa devotione & præparatione munitus Sacramentis, mira animi demissione Fratres si quem unquam offendisset, esset deprecatus. Tandem gestiens & gratulabundus, ea Propheræ repetens: *Defectio tenuit me, &c.* & rursus: *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Creditus â puero, illibatissimus Virginitatis custos ad extremum usque anhelitum extitisse; cui funebrem orationem recitavit Reverendissimus Eusebius Priolus Carcerum Abbas vir præstantissimus & optimè meritus. *Ex monim. Camald.*

Petrus Delphinus Generalis.

Felix obitus.

Ipso anno, ut quanti Numen ipsum faceret rigorem sacræ Familiæ nostræ Oliveranæ facile advertas, Venerabilis Franciscæ Leophanta, Virgo Panhormitana Ord. S. Francisci, cœlesti afflata lumine, Olivetanam exoptat ambitque disciplinam; & â Cognatis condendo Cœnobio aream impetrat, cum templo GRATIARUM, Virgini DEIparæ consecrato, nec non cum hortis domicilijsque nonnullis, ubi Virginibus Benedictinis Olivetanis Monasterium exstruxit, & cum quatuor alijs impetrata licentia priore deposito habitu, Olivetanum assumpsit, Abbatissa loci perpetua cooptata, ubi exemplo vitæ perfectioris eximio cæteris prælucens, inter singularia Ordinis ornamenta computari meruit. *Ex Lancellatto.*

IESU CHRISTI ANNUS M. D. XXVI. Sancti Patris Benedicti. M. XLVI.

COmmune hoc ipso tempore & anno Mediolanensium omnium refugium in omni infirmitate & tribulatione in Monasterio Benedictini Ordinis Virginum S. Margaritæ Virginis & Martyris honori & nomini sacro, ad perspectissimæ omnibus sanctitatis DEI sponsam Venerabilem Mariam Catharinam Brugoram, quam DEUS Optimus Maximus tantis donis cumulavit, ut omnibus quibuscunque

B. Catharinæ Brugoræ miracula.

ad se occurrentibus, in omni necessitate posset subvenire, imo omnes necessitates in spiritu prævidere, & cum charitate non minus proximi quam DEI tota quasi deflagaret, ultronea prorsus erat se se ipsam pro omnibus impendere & superimpendere. Mirabile prorsus, cum hoc ipso tempore, nobilis quædam Matrona procul absentem maritum suum ferventissimè commendaret, & ipsa miserta sollicitæ lachrymas, benè sperare de ejus reditu monuisset, & certam esse de precum suarum suffragio jussisset: reducem ex insperato conjugem, admiranda prorsus de sua fortuna narrantem, alia inter memorasse, se ab hostium Gallorum turma appetitum, in effusissimâ fuga, ad rapidi fluminis devenisse ripam, cumque aut mergi necesse foret, aut gladijs hostilibus perimi, visam sibi venerabili specie Monialem Benedictinam, quasi gratulabundam inque momento trans fluvium depositum animadvertisse, & ab insequentibus jamque imminentibus prodigiosissimè liberatum. Cumque uxor se absentem tantopere precibus V. Mariæ Catharinæ Brugoræ commendasse assereret, quam ipse alias in Vita omni non viderat, mox in S. Margaritæ Cænobium ductum, cùm in conspectum omnium Monialium admitti rogaret, illam ipsam agnovisse illico, & ut servatricem summa cum reverentia compellasse, miraculum prodidisse, & licet illa omnibus modis â se averteret, & DEIparæ quam rogaverat assignaret; Ipsum nihilominus non solum constantissimè asseverasse, verum votiva quasi tabulâ expressum coloribus miraculum, cum hac subscriptione, eidem Venerabili Sponsæ Christi destinasse: *Ego Joannes Baptista Pusterla Eques, precibus tuis, Gallicas manus evasi.* Ut nihil de admirandis alijs ejusmodi prodigijs memoremus, ipsâ absentia æquè ac proxima intuente, futura prædicente, mala ingentia ab Urbe Patria, suis precibus avertente. *Ex Vita per Franciscum Rugierium.*

Memorabile miraculum.

Joan. Baptista Pusterla mire servatus.

Jngens iterum Benedictini Ordinis meritum, & ipsi æquè ac sanctissimo Patriarchæ Benedicto, tot sæculis proprium, quo exorientem hoc ipso tempore, novum Seraphici Patris Francisci, toto Christiano Orbe laudatissimum Patrum Capucinorum Ordinem, Patres nostri, primi omnium, ferventissimâ complexi charitate, Jnstitutum adeo sanctum etsi arduum, susscipiendum, fovendum, & pro virili defendendum susceperunt. Jnstitutores primi Fratres Ludovicus & Raphael, indumentum quo hodie utuntur Beati Francisci Carracetani Ordinis nostri viri sanctissimi prophetica voce attoniti assumpserunt, cum is Matthæum â Dacio, quem nunquam viderat, prævideratamen tali habitu venientem, affirmasset nativum Seraphici Patris Francisci habitum gestare, cum illum eumdem Matthæum, insolenti tunc prorsus veste adventantem & ad Franciscum nostrum invisentem conspicerent, verbis tanti viri & prophetica moti prædictione, ut de assumendo illico eodem habitu & Caputio consenserint, imo confici quam primum curaverint, etsi vilissimus esset, & despicabilem omnibus fore facile conijcerent, summa cum devotione, & animi in omnem contemptum resignatione generosissima induerint. Evenitque etiam quod rebantur: siquidem irrisui passim habiti, & male tractati, etiam carceribus inclusi; â Beato Paulo nostro Justiniano, ipsis strenuè patrocinante, cui obniti, ob summam sanctitatis famam, maximamque apud omnes auctoritatem nemo ausus erat, in libertatem asserti; qui & felicissimum Novi Jnstituti Advocatum & Patronum egit, inter meritissimos tanti Ordinis Promotores, & alter quasi Fundator, quin & Protector, celebrandus. *Videndus fusior in his describendis Lucas noster Ruhensis libro tertio.* Jta sicut, tanto antè, sanctos Franciscum & Dominicum propheticoSpiritu edoctusBeatus Joachim Abbas noster Coratiensis, Florensis olim Congregationis sanctissimus Jnstitutor, suis ritè coloribus, & illum sacris insignitum stygmatibus opere Græcanico, in Archi-Basilica Veneta S. Marci distinctissimè expressit, ita Franciscus Carracetanus noster, redivivum in Patribus Capucinis, primævo etiam habitu, nedum vita Franciscum Seraphicum designaverit, Justinianus autem noster, suis, ut S. Franciscus visus Pontifici Romano est Basilicam

Patrum Capucinorum per nostros promotio.

B. Franciscus Carracetanus noster.

Causa fuit ut sacer Capucinorum habitus omnibus probaretur.

B. Joachim Abbatis prædictio.

Justinianus noster novum Ord. sustentat.

silicam sustentare Lateranensem humeris, ita ipse Ordinem novum sustentarit, merito utique maximo de tam charis & Benedictis æquè ac Seraphicis viris, quibuscum propterea tanta cum nostris necessitudo & charitas verè fraterna intercedit. Quod & citatus supra Lucas noster Ruhensis observavit, qui alia inter, ex illa, inquit, prima cum Camaldulensibus nostris conversatione, Patres Capucinos, mutuam semper Amicitiæ conjunctionem servasse, sed & à nostris Eremitis quædam peculiariter, sibi communiter servanda sumpsisse: quale est, barbam nutrire, nec non sine cantu, solâque distincta pronunciatione Divinas Laudes persolvere. *Vid. Gault. Luc. Angl. Florent &c.*

IESU CHRISTI ANNUS S.M.D.XXVII. Sancti Patris Benedicti. M. XLVII.

NE Germaniam solam sine igne in cineribus frigidis obriguisse æstimes, exarsere in supera æquè ac infera flammæ lucidissimæ, magno eorum solatio, qui constantes in fide, omnes novitates aspernati sunt, æstimantes fidem illi nixam petræ, quæ in spiritu semper fundata Veritatis, sibi constiterit semper & constat, quam tot sæculis, tot summa æstimatione Præsules & Abbates perenni successione ad nos usque propagati, idem omnes & singuli credentes & asserentes, tot antea Consilijs damnatas hæreses; ipsa unanimi in interpretandis sacris Tabulis, concordia, comprobarint. His inquam verè Catholicis, facem perditissimo hoc tempore illustrissimam prætulere diversissimi laudatissimarum Congregationum Mellicensis & Bursfeldensis, diversi Antistites, qui non solum in profliganda & amolienda â suis ditionibus diversarum Hæresum licentia, nullum non lapidem moverunt, sed & supremum adire vitæ discrimen minimè abhorruerunt. E quibus hoc ipso anno ad præmia æternitatis evocatus est Quintus Devoist Ursidungensis celeberrimi in Hannonia Monasterij Abbas, *Vir*, ut ejus loci chronica habent, *nunquam sine reverentia nominandus*, primævi resuscitandi in Ordine Spiritus Zelator egregius, *TUTOR & PATER* Patriæ universæ, cui omni modo, & pro valentissimi ingenij viribus, consultum semper voluit, & vero etiam felicissimè consuluit, summa apud Reges ac Principes auctoritate, & virtutis æstimatione. Js domique forisque rebus maximis dexterrimè gestis gloriosissimus, summi momenti Legationibus perfunctus, Cæsarem æque ac Hispaniarum Regem, Regna utriusque immortaliter demeritus, imo pro Ecclesia universa, contra Hæreses & Hæreticorum impios conatus, multa præclare ausus, incredibile sui desiderium apud summos æque atque infimos ad præmia æviterna evocatus reliquit. *Ex monimentis Ursidungi.*

Congregatio Mellicensis

Ven. Quintus Abb. Ursidung.

Summa apud Reges & omnes auctoritate.

Beati Hieronymi Suessani ineffabiles Virtutes, digno encomio extollendæ nunc essent, nisi & fandi atque scribendi facultatem superarent, & compendij, siquid amplius conaremur metas excederent. Unum tamen quin referamus, præterire non possumus, unde animadvertas, qualiter antiquis quam simillimis miraculorum signis Reformationem Ordinis nostri foverit, juverit atque commendaverit Optimum Numen, & qua spe & confidentia esse debeamus, etiam de cætero, novis quibuscunque ad Reformationem solidam spectantibus etiam nostra ætate conatibus, nunquam defuturum. *Contigit aliquando*, ait Lucas Ruhensis, *cum in Cryptis Almasacij Prior esset, ut de mense January nivium abundantia obrueretur Vallis illa, ita ut per dies quindecim, illinc quis exire, aut aliunde illuc ingredi prorsus prohiberetur. Unde factum est, ut Fratribus victui necessaria in totum deficerent (fidelium enim largitionibus vivebatur, cum hodie moris non sit perpetuis redditibus Cœnobia condere, verum sua Monachis rapere) eoque Cellarius Constantius nomine, apud eumdem quereretur, quasi fame atque inedia Fratres perituros timens, cui fidelis Pater: o Constanti, inquit, fili; tu fidem non habes; putas quia DEUS deseret servos suos? Ipse dixit, & non mentietur: nolite solliciti esse, quid manducetis, aut quid bibatis: qui pascit corvos, non dabit escas famulis suis? Confide & ora, non deerit ubi & Fratribus tuis in crastinum opportunus cibus. His & alys multis hominem consolatus, Ecclesiam ingrediens ante altare prostratus humi (qui mos illi frequens erat) in multam noctem Orationem traxit.*

B. Hieronymus Suessanus.

Fides & confidentia in Deum.

Cæperat

Cæperat eodem ferè hora tenuis, paulisper mitti luto aëre, imber desinere, qui paulatim in abundantem pluviam crevit. Ecce mane facto, dum Prima de more diceretur, ostij tintinabulum pulsatur; illuc proximè cucurrit Christophorus, ostiario non expectato, ac foribus patefactis, hominem & jumentum, pane & alys alimentis onustum coram se stare videt, nihil, tanto gaudio plenus interrogat, sed veloci cursu ad Ecclesiam redit, & quasi Divino stupore attonitus: Agite, clamat, Patres, agite gratias: mandavit DEUS cibaria nobis, quod per Patres actum est; erat autem homo ille ex domo S. Luciæ de Ficano: qui, cum durante pluvia magna venisset [mirabile dictu] pluviam non sensisse asserit; nec ejus pallium, aut etiam sarcina, in aliquo madefacta fuere reperta. Sed de cæteris ejus factis, idem Lucas consulendus.

Mirifice famentes Religiosos juvat bonum Numen.

JESU CHRISTI ANNUS. M. D. XXVIII.
Sancti Patris Benedicti. M. XLVIII.

SUpremus hic vitæ annus est, magno omnino Benedictini Ordinis Principi, Aymardo de Gouffier nostro, Archiabbati Regij Archisterij S. Dionysij Parisiensis, Regularium, cheu! ultimo [quo magis doleas, in tanto viro, splendorem tanti Cænobij desijsse] qui ob merita insignia, ex Abbate sanctissimi celeberrimique toto Christiano Orbe Cluniacensis Archisterij, ad Pontificales Albiensis Cathedræ subvectus Jnsulas, postea etiam S. Dionysij præfici meruit, magisque sese virtutibus & meritis commendavit, qui quanto magis Cænobij promoverat commoda & rem auxerat domesticam, tanto etiam magis, esurientium & inhiantium rebus sacris Harpyarum ambitionem accendit, ut statim â morte Ejusdem plurimi bolo adeo pingui insidiarentur. Jpse vero rei bene gestæ conscius, & sanctæ Spei plenus, non sine singulari omine Patrocinantis vero sui Cænobij pastori Magni & Divini Dionysij, 9. Octobris ipso solemnissimo ejusdem Festo Fratribus loci & mortalibus valedixit, ibidem debito cum honore Basiljcæ â Christo consecratæ illatus & tumulatus. Fuit Guilielmi de Gouffier & Philippæ Momorentiæ filius, Adriani sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Guilielmi admiralis, & Arturi Magni Franciæ Magistri frater germanus, cumque non minus utilis fuisset Albiensi Episcopatui, Episcopum similiter successorem Cardinalem habuit, insinuante sese deinceps potentia Principum, speciosis Titulis, non item exemplis, donationibus fundatorum, & eleemosynis pauperum, in splendidum famulitium, mensarum luxum, alendosque equos & canes, absumptis Ecclesijsque & Monasterij splendidissimis, ruinam minantibus, & ad incitas sæpe redactis, Religiosorum imminuto numero, invalescentibusque ab tali exemplo Hæreticis, & ne postremi ad rapinam occurrerent, sacra loca invadentibus, & spoliantibus, demumque evertentibus. *Ex monimentis S. Dionysij.*

V. Aymardus de Gouffier Archi-Abbas S. Dionysij.

Fit Albiensis Episcopus

Sanctè moritur.

Ejus Natales & cognatio.

Commendatariorum pessima exempla.

Auxit eodem anno cælitum numerum, meritissimus ille de Ordine, & Christi Ecclesia universa Camaldulensium nostrorum incomparabilis Reformator, & Montis Coronæ Monachorum felicissimus Jnstitutor, Beatus Paulus Justinianus, qui cum ex itinere ad summum Pontificem susceptо, morbo contracto, suorum destitutus auxilijs & ministerio, â Fratre Converso, qui unus unicus ipsi, ignarus quid ageret, aderat, deploraretur, prophetico spiritu, adfore quamprimum, qui se & ipsum solaretur, prænunciavit, adfuitque paulo post vir egregius, Beatus Gregorius Bergomensis, olim Prior Generalis sacræ Eremi, Paulo statim in ista erumpente: *Suavis Dominus*, ait, *universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus*, & pergens: *Non mei meriti fuit, sed Divinæ miserationis opus: ut tu charissime Frater & Pater mihi emigranti assistères, meque Catholica exhortatione morientem in fide confirmares. Qua de re, DEO meo primum, ac deinde tibi gratias ago ingentes: oroque supplex, ut sicut lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: ita Dominus concedere dignetur, animam servi sui lætantem ire in domum suam supernam, ejusque pedes stare faciat in atrys cœlestis Hierusalem.* Jnde conversus ad Dominum: *Adesto Tu jam mihi, O bone JESU, unica spes mea, sola salus mea, cui soli vixi, cui uni morior, & suscipe in misericordia Spiritum meum, quem in manus tuas commendo: quia Tu redemisti me DEUS Veritatis.* Quibus sic dictis, in sancta pace dulciter requievit die vigesima octava

Moritur B. Paulus Justinianus.

B. Gregorius Bergomens.

Suprema B. Pauli Justiniani Verba.

octava Junij pridie Apostolorum Petri & Pauli, quibus præclaram in tot conversione fidelium operam navaverat. Sepultus est apud Montem Soracten Romæ, in loco, non multo ante sibi ab Abbate nostro S. Pauli Romano in domicilium concesso. Fuit ante Religionis professionem Thomas appellatus; natus Venetijs ex illustrissima, vetustissimáque Justinianorum familia, Patrem habuit Franciscum Justinianum, præclarè gestis, & avita generis nobilitate inclytum, Matrem Paulam de Maripetris, Religione non minus, quam Ducali progenie conspicuam, Thomas ab incunabulis ipsis magnæ virtutis specimen præbuit, præmaturâ morum gravitate, senilem præferens prudentiam, mirámque vitæ integritatem atque honestatem. Litteris probè institutus, Græcâ, uti Latinâ mirè excelluit. A morte Jllustrissimorum parentum Patavium contendens, ipse rerum suarum prudentissimè satagens, annos undecim Philosophicis ac Theologicis Studijs sedulo impendit, eam juvenili etiamnum ætate doctrinæ famam consequutus, ut nulli ætatis suæ doctissimo secundus haberetur. Fuit formâ corporis & elegantiâ morum, dignis magno Principe, cæterum modestâ taciturnitate, & victus frugalitate, jam tunc æmulus Religiosorum; ex quo inter Amicos familiare dicterium, *Thomæ Justiniano cubiculum cum pane satis esse*. Hierosolymam profectus sacra loca religiosissimè veneratus est, indeque reversus, constitutis domi rebus, frustra collachrumantibus germanis & cognatis, per gravissima itineris pericula, Camaldulum se contulit, & sanctissimam Divi Benedicti Regulam amplexus & professus, admirabili deinceps Vitæ rigore & perfectione excelluit. Exin varijs, ob egregias virtutes & animi talenta, honoribus auctus, qui subesse maluerat, *MAIOR*, sic vocant, sacræ Eremi factus, sacra & profana mirificè promovit, & ad restaurandam propagandámque disciplinam, animum adjecit, Reformatoris, Propagatóríque Titulum dignissimum paulo post consequutus. Ipse autem exemplar Virtutum omnium, discipulis se suis exhibuit, corpus suum duriter habuit, humilitate & patientiâ omnibus admirationi fuit. Rarius illud; cum juratissimum hostem suum, ultione, ut videtur, Numinis, è sublimi cadentem, crure fracto, non aliter atque David Saulem, & Admirabilis Pater noster Benedictus Florentium, inimicissimum sibi suisque Presbyterum deploravit, totósque quindecim dies in pane & aqua jejunavit, ut non immerito oratione & jejunio ejusdem curatus credatur. Romam petiturus, dum in itinere moraretur, causam rogatus? magnum se prævidere malum fassus est: *Sed ne animos Vestros contristare videar, ibo: sciens utique, nullibi nos manus DEI posse effugere.* Triduo dein postquam Romam venerat, captâ â Borbonio Duce Urbe, & ipse cum suis captus, sed quod nulla spes lucri â pauperibus affulgeret, brevi dimissus est. Fuit verbo potens, calamo facundus, atque luculentus, pluráque ut supra diximus, reliquit egregij ingenij, simúlque sacri fervoris, & egregiæ pietatis monimenta.

Ejus vita compendium.

Eruditio.

Modico victu contentissimus.

Exemplar Virtutum omnium.

Hostium Amicus & fautor.

Roma infortunium prævidet.

IESU CHRISTI ANNUS M.DXXVIIII. Sancti Patris Benedicti. M.XLIX.

FEstivissimus cœlis Annus, felicissimo & glorioßissimo transitu electissimæ Christi Sponsæ Venerabilis Mariæ Catharinæ Brugoræ, Monialis S. Margaritæ in Urbe Mediolanensi, alterius Catharinæ Senensis, Brigittæ Suecicæ, Franciscæ Romanæ; cuius omnis Vita Martyrium fuit, ita Reginæ & Regi Martyrum vehementer condoluit, ita clavorum, ita coronæ spineæ stygmata patienter toleravit, ita efficaciter abominando scelera mortalium, offenso tam graviter Numini condoluit, ita inexplicabiliter in præceps scelerum prolapsis viscera misericordiæ aperta voluit, ita dies noctésque sese affligendo omnibus sese impendit, & superimpendit. Verè miraculum perditissimæ ætatis. Dies resolutionis ipsi expectatissima decima nona Novembris, quæ tunc feria sexta, crucifixo amori sacra, fuit, cum annos vixisset quadraginta, & viginti quinque â sua professione in Cænobio sanctissimè exegisset; inter verba sui Sponsi: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*, felicissimè extincta, cum paulo ante quam san-

Moritur B. Catharina Brugora.

Altera Catharina Senensis.

Inter verba Sponsi Crucifixi.

sanctam exhalaret animam, cœlestis quidam splendor stellæ lucidæ instar tertiùm per cubile gyrando supra caput denique Virginis sisteret; ipsâ â morte faciem serenitatis & lætitiæ plenissimam, præferente; ex cujus ore candidissima columba evolare visa versum cœlum erumpere, tota mox Mediolanensi Urbe ad nuncium mortis ejusdem occurrente, nec contineri sè passâ multitudine, quin in clausuram ipsam Cænobij irrumperet, nec satiari contuitu tam pretiosi funeris posset, donec quietis Cænobio reddendæ causa, delata in Ecclesiam, omnium solatio expositа triginta totos dies, universis spectabilis, supra feretrũ incorrupta prorsus, & inexplicabili gaudio omnes afficiens, jaceret, inde primum sarcophago lapideo condita & antea & postea magnis â Numine miraculis commendata. *Ex Vita per Franciscum Rugierium, solemniter approbata.*

Concursus ad funus.

Jncredibile dictu est, quanta in sola Germania, hoc ipso anno & tempore perpessi sint nostri, ab invalescentibus passim potentiâ & violentiâ Hæreticis; plurimis jam Principibus â Luthero & Assèclis, sacrâ siti bonorum Ecclesiasticorum accensis, & contra sacros viros concitatis, violentas infundata â suis Majoribus Monasteria manus injicientibus, nec bona solum temporalia sibi arrogantibus, sed & in sacra & â tot sæculis consecrata Numini, sacrosanctis Corpori & Sanguini Dominico propria immani infandóque Sacrilegiorum contextu, nequiter grassantibus, & sæpe in turpissimos usus, cœlo exhorrescente, eadem convertentibus, ipsis viris Religiosis, & Christi sacerdotibus, indignissimè raptatis, tractis, tortis, multis etiam parricidialiter interemptis. Spectare inter hæc erat, Viros non solum, sed Virgines Amazones cordatissimas, tanta magnanimitate, tantáque generositate, in tantis injurijs, calumnijs, cædibus, in tanta inopia, fame, siti, alijsque incommodis, ut non minora & indigniora vetustissimis Christi Martyrum exemplis, gloriosissimè præferrent, & quamvis alij calentissimis quotidie lachrymis, Numini suorum confratrum & sororum afflictiones commendarent, alij tamen & alij sèipsis fortiores, *ibant*, cum Apostolis *gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESU contumeliam pati, ludibria & verba experti, insuper & vincula & carceres, egentes, angustiati, afflicti*, DEI nihilominus gloriam & misericordiam prædicabant, nunquam melius sècum agi reputantes, quam si in suo pro Christo exilio morerentur. Quæ inter aliorum exilia & oppressiones, Prælati alij [Jmperio maximè immediatè subjecti, qui nullum alium agnoscerent Dominum quam Augustum Jmperatorem, vel quorum Principes, nova omnia dogmata constanter aversari, adversum Jconoclastas animum fortiter obfirmarunt] illi, inquam, Abbates, vigilantissimo oculo, in omnes sese passim insinuantium Hæreticorum conatus & fraudes intenti, maximo de Re Catholica merito, suas non solum ditiones & Dominia, sed & vicinorum quisque sibi Dynastarum, singulari arte & industriâ adversum pestilentissimam Hæreticorum dogmatum infectionem, præmunientes, missisque quaqua versum lectissimis & Religiosissimis oratoribus & prædicatoribus, saniora subditis consilia instillantes tantũ effecerunt, ut communi ferè tot mortalium per Germanias defectione, insignis planè Christo & Ecclesiæ pars Germaniæ servata Benedictino Ordini inter tantos turbines & tempestatem debeatur.

Persecutio per Germaniam.

Exempla mira constantia.

Renovata prisci sæculi exempla.

Compassio Religiosorum mutua.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XXX.
Sancti Patris Benedicti. M. L.

IN Hispanijs admirandis effulget sanctitatis splendoribus Beata Maria dicta â Matre DEI, monasticen professa in Monasterio Beatæ Mariæ Magdalenæ Jepensis oppidi, sponsa Christi lectissima, quæ cum Angelicæ puritatis integritate, & omnium Virtutum gratia, & consodalium suorum, & omnium intuentium atque audientium mirè afficeret animos, suoque exemplo plurimos ad sublimiora raperet, quo pluribus prodesset, ad novum construendum Cænobium in Villam Pinto destinata, illud, pro mirifico suo in DEI param affectu, ejusdem *Jmmaculatæ Conceptioni* sacrum voluit, insignique eodem titulo appellari, cui præesse jussa, sacras filiolas suas, mirifico Numinis & Cœlorum Augustæ amore succendit, ipsa autem, post exactam

B. Maria cognâ Matre DEI.

Condit Monast. Jmmaculatæ Conceptionis.

actam glorioſiſsimè per ingentia merita vitam, magnâ miraculorum gloriâ illuſtriſſima migravit ad Chriſtum, cujus ſacrum corpus, ex ultima proculdubio voluntate, ad locum profeſſionis relatum, ibidem ſummâ omnium admiratione & veneratione incorruptum ſervatur & colitur. *Ex monim. Hiſp. communic.*

Extinguitur hoc anno perilluſtre Ordinis in inferiore Germania lumen, Venerabilis Ægidius Abbas Lætienſis; vir per omnia laudatiſſimus, & propter eximias animi dotes Principibus chariſsimus, apud quos & clero & populo efficaciſsimè patrocinatus, verè patrem patriæ egit, & Margaritam inprimis, Belgij Gubernatricem ſanctis ſuis exhortationibus ad optima quæque flexit & Reipublicæ univerſæ immortaliter conſuluit. Reſtauravit in diſciplina & ædificijs monaſterium, & magnifici chori fundamenta jecit, in magnis conatibus morte interceptus; cujus inter præclarè geſta, hoc longè maximum, quod ſuperſtes etiamnum Coadiutorem ſibi delegerit eximiâ ſanctitate virum Ludovicum Bloſium, de Blois, de cujus meritis deinceps dicemus. *Ex monimentis ejusdem Cœnobij.*

Ven. Ægidius Abbas Latienſis.

Tranſit ad æterna immortalium gaudia ſanctæ recordationis Vir Venerabilis Pater Joannes Baptiſta Lucenſis, Camaldulenſis ſanctiſſimæ familiæ noſtræ lucidiſsimum ſydus, ſanctæ Mariæ Magdalenæ Contemplatricis illius & Amatricis Chriſti mirificæ longè amantiſsimus, quæ ad ipſum triduo ante mortem, ſpectabili forma gratioſiſsimè inviſens, lætiſsimo nuncio beavit, & poſt triduum carnis ſolvendum ergaſtulo prædixit, quo plurimum exhilaratus & ad feliciſſimam mortem ſanctiſsimè diſpoſitus felicem animam hilaris efflavit. *Ex ſæpe cit. monim. Camald.*

Ven. Joan. Baptiſta Lucenſis.

Jnter viros Ordinis doctiſſimos, & Philoſophos hujus ſæculi præſtantiſſimos, floret hoc tempore Benedictus Majoricenſis, Monachus Archiſterij Romani ſancti Pauli extra Urbem, Congregationis Caſinenſis, qui alia inter ſubtiliſſimi ingenij monimenta ſcripſit commentaria in Porphyrium, & in Logicam Quæſtiones univerſales &c.

Benedictus de Majorica.

Jnter præſtantiſſimos autem Pontifices, ex Ordine ejuſque Monaſterijs ad Epiſcopales Cathedras extractos, exſplendeſcunt hoc anno Philippus de Coſſe Conſtantienſis in Normannia Epiſcopus, Theobaldi de Coſſey & Felicitatis de Charno apud S. Julianum filius, Magnus Franciæ Eleemoſynarius Cluniacenſis Monachus, ad quem ſcripſit Salomon Macrinus &c. & Euſebius Priolus ex Patritio Veneto Monachus celeberrimi Cœnobij ſancti Michaelis de Murano ſacræ Congregationis noſtræ Camaldulenſis Vegienſis Epiſcopus, de quibus conſulendi rerum Cluniac. & Camald. Scriptores.

Philippus de Coſſe Epiſc. Conſtantienſis.

Euſebius Priolus Vegienſis Epiſc.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XXXI.
Sancti Patris Benedicti. M. LI.

SUmmâ in Jmperio auctoritate, apud Carolum Auguſtum, & Ferdinandum Regem gratiâ, eminet Gervicus, ex equeſtri Blararerorum de Girſperg & Güttingen familia, Jmperialis Cœnobij Weingarttenſis lectiſſimus Abbas, Vir præter generis ſplendorem & antiquitatem, doctrinâ, facundiâ & Juris, maximè Canonici ſcientiâ, ſed multo magis Forenſis ſive Civilis praxi & experientiâ ſpectatiſſimus, morum inſigni venuſtate, inque rebus agendis admirandâ prorſus dexteritate celebratiſſimus; inter præcipua Jmperij decora, Ordiniſque, ſed & Eccleſiæ univerſæ referendus. Js hoc ipſo anno, â Ferdinando Rege, uti & ſuperiore ab Auguſtiſsimo Cæſare Carolo V. conſultationi rerum graviſsimarum adhibitus, ita fidem, ingenium, induſtriam, atque indefeſſum, in ſummè arduis Jmperij rebus, ac negotijs difficillimis, utrique probavit, ut exin, multo quidem cùm Ordinis, tum Cœnobij ſui honore, ſed ingenti ſanè onere, & cum periculo graviſſimo vitæ ſummi obire momenti functiones & Legationes cogeretur. Quibus tamen feliciſſimè perfunctus, Monachorum ſtudia æterno merito, Germaniæ univerſæ, ſed & Eccleſiæ commendavit. De quo ſuis locis, plura recenſenda occurrent. *Ex Archivo Weingartt. & Vita ejuſdem.*

Gervicus Blarerus Abb. Weingartt.

A Cæſaribus ad graviſſima adhibitus.

Legationes ejusdem.

Jn inferiore Germania, immortalibus item ſe meritis commendat Jlluſtriſſimus & verè Reverendiſſimus Wilhelmus Abbas Prumienſis Comes

Wilhelmus Abb. Prumienſis.

de Manderscheidt Vir Religiosissimus & Zelosissimus, ob insignia vitæ merita, & miram tam in Divinis quam humanis litteris eruditionem, & Juris utriusque profundissimam cognitionem, nec non admiranda cum corporis tùm animi talenta & dotes; jam longè ante à Maximiliano I. Jmperatore Consiliarius adoptatus, omnibus Jmperij Principibus, præter avitæ & sanctæ Fidei desertores, gratissimus summóque in respectu habitus. Fuit sacræ Reformationis promotor strenuus, & suum inprimis Monasterium ad amussim statutorum Bursfeldensis Congregationis composuit, & magna industria, in Catholicis quaqua versum in officio & erga sedem Apostolicam reverentiâ continendis, diligentissimam operam intendit. *Ex monim. Prumiens. & Germania nostra.*

Nec minus solliciti & de suorum solida reformatione & de subditorum salute, sed & veneni Hæreseos passim sparsi extinctione alij tam superæ quàm inferæ Germaniæ Abbates, nullum non lapidem moverunt, quos inter Venerandæ memoriæ Abbas sancti Cornelij ad Jndam Henricus de Binsfeldt, nomen suum magnis meritis commendavit, inter illustriores sæculi hujus & Ordinis nostri viros merito celebrandus.

Henricus de Binsfeldt.

Merentur plurimi Ordinis nostri Abbates de sanctissimo novellæ culturæ Patrum Capucinorum Jnstituto, & in condendis variis Cœnobijs sumptus & alia necessaria suppeditant, maximo ad utilitatem publicam bono, fructu inde maximo, ab optimo eorumdem vitæ exemplo inter fideles consequente.

Nostrorum de PP. Capucinis merita.

IESU CHRISTI ANNUS S.M.D.XXXII.
Sancti Patris Benedicti. M. LII.

Vivere inter mortales desinit, ut immortalibus jungeretur. hoc anno, Venerabilis Jacquelina de Grandi Prato, Abbatissa S. Petri Remensis, Antistita verè incomparabilis, quæ vix inaudiens aliquid de Reformatione seria Ordinis instituta, toto animo efferuescens, cum esset loci princeps & prima omnium, omnes quoque alias antevertere exemplo suo statuit, & quo securius constantiúsque rem arduam aggrederetur, prius, quam sibi creditas Virgines, ad insueta cogeret, in seipsa experiri voluit; & ut non absque arbitro rem susciperet, licentiam ab Eminentissimo S. R. E. Cardinale & Archiepiscopo Remensi Roberto de Lenoncour rogavit & impetravit, cujus consensu Monmortanum initio Cœnobium adijt, in quo Reformationem pluribus jam annis viguisse intellexit, ubi decem & octo menses commorata, prima quasi de novo Monachicæ disciplinæ fundamenta posuit. Jnde etiam ad S. Mauri Virdunense ac deinde ad Calense sive Chelense se contulit, ut inde quoque sibi eligeret exemplaria imitanda summæ perfectionis, ubivis non tanquam Dominam se gerens, sed tanquam vilem Tyruncular ipsa speculum Zeli ferventissimi, & demississimæ humilitatis, Rege interim ipso pro Remensibus Ejusdem monialibus sollicito, &, ut assuescerent ad redituræ Jacquelinæ fervorem, præmittente Annam de Broyar Abbatissam Vallis Gratiæ, quæ interim per annos quatuor Monasterium Jaquelinæ curavit, & Guilelmettam de Bonvalet, cum sex alijs Monialibus Monmartensibus Cœnobio introduxit, quarum exemplis, Virgines aliæ salubriter institutæ, deinceps promptius & felicius ad jussa Jaquelinæ se converterent. Redijt hæc denique egregiè instituta, cumque in omni sanctitate exercitata facem omnibus anteferret, omnesque filias suas magnis demerita esset meritis, ad bravium felicis vocata æternitatis, læta & hilaris decessit sexta Febr. ætatis 53. *Ex communicatis à P. Don Amando Tibout Priore Deruensi.*

Reformatrix strenua.

Ven. S. Anna de Broyar.

Guilhelmetta de Bonvalet.

Obijt Ven. Jacquelina Abbatissa S. Petri Remensis.

Diethelmus, ex eadem, de qua supra, Blaarerorum F. questri familia [quâ vix ulla alia ex equestribus felicior, in tot dandis Jmperio Principibus electione creatis] Gerwici Abbatis Weingarttensis consanguineus, ante biennium Princeps & Abbas S. Galli in Helvetia, electus, insigni hoc ipso anno generositatis exemplo, nomen suum posteritati commendavit, quando Novatores Hæreticos, Heroico ausu felicissimè terruit, armis etiam quamprimum attrivit, eorumque insolentiam compescuit, & recepto à perduellibus Cœnobio, inter circumundique ambientes efferatissimos hostes Zwinglianos

Diethelmus Abb. S. Galli.

anos imperterritus, invictusque, fidei Catholicæ pro virili consuluit, & verbo exemploque nutantes in fide revocavit, atque longè etiam positis, ipsa Virtutum fama animum addidit, & confirmavit. *Ex Monim. Sangall. Mezlero, Mariano Bucelino &c.*

Benedictus Abbas Faucensis.

Sed & Benedicti Abbatis S. Magni in Faucibus Julijs, vulgo Füessen, inter tantas Germaniæ tenebras, tanto magis virtus enituit; ut proin ob virtutem Jmperatori Carolo charissimus, suisque inprimis utilissimus, florentissimum ipse Cænobium, inter asperrimam hanc calamitatum hyemem & pruinam, generosissimè administraret, atque inter commune & universale quasi Europæ incendium, rubi, Divino nimirum ardentis igne, sed incombusti, renovatum quasi exemplum & miraculum orbi repræsentaret, tanto quidem convenientius, quanto amantior illius Matris Virginis comprobatus est, quam rubo illo incombusto signari vetustissimi Ecclesiæ Doctores contendebant. *Ex Monimentis Faucensibus, Stengelio, aliisque.*

Faucenses in Fide retenti.

Hujus viri industriâ & vigilantiâ retenti in fide & obsequio Romanæ Ecclesiæ sunt Faucenses, & circumjacentes populi, adjuvante illâ præcipuè, quam tantopere colebat, quæ sola cunctas calcabat Hæreses, sedulò invocatâ, cujus ipse cultum inter suos & per suos latè promoverat. Quod & diversissimis passim locis per Germaniam Abbates nostri æterno cum merito strenuè præstitère.

JESU CHRISTI ANNUS. M.D.XXXIII. Sancti Patris Benedicti. M. LIII.

Guilielmus Meldensis Episcopus.

MOritur hoc anno, *acerrimus Lutheranæ factionis domitor & debellator scientiâ clarus & virtute*, Guilielmus Briconnet, Meldensis Episcopus, verè pastor bonus, præsul sui temporis incomparabilis, qui ex Monacho & Abbate S. Germani Parisiensis pro egregijs vitæ meritis Lovedensis primùm creatus Episcopus, ad Meldensem deinceps Cathedram evectus, dignissimum per omnia se comprobavit & præstitit Antistitem assiduâ per seipsum totius Diœceseos visitatione, ferventissimâ prædicatione, diligentissimâ pauperum curâ & susceptione &c. Jdem intelligens quantum cleri & totius Ecclesiæ interesset sæpius Synodos celebrari, quibus, nunquam non necessaria rebus caducis reformatio institueretur, duas ipse incomparabili cum utilitate, alteram anno Christi millesimo quingentesimo decimo nono, alteram vigesimo tertio convocavit, & multa præclarissimè sanxit & instituit, maximè autem contra impia Hæreticorum Dogmata omnis generis remedia excogitavit, sibique creditis oviculis mirâ & piâ sollicitudine cavit, multâque laudabiliter, *de invocatione sanctorum de precibus pro mortuis, de cultu Venerabilis Eucharistiæ*, aliâque statuit, ac libros Lutheri sub pœna excommunicationis solemniter prohibuit. Jnterfuit etiam Concilio Senonensi, in quo multa Regno utilia dictavit, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac fidei Catholicæ pro virili consuluit. Jdem altera Vice ad Romanum Pontificem Legatum egit, résque maximi momenti religiosissimè & dexterrimè confecit. Jdem Deiparæ cultor singularis, Festum Visitationis ejusdem solemne voluit, & feriari præcepit. Jdem multa præclare scripsit, aliâque inter, multo simplicium bono *Contemplationes Jdiotæ* in sermonem Gallicum transtulit, & insignem illam S. Germani Parisiensis Bibliothecam thesauro librorum auxit. Jdem Ecclesiam suam variè ornavit; Palatium Episcopale struxit, Parochorum Residentias curavit, verus omnium suorum & maximè pauperum Pater extitit, Vita excessit 25. Januarij hoc anno circa mediam noctem, ætatis suæ sexagesimo quinto, Aymandi [vulgo Aymans] prope Monasterium ad Jcaunam, ibique sepeliri elegit. Scripsit Testamentum sancto Episcopo dignissimum, quo pauperes [nulla prorsus Cognatorum habitâ ratione] pauperes, inquam, solos, & Ecclesias hæredes jussit. Jnde animâ Deo, Deiparæ & Curiæ cœlesti ferventissimè commendatâ, & Anniversario fundato, nec non sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis reverenter susceptis, sanctè in Domino requievit; sepultus ut voluit sub modico tantus Episcopus lapide, sub hâc à se dictata humili inscriptione.

Sæpius Synodos celebrat.

Hæreticis pro virili obnititur.

Verus pauperum Pater.

Testamentum dignum Episcopo.

GUILELMUS BRISSONETUS
Ecclesiæ Meldensis Humilis Minister.

Episcopi Monachi, quales.

TAles Episcopos etiam perditissimo hoc sæculo noster Ordo dedit, nec alios quotquot dedit; atque utinam ne plures daret, ambitio sæcularium non præpedijsset, quæ non Christi, sed sua quæsijt, seque ipsam juxta Christi oves perdidit, cum jam hoc tempore prece & pretio, petere & emere Episcopatus, pro nulla Simonia & Hæresi haberetur. Scripsit prolixè vitam tanti Pontificis Guido Bretonneau, quam tamen videre non meruimus. *Ex varijs rerum Gall. Script. &c.*

Ad summam, post Caput ipsum Ecclesiæ, & eminentissimam Cardinalium dignitatem, summo Ordinis ornamento evectus hoc anno est Philippus ex Monacho & Abbate Corbeiensi Episcopus Bononiensis, Ducis Albani Archistrategi Cæsarei frater, sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Presbyter Titulo S. Martini in Montibus, à Clemente VII. Pontifice Maximo pro egregijs vitæ meritis creatus, talem se omni tempore exhibuit, tantâ ut dignus purpurâ haberetur, non tam honorem attendens, quam solemnem sanctioris Vitæ professionem, unde & castissimè non solum, sed & frugaliter vixit, DEI & Ecclesiæ honorem promovere satagens, multa tantâ eminentiâ dignissima præstitit, & insignitèr Ecclesiam Christi universam demeruit; quæ non minus, quàm Antecessor, agnoscens Paulus III, Pontifex Maximus Titulos Principis meritissimi pro dignitate augens, ipsum postea Episcopum Cardinalem Tusculanum renunciavit. *Alph. Ciacon. Panuinius Claud. Robertus &c.*

Philippus Abbas Corbeiæ fit S. R. E. Cardinalis.

Insignia ejus merita.

Ordinis Conceptionis fructus.

Exarsit mirificè cum Novi Ordinis Conceptionis Immaculatæ Instituto, ejusdem Conceptionis reverentia & devotio, latiùsque & per Hispaniam, & per Gallias, mox & per Europam sese diffudit universam, & quidem cœlo applaudente universo, quin & signis prodigiosis attestante & confirmante, DEIparâ Ipsâ, ejusque filio gratissimum hoc sibi assertum, uti & Festum Immaculatæ Conceptionis, omnibus alijs Augustæ cœlorum longè acceptissimum, divinitus revelantibus, tantóque magis applaudentibus cœlitibus, quanto magis fremerent cum omni suo Hæreticorum cætu Inferi, & ad partes quoque suas attrahere conarentur. Suæ nimium præfidentes scientiæ, an ignorantiæ, quibus tamen prodigiosis argumentis cœlum obnixum facilè in suam sententiam traxit, quos liber Vitæ inscriptos habuit, ut de tam felici Novi Ordinis Institutu, uti & olim, de tantæ assertionis, & primævo Festi instituti merito sanctissimus Patriarcha noster Benedictus totáque ejus sacra posteritas merito sibi æternùm gratulentur. *Ex diversis Historiæ Marianæ, Hispan. & Gall. Scriptor.*

Cœli plausus.

Inferorum luctus & resistentia.

Ingens Ordinis gloria

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XXXIV.
Sancti Patris Benedicti. M. LIV.

MEmorabilis hic annus, altero solemni novi sui condendi Instituti actu, à sanctissimo Societatis JESU Patriarcha Ignatio, Ordini nostro redditur, quo nimirum, uti in Hispanijs suæ conversionis initia posuit ac fundamenta, & apud Montserratenses nostros quasi Novitium egit, ita in Gallijs, in sanctissimo illo prope Parisios Montis Martyrum Cænobio, solemnem cum suis professionem emisit. Ribadeneiram audiamus, de Ignatio & Socijs hæc ipsa dicentem: *Anno 1534. die Assumptioni Beatæ MARIÆ Virginis sacro, ad ædem Beatæ MARIÆ, quæ Mons Martyrum vulgo dicitur, & ab Urbe Lutetia non procul abest, una omnes convenerunt. Ibi rite confessione factâ, atque sacrâ Synaxi perceptâ, voto se obstrinxerunt rebus omnibus (excepto Viatico) ad dictam diem renunciandi, procurandæ proximorum salutis, Hierosolymam navigandi; idque præstituto tempore, atque eâ conditione, ut si intra præscriptum anni tempus, eo navigare, aut in sacris locis postea vivere non liceret, Romam reverterentur: Romano Summóque Pontifici sese ad pedes abjicerent, ut ad suum arbitrium, ipsis in salutem animarum uteretur.* Talis tunc quidem erat Ignatij & Sociorum prima Religionis professio, quam altero & tertio post anno eâdem ipsa die, cæremoniâ & loco confirmavit, ut de hoc ipso & Mons ille Martyrum, Cænobium usque hodie Ordinis nostri illustrissimum, & Ordo noster æternum sibi gratuletur, & hic, atque laudatissima illa Societas, tam sanctà obligati necessi-

S. Ignatius de Loyola in nostro Mont. Martyrum vota emittit Relig.

cessitudine sese mutuo & arctè complectantur.

B. Petrus Favensis Monte Coronæ sæcta.

Ipso anno, felicissima morte vitam hanc ærumnis plenissimam abrumpit, Beatus Petrus Favensis Montis Coronæ Monachus, exemplo vitæ sanctissimæ sæculo huic, uti & potenti admodum apud Numen patrocinio utilissimus. Fuit is miro vitæ rigore sui corporis hostis juratus, in rerum cœlestium contemplatione assiduus, in charitate perfectus, omni virtutum genere cultissimus, sydus revera lucidissimum obscurissimi temporis & ætatis. Huic morti proximo, cum fandi facultas, violentiâ morbi ablata esset, paulo ante supremum vitæ anhelitum, restituta fuit, cum illam inter silentij diuturni moram, gravissimo conflictu, quod multis sanctissimorum virorum contigit, cum Dæmonibus depugnasset. Solutâ proin linguâ hilaris in ea quamprimum plena plausus suprema sibi verba prorupit: *Ego vici, ego vici, ego vici. Te DEUM laudamus, Te Dominum confitemur.* Mox Fratribus Cantici ejusdem cætera prosequentibus, cum fine Cantici Petrus finem vivendi fecit, felicemque animum & gratulabundum ad Creatorem transmisit. *Lucas Ruhensis, Hist. Mont. Coronæ &c.*

Felicissima ejus mors.

Jn Anglia admiranda nostrorum cœlo se probat Constantia, dum simillimo Luciferi lapsu, pari superbia & stultitia Henricus VIII. Brittanniæ Rex, in omne jam genus scelerum Præceps, summum sibi Jus in Ecclesias arrogat, secumque ipse, tanquam summus Pontifex, in alterâ legitimæ superinducenda conjuge dispensat, omniáque jura Ecclesiastica violat, nostris palam ejus improbitatem damnantibus, in quos ipse horrendum debacchatur, infandis deinceps Sacrilegijs, impudicitijs, parricidijs, manus totámque vitam contaminans, ac nomen Regium turpissimè polluens, nostris omnes sibi illatas injurias, excussiones, rapinas, exilium, mortem ipsam patientissimè tolerantibus, cœlóque ipsi sese probantibus & commendantibus. *Ex rerum Anglic. Scriptoribus, Sandero. Mayhow &c.*

Henrico VIII. Angl. Regi contradicunt

Jn superiore æque atque inferiore Germania, quanto alijs & alijs locis, Hæresis & cum hac, ipso Lutheros teste omnia scelera invalescunt, tanto magis desudant præstantissimi diversorum Monasteriorum Abbates, in evertendis impijs dogmatibus, & in sacra passim Reformatione prolatanda. Certè Joannes Turbeyt Scheurensis Cænobij in Bavaria Abbas, Alberto Bavariæ Duci, ob egregias Virtutes intimè charus, Principis usus benevolentiâ & gratiâ, Reformationem passim in plurima omnino Cænobia introduxit, & immortaliter de Ordine meruit, litterarum non minus studia, quam pietatem promovens, quibus Religiosos, ad ridendos & exsufflandos Hæreticorum assultus obarmaret, & Catholicum populum in fide confirmaret. *Ex monim. Scheurensibus.*

Joannes Abbas in Scheürn.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XXXV.
Sancti Patris Benedicti. M. LV.

VEnerandi primi Societatis Jesu Patres denuo apud nostros in Monte Martyrum prope Parisios solemnem Votorum professionem congeminant, iterum die Assumptæ Magnæ Matri Virgini sacrâ & solemni, eâdem prorsus præparatione, cæremoniâ & devotione. *Ita Petrus Ribadeneira.*

Congeminant professionem Patres Societ.

Jn inferiori Germania splendidissimum sane illucescit sydus, percellitque omnium oculos & animos, ipsiusmet etiam Augustissimi Cæsaris & Hispaniarum Regis Caroli V. & fratris ejusdem Ferdinandi Regis Venerabilis Vir Ludovicus Blosius Abbas Lætiensis, qui sub hoc ipsum tempus insignem meditabatur & Divino sanè dictante Spiritu fundabat Reformationem. Js Gerardo de Blois Domino de Jumigny, & Catharina Domina de Donsteene familia Barbensonia pijs Parentibus natus, Gerardi de Treslong & Margaritæ de Cuveliers nepos, inter Ephebos Caroli V. Jmperatoris adolevit, ipsi charissimus, ut qui egregia semper ediderit specimina magni ingenij & admirandæ in juvene virtutis. Litterarum studijs â puero deditissimus fuit, sed pietati ante omnia, ut in Aula etiamnum degens sanctitatis speciem præseferret, â qua absolutus, cum magnos â Cæsare favores & honores sibi certissimos polliceri posset, nullos omnino quam Regis Regum Jesu

Ven. Ludovicus Blosius Abb. Lætiensis.

Ejus natales.

Jesu Christi, Amoris Crucifixi exambijt, & ut mereretur, ejus Crucem cumque ipso configi elegit, paulo post ad Monasterium Lætiense se conferens, atque ibidem sacro Tyrocinio generose superato, Monasticen professus; ibi se totum lectioni, Meditationi & librorum scriptioni dedit, mirè in omnibus prodente se Numinis gratiâ, ut scripta non aliter ejusdem, quam Melliflui Doctoris Bernardi, melle & lacte fluerent, adeo ijsdem capto & recreato amantissimo Juvenis Cæsare, ut libellos ab eo scriptos in delicijs haberet, & inter thesauros numeraret, tantopere ad eosdem affectus, ut secum quacunque pergeret deferret, & magno cum gustu assidue legeret.

Fit Monachus Lætiensis.

Carolus V. Imp. Blosij libellos sinu circumfert.

Et vero simillimum, eorumdem lectione, amorem Vitæ Religiosæ imbibisse, ita ut postea, toto obstupescente orbe, Jmperium & tanta Regna, omnia abdicaret, & Monasterio se includeret, tantum Blosio deberet tantus Jmperator. Nec dubium, in Cænobio multo magis libellos illos in consilium vocasse, cum Jmperator etiamnum, non aliter atque Magnus Alexander Homeri Jliadem in Narthecio, sic ipse in sinu Jmperatorio condidisset ac circumtulisset. Jpsum etiam tanti Ægidius Gippus Antecessor fecit, ut Juvenem etiamnum sibi jam Grandævo Coadiutorem assumeret, idque communi Religiosorum omnium Lætiensis Monasterij assensu & gratulatione, cui, biennio post, demortuo, summo omnium plausu & Augusti maximè Jpsiusmet plausibili approbatione successit. Mox magna aggressus, minimè contentus eâ quam repererat honestissimâ aliàs disciplinâ, adeo præclarè ipsam in sublime provexit, ut Lætiense Cænobium, nulli secundum totâ Germania superiore & inferiore haberetur, suos primævo quasi fervore Ordinis accendens, quo ipse adeo exarsit, ut admirandus sanè omnibus haberetur. Eum brevi, & digno elogio in Operum ejus Præludio, sic Jacobus Froyus commendat & celebrat:

Ægidius Gippus Abb. Lætiensis.

Laudes Blosij Abbatis.

Fuit, inquit, *exacto judicio, moribus integris, in victu sobrius, in cultu frugalis, obvius & expositus etiam infimis, alacer & humanus in excipiendis hospitibus; in egenos omnes ac eos præcipuè, qui vel Religionis, vel eruditionis nomine, commendabantur, benignus ac liberalis, sibi perpetuo constans, & in medijs negotiorum undis, adversitatum procellis, oleo, ut dici solet, tranquillior. Jn rebus agendis dexter & felix, sagax & prudens in consilijs dandis. Tam verò fuit creber, ne dicam assiduus, in oratione, Divinarumque rerum contemplatione, quàm indefessus in lectione, studioque sacrarum litterarum, quibus totum ferè tempus, quod à sacrorum pensis erat vacuum, dare consueverat.* Sed de tanto viro, alia suis locis.

Virtutum speculum.

Felici exitu vitam terminat Venerabilis vir Paulus Annicola Cellæ veteris Abbas, vir eruditus & zelosus, egregius Christi pugil, qui multos tractatus scripsit contra Lutherum, *de votis Monasticis, de SS. Missæ sacrificio, de Jejunio, de Jnvocatione Sanctorum, de una specie sacramenti, de auctoritate Romani Pontificis, de Operum meritis, de conjugio Sacerdotum prohibito*, pluráque alia, tanti viri Zelum comprobantia, & magnam commendantia eruditionem.

Paulus Annicola Abbas.

Jn Gallijs diversarum Ordinis Benedictini Congregationum cœlos terrasq; demeretur fervor, aliasque inter Cœlestina verè cœlestis, insignia edit exempla eximiæ sanctitatis, è qua hoc ipso anno cœlestibus inserendus Empyrei cœli syderibus evocatur sanctæ memoriæ Petrus Bartius. Hic sanctissimi Patriarchæ nostri *BENEDICTI* filijs in Cælestinorum Cænobio Parisijs accensus, varios postea honores & sanctitatis & eruditionis eximiâ famâ meruit. Jpsum à perfectionis studio aggressus abducere Cacodæmon, ipso in Tyrocinio, horrendis larvis & spectris sæpius exterruit, frequenter etiam atrocius tractavit, pugnisque ac flagris horrendum afflixit: cum ille jejunijs, vigilijs & orationibus, Magni Antonij exemplo & cohortatione, infensissimi hostis injurijs atque insidijs constantissimè obniteretur, & stupenda patientia, summos inter dolores, *DEI* assiduis laudibus semet solaretur. Contemplationis studio addictissimus fuit, in qua Divina patiebatur, semelque in spiritu raptus, facie admodum splendidâ à Fratre visus est. Jnfirmos, de quibus constare poterat, duos, sanitati prodigiosè restituit. Pauperati diligentissimè studuit, ita quidem, ut lacernis detritis, ad usus pauperum

Ven. Petrus Bartius Cœlestinus.

Cacodæmoni ódiosissimus.

Miracula ejusdem.

semotis, libenter indueretur. Semel Lugdunensis Cœnobij, Parisiensis autem quinquies, Prioris nomine Magistratum gessit. Provincialis etiam, ut sacri vocamus, munere ornatus an oneratus, Parisiensis insuper amplissimæ Diœceseos Monasteriorum Visitator, ab Episcopo designatus, honores illos ut summâ utilitate, sic infimâ humilitate, præclarissimè gessit, ipsisque ornamento fuit, oblatam Episcopatus præcipuam dignitatem, ut admitteret, persuaderi nulla ratione potuit, seu generosissimo animo, & constantissime recusavit. Eum magni fecit Ludovicus XII. Galliarum Rex, & præcipuè coluit, multa illi arcana detexit, & interdum animi sordes, piaculari confessione apud ipsum egessit. Obijt Parisijs cum magna sanctitatis opinione hoc anno, in Capitulo ibidem tumulatus. *Ex Historia Cœlestin. Hugone Menardo &c.*

Magni fit à Lud. XII.

IESU CHRISTI ANNUS M.D.XXXVI.
Sancti Patris Benedicti. M. L. VI.

ANglia, innumeris olim sanctorum Benedictini Ordinis Confessorum manipulis florentissima sub Apostatæ Regis Henrici octavi truculentissimo Jmperio, gloriosissimorum vicissim Martyrum Triumphis redditur fœcundissima, tam pretiosâ nimirum sanguinis inundatione impinguata. Memorat Chrysostomus Henriquezius, ex sola sacra Cistertiensi Congregatione nostra, innumerabiles Religiosos propter fidem crudeliter interemptos, *quorum*, inquit, *nomina novit ille, qui coronâ immortalitatis milites suos in æterna patria glorificat*, ut ex hoc ipso pateat, quanta victimarum Deo sacrarum ex alijs nostri Ordinis familijs, multitudo ceciderit, & ex Congregatione maximè Nigrorum sive Cluniacensium, cum horum Monasterijs Anglia, Scotia, Hibernia plenissimæ fuerint, eademque viris Religiosis Virginibus longè frequentissima, omnia omnino pessumdante singulari fero illo & Apro turpissimo, omneque inde aurum & argentum rapiente, & in suos usus sacrilegè convertente. Cæterum, Lanienam quod attinet, alios inter hoc ipso anno Richardus Wohintingius, celeberrimi illius Glastenburiensis Cœnobij Abbas cum vero Christi Vicario fidelitatem abrenunciare constanter renueret, & creatum à se ipso Ecclesiæ caput Henricum Regem adorare una cum Fratribus quos secum adduxerat, Joanne Torne, & Rogero Jacobo, absque ulla misericordia cum ijsdem ad supplicium raptus, in patibulo suspensus, inde semivivus depositus, & in quatuor sectus partes, glorioso Martyrio est consummatus; cæteris pari constantiâ supplicium idem subeuntibus. Simili omnino morte, & coronâ eodem anno digni à Deo habiti sunt duo alij Abbates Reverendissimi Wahlhensis & Sauliensis, & Guilelmus Hadoc & ipse Wahlhensis Asceta, ita ut nullo unquam sæculo (quod ex Annalibus nostris Benedictinis liquet) nostrorum desideraretur magnanimitas & Generositas, ad Fidem Catholicam etiam cum proprio sanguine asserendam & consignandam, quorum hic exempla pauculissima pro sexcentis producimus, ut etiam perditissimo hoc ævo incomparabilem ex tot Martyrum triumphis Ordinis nostri & Benedicti in suis Redivivi gloriam celebremus. Pari felicitate coronas & laureas similes consequuti, duo alij etiam Abbates, Riverensis & Fontanensis, ut ex una unius anni dignissima fertilitate, cæterorum etiam copiam facilè metiaris, & ab exemplis tot Abbatum, piam tot Conventuum & Religiosorum Cœtuum æmulationem & ad supplicia eadem præparationem noveris æstimare. Sed præ omnium constantia enituit imperterritus atque insuperabilis Vitingi nostri Glasconiensis Antistitis animus, qui qua erat eruditione, eloquentia & auctoritate, velut murum pro Domo Dei impijssimi sese Regis conatibus, & contra Ecclesiasticam libertatem Sacrilegijs opposuit. De cujus, ut & Hugonis Feringdoni, Redingensis, & Joannis Beci Cloccestrensis Abbatum, nec non Ruggi, Onionique Monachorum Presbyterorum gloriosissimo agone & morte, *consulendus Clemens noster Reinerus, in Apostolatu Benedictino Angliæ.*

Martyres in Anglia.

Richardus Abbas & Mart.

Socij ejusdem Martyrij.

Duo alij Abbates Martyres.

Vitingus Glasconiensis Abbas.

Plures alij.

Extinguitur hoc ipso anno expectatissima sibi morte Beatæ memoriæ R. P. Petrus de Burgos, intimus quondam Amicus, & velut alter Achates Viri sanctissimi Garziæ de Cisneros Con-

Ven. Petrus de Burgos Montserrat obijt.

Congregationis Hiſpanicæ Jnſtitutoris & Abbatis Montſerratenſis, cui etiam poſt ſanctæ recordationis Petrum de Nunnotz in Abbatia ſucceſſit, Garziam ſpiritu & merito proximè aſſequutus, & plurimis per Hiſpanias reformatis Monaſterijs longè meritiſſimus, cujus dolemus res geſtas à viris illius Archiſterij Religioſiſſimis minimè deſcribi vel ſuis ſolum ſcriptoribus reſervari, & non magis pro exemplo Toti Ordini imitanda proponi. *Videatur Ant. de Jepes &c.*

Patres Societat. tertium profeſſionem apud noſtros emittunt.

Reverendi Patres Societatis Jesu inſtitutores primi, tertium jam, & quidem ſemper decimo octavo Calend. Septemb. ſolemniſſimo glorioſiſſimæ in cœlos Aſſumptæ cœlorum Auguſtæ Lutetiæ Pariſiorum, in eodem, quo ante annum, & biennium, celeberrimo Montis Martyrum Benedictini Ordinis Cœnobio, ſuæ Religioſæ Vitæ Profeſſionem faciunt; paulo poſt in diverſas Europæ provincias à ſanctiſſimo ſuo Jnſtitutore bono publico deſtinati. *Ribadeneira in vita S. Ignatij. &c.*

V. Joan. Abbas Abdinckhofenſis.

Jn Germania inſigne iterum ſydus extinguitur, Beatæ memoriæ Joannes de Suſato Abdinckhofenſis in civitate Paderbornenſi Abbas meritiſſimus, Henrici de Peynis viri non minus ſancti ſucceſſor digniſſimus, Zelique Religioſi ac omnium Virtutum ex aſſe quaſi hæres, Reformationis Monachicæ promotor meritiſſimus, qui non abſque opinione abſolutiſſimæ ſanctitatis ex hac vita migravit ſexto Jduum Aprilis, ad cujus tumulum energumena mirè liberata fuit. Succeſſit haud impari Vitæ laude, & mirandæ inſuper eruditionis Vir Theodoricus Ruræmontenſis. *Ex Monim. ejusdem Cœnobij.*

Guilhelmus Abb. Laubienſis.

Nec minoris Virtutis & ſcientiæ Vir, hoc ipſo anno mortalitatem exuit, Guilielmus Cordier ex Aſceta & Theſaurario S. Gisleni Abbas Laubienſis & ipſe in promovenda ſanctiſſima reformatione laborioſiſsimus, deque Ordine optimè meritus, cui Guilielmus Caulier ſucceſsit ex Archiſterio Belgij S. Vedaſti poſtulatus.

IESU CHRISTI ANNUS M.D.XXXVII
Sancti Patris Benedicti. M. LVII.

REcurrit denuo ad univerſalem Religioſorum omnium Patriarcham Divum *BENEDICTUM* ſanctiſsimus laudabiliſsimæ Societatis Jeſu Jnſtitutor Jgnatius Loiola, & ad ſacrum ejus corpus venerandum, Româ Caſinum peregrinatus, & mirâ loci ſanctitate captus atque retentus, ardentiſsimis votis & precibus præfato loci Fundatori & Tutelari ſupplex, magnis eodem intercedente gratijs à Numine donatus, eo ipſo in monte, in quo Magnus ille Monachorum Legumlator, Jgnatiùs quoque ſuas Regulas meditatus eſt. Ubi, uti antea, primùm in Hiſpanijs, poſtea in Gallijs à Noſtris ſuſceptus perbenignè eſt, & ſumma cum reverentia & charitate, veréque Benedictinâ hoſpitalitate tractatus; ita etiam in Jtalia, in Caſinate Monaſteriorum Europæ omniũ Principe, non aliter atque Angelus cœlo deſcendens ſuſceptus, omnibuſque intimæ & pluſquam familiaris & fraternæ charitatis officijs amantiſſimè habitus, in Oratorio Sanctæ Mariæ de Albaneta accommodatus, familiariſſimos meruit, viros Religioſiſſimos, & doctiſſimos Fratres Angelum Riccam, Benedictum Canophilum & Gregorium de Piſonibus, quibus omnia ſui animi ſenſa explicans, ſeque ipſum expectorans, illos rerum ſuarum arbitros exoravit, eorumdemque auxilio & conſilio, ſuas Regulas, aſpirante pijs ipſorum conatibus Numine, conſcripſit; è quibus deinceps, tanta in ſuæ Societatis Religioſos, & ab his in orbem terrarum univerſum bonorum & donorum affluentia ſeſe effudit. *Jta Monimenta Caſinatis Archiſterij. Marcus Ant. Scipio, Conſtant. Caietanus &c.*

S. Ignatius de Loiola Caſinum peregrinatur.

Excipitur ſummo noſtrorum plauſu.

In B. M. V. de Albaneta accommodatur. ibi Regulas ſcripſit.

Meruit & aliam in eodem ſanctiſſimo Monte idem Sanctiſſimus Vir, Jgnatius gratiam, repetito in eodem [ex parte] Jpſiuſmet Sancti Patris Benedicti miraculo, quo iſte S. Germani Capuani Epiſcopi animam in Sphœra ignea in cœlum portari è Cellula ſua Caſinate conſpexerat; Jgnatio ſimiliter R. P. Hozij Patavij (quo ipſum cum Patre Joanne Codurio Jgnatius deſtinaverat) defuncti animum, clariſſimâ luce circumfuſum, inque cœlum penetrantem, conſpiciente, & Hozij animum eſſe cognoſcente. Pergit rem miram enarrare Caſini geſtam Ribadeneira, hiſce verbis: *Deinde etiam cum rei ſacræ daret operam, & in Generali Confeſſione*

P. Hozij animum ad Cœlos ferri intuetur.

Visio S. Ignatij sub Missa.

fessione (quæ ante Missam præmittitur, ad illa verba veniſſet (& omnibus Sanctis) magnum Sanctorum numerum, fulgentem gloria, ante oculos poſitum vidit, inter quos & Hozius aderat, ſplendidiore quàm reliqui habitu, gloriaque multo illuſtriore. Non quod ſanctior ille cæteris, aut beatior eſſet: ſed quod DEUS gloriam hominis, per inſigniorem hanc formam compertam Ignatio, ut ipſemet referebat, teſtatamque eſſe voluiſſet. Qua ex re tanta lætitia perfuſus eſt ejus animus, ut per multos dies, ſuaviſſimum ex recordatione fletum reprimere non poſſet. Ita Petrus Ribadeneira in Vitâ Ignatij & plures alij ſcriptores. Tantum gratiæ Ignatio Caſini à Numine, tantum Gloriæ Caſino ab Ignatio contigit, ut merito uſque hodie, ſera ſanctorum agnoſcat poſteritas & mutuo ſe ſe in tantorum parentum ſyncero affectu complectantur.

Gerwici Abbatis Weingartenſis merita.

Inter meritiſſimos hoc ipſo anno de Imperio, deque Religione Catholica in Imperio viros referendus merito ſuo eſt, Gerwicus Abbas Weingartenſis, ex equeſtri vetuſtiſſima & nobiliſſima Blaarerorum de Girſperg & Güttingen familia, bono publico totus intentus impenſuſque, nulla ſpe lucri, aut honorum, graviſſimis ſui Cœnobij incommodo, diſpendio, periculis, impenſiſque, Imperatoris atque Imperij commodis proſpiciens, & neceſſitati patriæ conſulens, graviſſimis ſæpe functus Legationibus, atque in remota & extera Regna ob ſeria Regni negotia Imperatorem conſequutus. Adeo noſtri ambitione omni & fortunâ potiorem fidem & Conſtantiam habuere. Et revera ſingulis fere annis, minimè tamen ſingula, quæ totos requirerent tomos, ſed plurima, atque ingentia tanti viri de Imperio, ejuſque Auguſto merita forent commemoranda. Nec cenſeremus etiam compendio excludenda, niſi amori proprio, nec Religionis ſolum ſed & ſanguinis propinquitati ac neceſſitudini obnoxia laudatio videri poſſet. Prætermittendum tamen non eſt, Gerwici inprimis conſilio atque opera, haud modico Imperij bono, Ordiniſque Benedictini, atque aliorum etiam Abbatum ornamento atque emolumento, Collegium Imperialium Sueviæ Abbatum eſſe inſtitutum, Gerwico Collegij ejuſdem rem & honorem primùm promovente, Archivum cuſtodiente, & primo ab Abbatibus Cancellario deſignato. *Ex Weingart. Monimentis.*

Opera Collegium Abbatum Imperialium inſtituitur.

B. Hieronymi Sueſſani merita.

De Beati Hieronymi Sueſſani, meritiſſimi Reformationis Montis Coronæ propagatoris, meritis & virtutibus, multa & miranda hoc tempore celebrat Lucas Ruhenſis, qui hoc ipſo anno factam ab ipſo Ruhæ, ſive Ruhenſis Cœnobij fundationem commemorat; in quo cum lectiſſimæ ſuæ atque Ordinis univerſi Tutelaris, Magnæ Matris Virginis imaginem poſuiſſet, frequentibus illico illa miraculis locũ illuſtravit, & celebrem reddidit, ac pios pauperum conatus, plurimum iuvit, & mirè promovit. *Vid. cit. Lucas Ruhenſis.* Ipſo anno moritur Jll*mus* Dn. F. Vincentius Buccaferreus Congr. Olivet. Epiſcopus Marſicæ Novæ, Pauli III. olim Oeconomus, Vir præſtantiſſimus.

Vincentius Epiſc. Marſicanus.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XXXVIII. Sancti Patris Benedicti. M. L. VIII.

COelo jucundiſima, in Britannijs, ab Ordine Benedictino exhibentur ſpectacula dum innumera Religioſorum multitudo, ad omne ſubeundum pro Chriſto & Romana Fide Martyrium parata, nullumque intactum ab impijſsimi Regis crudeliſsimis edictis Cœnobium, omnia ſuſque deque vertuntur, ſpoliantur, Eccleſiæ, altaria, ſacra vaſa impuriſsimis tractantur manibus, & Viri Religioſiſsimi, multo ignominioſius, quàm ab Hærode Chriſtus, tractantur, nemine non ſibi mortem imaginante, dum potiores cæteris omnes abripi ad carceres, alios ſine cauſa ſterni & trucidari conſpiciunt, præcipitante in omnem licentiam, aliàs infenſo Religioſis Regio milite, eóque gratius ſeſe Regi facere perſuaſiſsimum habente, quanto crudeliùs ſacros viros & ſacra omnia tractarent, cum vice verſa, plurimi mille cladibus perire mallent, quam adeo turpiter & ſacrilegè ſacra loca profanari, & DEUM tantis facinoribus offendi. Sed quàm jucundum cœlitibus tot millium ſpectare generoſos animos & agonem tam Heroicum, tam horribile viſu & abominandum hoc ipſo fuit anno quod dementiſsimus

Perſecutio noſtrorum in Anglia.

Etiam mortuis bellum indixit Henricus VIII.

præ furore Rex, in cœlos ipsos est ausus, inauditâ ad eam usque diem temeritate & immanitate, nec solum mortuis insultare non est veritus, sed tantâ miraculorum gloriâ ab ipso Numine commendatissimo Cœliti S. Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo & Martyri [quem odio infensissimo stultissimus ipse persequebatur, quod vir sanctissimus adeo constans libertatis Ecclesiasticæ dum viveret assertor fuisset & Henrici Regis cognominis libidini tam constanter obstitisset] bellū intulit, eo nequitiæ & abominationis progressus, ut Sancto solemnissimè Canonizato totoque terrarum orbe celebratissimo, adeóque ipsi quasi DEO, contestatissimâ Amicissimi sui Thomæ sanctitatē, tantis prodigijs cōmendanti, ceu iniquo obniti ausus, illi diem dicere huic contradicere, illum è cœlis ad Sathanicum suum tribunal vocare non expaueſceret. Citationem perfidissimi & stultissimi Regis audiamus.

Impietas inaudita Henrici VIII.

Henricus VIII. stultissimè S. Thomam è cœlis ad suum tribunal citat.

Henricus DEI gratia Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Defensor Fidei, & Ecclesiæ Anglicanæ CAPUT. Præsentium tenore citamus, & vocamus ad supremum nostrum Consilium, TE THOMAM qui fuisti olim Archiepiscopus Cantuariensis, ad agendum de mortis tuæ causa, de scandalis quæ commisisti contra Reges nostros præcessores, & injustitia, qua tibi Martyris nomen arrogasti: quod potius, ut rebellis & contumax contra Regis tui & Domini auctoritatem, quàm ut fidem Catholicam propugnares, mortem subieris: quod sine præjudicio ejusdē leges, quibus te opposuisti, justas dicere poteras, & ille esse supremus in rebus Ecclesiasticis Iudex, ut nos jam sumus. Et quia delicta tua commissa sunt contra Regiam Majestatem, quam hodie tenemus, citamus te ad audiendum sententiam. Et si non sit, qui pro te compareat, juridicè procedetur, prout Regnorum nostrorum Leges disponunt & dictitant. Datum Londonij 24. Aprilis 1536. Hanc malè fundatam citationem, jussit Henricus sancto viro ad sepulchrum significari per apparitorem publicum, & intimationis testimonium scribi. Et jam triginta dierum tempore illi statuto elapso, lis contra sanctum scripto cœpta, dato illi causidico, qui causam illius ageret, ut Rex volebat [pulchrè Oedepol Hercle] & rationibus quas volebat Rex, Henrici II. actionem assumebat, & probare nitebatur, quod antiquæ illæ leges justæ erant, & is, qui se ijsdem opponeret, rebellis & contumax, quodque illi qui sanctum trucidarant, fidelium & bonorum subditorum munus implessent, &c. Ex quibus omnibus sequuta est sæva in S. Thomam sententia, DEO sic permittente, ut monstri hujus Diabolici injustitia, & conatus stulti atque impij tanto clarius paterent, & Sancti Thomæ memoria renovaretur. in secundo hoc suo, memorabili ad omnem æternitatem Martyrio. Sententiam cœlis detestandam audiamus.

O Monstrum nequitiæ!

Pulchrè Oedepol Hercle!

Henricus DEI gratia &c. ut supra. Visa causa Thomæ quondam Archiepiscopi Cantuariensis, & quod coram nostro Consilio supremo, citatus, nemo qui causam ejus ageret, statuto tempore comparuerit, & quod Causidicus ei datus nihil alleget in refutationem & rejectionem criminum, Rebellionis, Contumaciæ, læsæ Majestatis & proditionis contra Regem suum, ut pœnam ipsis debitam effugeret, Visa etiam probatione sufficiente omnium de quibus accusatur, & quod vivens Regnum turbarit, & totus in hoc fuerit, ut prædecessorum nostrorum Regiam potentiam diminueret, quodque crimina ejus mortis causa fuerunt, & non quod ob DEI & ejus Ecclesiæ honorem occubuerit, quod ejusdem superioritas pertinet ad hujus Regni Reges, & non ad Episcopum Romanum, ut ille sustinebat in coronæ nostræ præjudicium. Viso etiam quod populus eum habet pro Martyre, quod dicat eos qui pro Ecclesiæ Romanæ authoritatis defensione mortem oppetunt, veneratione dignos esse. Ut ergo talium criminum rei puniantur, & ignorantes errorem suum agnoscant, & abusus in Regnum introductos fugiant: Judicamus & decernimus dictum THOMAM olim Archiepiscopum Cantuariensem, ab hoc tempore non habendum pro SANCTO, nec Martyrem nominandum, nec inter justos ejus habendum mentionem, nomen & ejus imagines ex templis eradendas, nec eum in Missalibus, precationum libris, Calendarijs vel Litanijs nominandum, eumque incurrisse crimen Læsæ Majestatis proditionis, perjurij, & rebellionis. Et quia talis, mandamus ejus ossa ex sepulchro erui, & publicè comburi, ut ex mortui punitione discant viventes, leges nostras revereri & nostræ se auctoritati non opponere. Aurum vero, argentum, lapillos pretiosos & alia

Nemo sic gentilium deliravit.

Pro æterna stultitia & nequitia memoria.

Qualiter Sacrilegium palliare conetur.

alia dona quæ ad ejus sepulchrum simplices homines, quod eum sanctum crederent olim obtulerunt, tanquam bona ejus propria coronæ nostræ confiscamus, ut Regni hujus Leges & consuetudo dictitat. Et sub mortis pœna & bonorum amissione vetamus, ne quis subditorum nostrorum, eum ab hoc die Sanctum nominet, nec ei preces legat, nec ejus Reliquias secum ferat, vel ejus memoriam directè vel indirectè promoveat, nam tales eorum numero habebuntur, qui contra personam nostram Regiam conspirant, vel conspiratoribus favent, & auxilium ferunt. Et ut nemo hujus Edicti nostri ignorantiam prætendat, jubemus, ut idem in civitate nostra Londoniensi, Cantuariensi, & alijs Regni nostri publicetur. Datum Londonij undecima die Junij 1538. *Per Regem in suo consilio.* Proclamatâ hac iniquâ & Hæresibus plenâ sententiâ, jussit Rex edictum undecima die Augusti executioni mandari, & aurum omne atque argentum à sepulchro auferri, tanta quantitate, ut [teste Pollinio] viginti & sex magnis curribus vix avehi potuerit, fuitque 19. Augusti sanctissimum tanti Martyris corpus publicè combustum, cinereſque in ventum sparsi, nemine non, nisi authoribus sceleris, sævitiam sceleris detestante, plurimis complorantibus, & maximè nostris, Idem in tanto Martyre & Collega Ordinis Martyrium subeuntibus: Henrico, ipsis etiam Lutheranis in Germania, omnibus autem Europæ Regibus invisо & detestando, & usque hodie ac in æternum bonis omnibus execrando paulo post pœnas dependente, quin & posteris & successoribus, nec non Regno universo usque hodie luentibus, designante haud obscurè suo & nomine & Tyrannide Cromuelio, cum totius Tragædiæ Henrico Regi Thomas Cromuelius author fuisset, homo obscurus, ab Anna tamen Bolenia Regi tantopere commendatus, ut & Comitem crearet, & Regni denique Vicarium constitueret; Bolenia non inultum ferente, cum paulo post Regis mariti jussu adulterij insimulata decapitaretur; Henrico deinceps in infinita scelera & turpitudines prolapso, & abominabili suismet facto, donec ad causam inevitabilis etiam Regibus tribunalis à Thoma decennio post citaretur, & in suprema cum morte temporali lucta *O Thoma O Thoma* desperatus congemi-naret. *Ex Hieronymo Pollinio, Chrysost. Henriquezio, Clemente Reinero.*

O qualis sententia in Cœlo lata contra Sacrilegium parricidam?

Secundum Martyrium S. Thomæ Cantuariensis.

Cromuelio-rum nequam consilia non multa.

Desperatio Regis Henrici VIII.

Magnum sacræ familiæ nostræ Oliveranæ sydus, Jtaliæ ereptum Empyreo nunc Cœlo inseritur. sanctæ memoriæ Antonius Bentifolius, non minus virtute quam illustrissimi generis Nobilitate spectatissimus, ferventissimus & felicissimus primùm Novitiorum Magister, ipse regula rectitudinis omnibus factus, inde Prior electus, totus sacræ charitatis ignibus succensus, oculis verè columbinis, quibus ipse non crederet, siquid in alijs defectuum cerneret. Erga pauperes, non tam munificus, quàm prodigus, in quos, quidquid habere poterat effundebat. Unde maximæ Oeconomorum querelæ quod nimiâ largitione Monasteriorum proventus longè superante, mutuum acciperet, quod pauperibus erogaret. Verum ipse, ut querelas sopiret, convocatis Fratribus, re proposita cum promitteret pluralitati votorum se pariturum; adeo potenter egenis patrocinatus est, ut concorditer, facere quod fecerat, juberetur. Res mira! cum tempore famis Veronæ Abbatem ageret, & vix farina Fratribus in duas refectiones sufficeret, dum ipse quotidie innumeris egenis affatim elargiretur, adeo nihil desideratum à Fratribus in victu quotidiano est, ut panis non solum, sed vinum & obsonia omnibus abundarent. Fuit non minus Mecœnas studiorum & studiosorum: Vir planè omnibus amabilis, & dignissimus felici, quã assequutus sub hoc ipsum tempus est, immortalitate. *Ex Secundo Lancelloto.*

Ven. Antonius Bentifolius.

Prodigiosa Liberalitas.

Eodem anno Vir sanctissimus Jgnatius Patrum Societatis conditor, nunquam acceptæ passim à Benedictinis gratiæ immemor, & primæ suæ in Monte Serrato inspirationis & vocationis, Romam delatus primum suæ Prædicationis munus suscipit in templo Beatissimæ Matris Virginis Montserratensi. *Videatur Petrus Ribadeneira.*

S. Ignatius iterum apud nostros.

Jn Germania plurimum sese dilatat Reformatio Bursfeldensis, in qua promovenda plurimi Zelo sacro succensissimi Abbates laborant, quos inter celebres habentur Ægidius à Bucholtz Abbas S. Viti Gladbacensis hoc ipso anno ad felicem immortalitatem, & præmia tantorum laborum voca-

Bursfeldensium merita.

tus, in cujus locum Petrus à Bucholtz non solum, cognatione, nobilissimi stemmatis, sed & virtutis laudatissimus substitutus est.

IESUCHRISTI ANNUS M.D.XXXIX. Sancti Patris Benedicti. M. L. IX.

Henricus VIII. Juratus nostrorum hostis.

PErgit in abyssum, desperationis projectissimus sponte sua Henricus Rex, & cum S. Thomæ Cantuariensi favere, cumque eodem sentire per omnia Benedictinos omnes nosset, tam Cluniacensis, quàm Cistertiensis Reformationis, nihil non sceleris in eosdem machinatur, optimis quibusque morte pietatem luere coactis. Audiamus Sanderum ipsum, testem omni majorem exceptione, eumdemque de Ecclesia longè meritissimum: postquam, Constantiam Martyrum nostrorum graphicè descripsisset; sic denique de scelere Henrici Regis loquentem: *Henricus igitur, tanquam victor* [trucidatis jam tot Abbatibus & Monachis ejectis] *omnia invasit, dejecit, vastavit, ac demolitus est: possessiones autem annuosque redditus Cœnobiorum, ne unquam postea repeti, aut à quoquam suorum successorum Principum Ecclesiæ Christi restitui possent, universos fere Nobilitati distribuit, nonnullos alijs censibus ac reditibus, nonnullos pecunia numerata commutans, Catholicosque etiam invitos cogebat, ut spolia hæc Ecclesiastica emerent, quo vel sic eos ad sceleris sui defensionem obligaret. Atque hic finis fuit Monasteriorum ac Monachorum in Anglia, post mille fere annos, quàm illi ad eam Insulam Christianam fidem attulerant, & cum eâdem creverant, omniumque Regum munificentia aucti fuerant &c.*

Ut Sacrilegam sitim lenet.

Acatholici & quidam Angli Regis damnant Sacrilegia.

Sed de causis tanti mali etiam alios, etiam Hæreticos ipsos audiamus, unde manifestum fiet, non inertiam, aut luxum Monachorum [ut nonnulli minus humaniter judicantes loqui solent] occasionem impio Regi ministrasse, abominandum scelus de Religione opprimenda excogitandi, aut aggrediendi. Clarissime enim Sanderus descripsit Abbates & Monasteria Ordinis Congregationisque nostræ illo tempore communi Regularique vta, & chori majestate, Monachorum numero, hospitalitatis laude & eleemosynarum sanctissima abundantia, insigniter floruisse. Nec sine sanguine & vulneribus expiare Monasticam professionem suam passi sunt, Quum nobilissimi eorum Abbates, & gravissimi, cum aliquot Prioribus & Presbyteris, Martyrio propter constantiam Fidei fuerint affecti, & multi ex ipsis ad ultramarina dilapsi Monasteria, multi in propinquorum ædibus, sanctè in professione perseverantes, calamitati suæ supervixerint. Sed ecce causam mali ingentis & gravissimi in Ecclesia scandali, pulcherrimo titulo palliatam: Collegia duo à Cardinali Wolsæo, magno nimirum, Anglicanæ Reipublicæ bono ædificata, ubi juvenes studiosi, & viri docti alerentur, & in horum dotationem quadraginta Cœnobiorum redditus absumendi videbantur. Dicat suum liberrime judicium impius cætera Camdenus in sua Britannia p. 117. *Fuerunt etiam regnante Henrico VIII. (fas sit meminisse) ævitæ pietatis monimenta, ad DEI honorem & Fidei Christianæ, bonarumque litterarum propagationem, & pauperum sustentationem, Domus Religiosæ, scilicet Monasteria, sive Abbatiæ & Prioratus, numero 645. à quibus cum Clementis VII. Pontificis permissu fuerint suppressæ quadraginta in gratiam Cardinalis Wolsæi, qui tunc duo Collegia, alterum Oxonij, alterum Ipswichi inchoaverat; statim circa annum Domini* 1536. *Henricus VIII. in Rempublicam Angliæ Ecclesiasticam, quasi torrens rupto aggere irruit, qui gentis Ecclesiasticæ partem maximam Orbe stupente, & Anglia ingemente, cum pulcherrimis ædificijs funditus prostravit. Nam Papa Cardinali, Rex sibi cum Parlamenti assensu permisit. Unde anno* 1536. *singulæ Religiosæ ædes, cum facultatibus omnibus, quæ in reditibus annuis ducentas libras vel minus habuerunt, numeroque erant* 376. *Regi fuerunt concessa. Et anno insequenti speciosa eruendæ superstitionis obtentu, reliqua cum Collegijs, Cantarys, & Hospitalibus, Regis arbitrio fuerunt permissæ. Quo tempore censitæ sive taxatæ fuerunt Religiosæ ædes superstites* 605 *Collegia, præter ea, quæ in Academijs, 96. Hospitalia centum & decem, Cantariæ & liberæ Capellæ* 2374. *quæ pluraque omnia brevi post tempore passim diruta, reditus distracti & opes, quas Christiana Anglorum pietas, ex quo primum Christo nomen dedisset, DEO consecraverat, quasi momento dispersæ, &, absit verbo invidia, pro-*

Persecutio Religiosorum.

Wolsæi Cardinalis exemplum pessimum.

Rex idem sibi permittit.

Ingens rapina sacri auri.

profanatæ. Hæc Camdenus etsi à fide alienus. Et paria Godwinus; cujus verba Reinerus, exscripsit, qui ipsi insuper Sacrilegij pœnam, Regi ab Numine immissam, plurimorum (quos ipse doctos & pios vocat) ore assignatam liberè profitetur. Sanè quantum incommodi ex eversione Monasteriorum & profligatione Monachorum, pauperibus acciderit, refert ex bonis Authoribus Stous in suis Annalibus, à Reinero adductus, his verbis: *Parlamentaribus Comitijs mense Februario inchoatis, anno* 1536. *permissa sunt Regis arbitrio, omnia Regni Angliæ Cœnobia, quorum reditus annui singulorum, non excederent censum duorum millium Francorum Turonensium, cum omnibus bonis quæ ad eadem pertinerent. Fuerant illa numero* 376. *Mobilia bona & supellex horum Conventuum minimo pretio distracta taxata sunt centum millibus florenorum. Lamentatione digna res fuit,* inquit author meus quem sequor, *audire populi, plebeiorumque gemitus, & lachrymas: summa enim in his Cœnobijs vigebat Hospitalitas, putanturque ex hac suppressione, amplius quàm decem millia personarum, omni spe & re ad victum vestitumque necessaria excidisse &c.*

Quantum inde Regno incommodi.

Gemitus & complorationes pauperum.

Addit, vir doctissimus & Religiosissimus, Reinerus: *Quantum igitur gemituum, quot flumina lachrymarum pauperes de plebe profudisse par est anno sequenti, quando* 600. *majora Cœnobia, longè opulentiora reditibus, abundantiora eleemosynis, numerosiora clientelis, sunt ad privatorum, fisci, & fiscalium prædatorum usus redacta?* Sed audiamus jam DEI judicium, non trepidè seu dubitanter, sed affirmatè & sine dubio ab eodem Annalium Authore pronunciatum. *Cum obtinuisset Cardinalis Wolsæus,* inquit, *à Clemente VII. potestatem quadraginta Monasteria optimæ famæ, Hospitalitatisque laude celebria, neque Rex propterea illum reprehenderet, nullus Episcoporum aut Procerum Regni contra hiscere ausus fuit. Quinque habuit hujus facinoris administros præcipuos: qui cum Priorem Conventumque Daventriæ quadam vice quædam Cœnobij latifundia postulassent, passique fuissent à Monachis repulsam; statim excogitata causa eosdem apud Cardinalem accusarunt: qui occasione gaudens oblatâ, statim jussit Conventum dissolvi, & novo Collegio suo bona applicari. Quantum autem supplicium sumpserit* DEUS *ipse, de authoribus & ministris hujus sacrilegæ rapinæ, ad ambitionem tantummodo suffulciendam commissæ, cui opes privatæ Cardinalis non sufficiebant, nos ipsi in parte oculis nostris conspeximus. E quinque istis, quos diximus, administris, duo inter se rixantes à verbis ad gladios, ita processerunt, ut alter occisus, alter superstes pugnæ propter ipsum homicidium fuerit in furcam sublatus, tertius se ipsum in puteum præcipitavit; quartus benè notus multis, ex valde divite, redactus ad extremam inopiam, usque ad diem ultimum miserabilis vitæ, ostiatim mendicare coactus sit; quintus vocatus Doctor Alanus, præcipuus Sacrilegiorum istorum executor jam in Hibernia factus Episcopus, crudeliter membris truncatus fuit, Cardinalis ipse paulo post, in Regis odium incurrens, miserabili morte periit, omnibus dignitatibus prius exutus. Collegia quæ meditabatur magnificentissima structura ex ruinis Monasteriorum erigere, nunquam fuere consummata. Nam Ipswicense Collegium penitus fuit diruitum: & Oxiense etiam hodie manet duntaxat inchoatum. Pontifex quin etiam Clemens, qui hanc Cardinali licentiam permiserat, magno vitæ suæ discrimine in Castro Angeli obsessus vix evasit, Romana Urbe ab obsessoribus, miserè ante oculos ejus devastata.* Hæc ad verbum Stous & Reinerus noster. Unde colligas manifestè, quàm rigidè in illum animadverterit Numen, qui collegia pro studiosis potiora, Monachorum institutis, precibus & contemplatione duxerat, & qualiter in eos quoque sit animadversurus, qui etiam hodie Wolsæo subscribunt, nedum qui tales fundationes, cognatis non solum & nepotibus, sed & canibus venaticis, & equis objciunt, & ad pompas inanes & scandalosas in Ecclesiasticis aburuntur, securè interim DEI Jram præstolantes, & quasi plausibiliter, patientiæ Numinis illudentes. Sed fusior in his Reinerus, qui requirendus. Ex quibus omnibus apparet, *Redivivum* in suorum Hospitalitate, & disciplina viguisse hoc perditissimo sæculo *Sanctum Benedictum* ideoque suorum injurias vindicasse plurimis exemplis Numen, & vero etiam usque hodie tot Principum & Parlamenti nostra ætate Senatorum cædibus, ulcisci pergere cædes salutem Angliæ quærentium, donec & manum agnoscant feri-

Wolsæus 40. optimæ famæ Monasteria Ordini eripit.

DEUS in Authores rigidus ultor.

Horrendæ exemplæ.

Clemens VII. haud impunitus.

Usque hodie videtur Ultio duravisse.

ferientis, & feriendi causas; quarum hodie sibi de industria alias fingunt, & vero relicto Lumine cæcutientes, in sua ipsi viscera immaniter sæviunt, muruis vulneribus miserè concidentes.

Florentiæ requievit in Domino Venerabilis Ambrosius ex Jllustrissima familia Traversaria, singulare sacræ familiæ nostræ Camaldulensis decus, absolutissimus maximorum Magistrorum Joannis Ravennatis, & Ambrosij Grysoloræ discipulus, sanctorum Angelorum Florentiæ professus. *De quo sæpè citata Camald. monimenta.*

Georgius de Melo Episcopus Guardiæ.

Jn Hispanijs ex illustrioribus nostri Ordinis viris eminet hoc anno Georgius de Melo ex Abbate Alcobacensi Episcopus Guardiæ, non minus eruditione & vitæ meritis clarus quam Generis nobilitate. Jn Gallijs miri successus novæ Reformationis de qua supra, illustrissimis quibusvis, exemplo Reformatorum captis, manus dantibus & Redivivo in suis Benedicto sese ultro devoventibus. *Ex R.di P. Amandi Tribout Ms.ta relatione.*

Joan. Abbas Spainsharti.

Jn Germania, inter lectiores ejusdem, & optimè meritos de Ordine & patria Præsules celebratur Joannes ab Egloffstein vetustissimis equestri Nobilitate Natalibus Abbas Cænobij Spainsharttensis, ob insignia animi talenta, maximi à magnis factus Principibus, in componendis discordijs dexterrimus & felicissimus, qui immortali merito magnarum satagens rerum, gravissimas inter Principes aliquot, in sævissima exarsuras bella, mira arte atque industria composuit, & odia gravissima suaviter consopivit. *Ex monim. Cænob.*

ISEU CHRISTI ANNUS. M.XL.
Sancti Patris Benedicti. M. LX.

Ven. Alphonsus de Burgos.

CLaret eximiâ sanctitatis opinione in Hispanijs Beatæ memoriæ Alphonsus de Burgos Vir illustrissimo ortus genere, auctoritate atque opibus inter Palatinos & familiares Caroli V. Jmperatoris Augusti & Hispaniarum Regis Princeps, qui favores omnes Cæsaris & Regis sui pro nihilo reputans, nisi Regum Regi sua grata esse servitia intelligeret, stupente Aulâ atque Hispaniâ Universâ, Aulæ se florentissimæ & mundo repente abstulit, & crucifixi amoris sui paupertatem & nuditatem, concitatissimo pij cordis affectu non tam considerans quam affectans, fama præterea sanctitatis Reformationis Cisnerianæ illectus, potentissimo insuper Augustæ Cœlorum exquisito & exambito Patrocinio, ad sacratissimum Ejusdem Montis Serrati Archisterium se contulit, & sanctis ejusdem loci Ascetis associari humiliter postulans, suscipi non solum meruit, sed in sacro Tyrocinio, & deinceps tantopere seipsum tantus Princeps in omni humilitate, obedientia & cætero rigore Monastico comprobavit, ut non tam amorem, quam reverentiam ab omnibus mereretur, & inter sanctitate vitæ eminentissimos excelleret, adeo, ut toto Hispaniarum Regno ejus ob vitæ integritatem celebre nomen haberetur. *Vid. Ant. de Jepes, communicata nobis ex Hisp. &c.*

Humillimus Princeps.

Benedictus Morerolensis.

Floruit hoc ipso anno in eodem Regno sanctæ memoriæ F. Benedictus Morerolæ Ascetæ, sacræ Congregationis nostræ Cisterciensis jubar lucidissimum, exemplar ad amussim Regulæ S. P. N. Benedicti compositum, qui cum post multa sanctitatis opera ex nimio labore & rigidis sibi ultro illatis pœnis & Pœnitentijs, sic esset viribus destitutus, ut sacris porro ad aram operari non posset, petijt sibi à loci Priore cujus Missæ serviebat, sacram synaxim dari, qua percepta oculos & manus ad cœlum elevans, animam reddidit Creatori, cujus corpus mira pulchritudine & fragrantia donatum genu flexum mansit, etiam dum Conventus pro præsenti defuncto more solito officium persolveret. Fuit ab obedientia, humilitate & devotione mirificè commendatus. Jn officio Divino alijsque Regularium exercitijs assiduus & ferventissimus, ita ut nulla occupatione, ægritudine sive alijs impedimentis inde se remorari pateretur. electus in Abbatem Monasterij Melonensis in Gallæcia, constanter eam dignitatem rejecit, ut in obedientia ac sua simplicitate vivere & mori posset. Frequentia ejus erant cum Deo colloquia, & cum hominibus nulla alia nisi de Deo. Ordinariæ & extra ordinariæ ejus pœnitentiæ, ita vires ejus fregerant, ut cum ipse, ut supra diximus, facere amplius ad aram non posset, Missæ semper Matutinæ,

Mors lougè gloriosissima.

Ejus exercitia.

quæ

quæ prima omnium quotidie legebatur, sollicitè & humiliter inserviret. Ipso momento mortis ejusdem adfuit ad portam Monasterij Abbas S. Martini de Castanneda, Monasterij quindecim milliaribus à Morerola distantis Dn. Didacus Hidalgus, qui à janitore quæsivit qua hora sanctus defunctus esset? Ille ignarus adhuc mortis, respondit nullum in Monasterio mortuum, sed Abbas qui per revelationem habuerat: *Intremus*, inquit, *Pater, veni enim ut Missam dicam, & sanctum quemdam Religiosum in hoc Monasterio mortuum sepeliam, quod omnes hujus Monasterij Sacerdotes jam Missam celebrarint.* Janitor miratur, ducens Abbatem in templum, inveniuntque Patres de morte R. P. Benedicti attonitos & turbatos, Abbate Missam celebrante ipsumque tumulo contegente, ut ex hoc Numinis de suorum Amicorum etiam cadaveribus curam, & Abbatis etiam ipsiusmet gratiam agnoscas, & tempore adeo turbido admireris. *Athanasius Lobera, in Vita S. Froillani Manrique, Henriquez in Menol, & Fascic.*

Ejus exercitia.

Ejus sanctitas mirè prodit.

Ipso anno 1540. In Polonia claret magna sanctitatis opinione Beatus Benedictus de Koska Beati Stanislai de Koska Societatis Jesu laudatissimi Alumni Cognatus, an germanus frater, Monachus Cœnobij Lubinensis, cujus res gestas plurimum desideramus. *Ex Monim. ejusdem Cœnobij.*

Baptista Folengus.

In Italia inter doctrina præstantiores celebratur Joannes Baptista Folengus Monachus & Prior Sancti Benedicti prope Mantuam, qui inter alias dignissimas æternitate lucubrationes, posteritati nomen suum multis meritis commendavit, commentarijs in primis doctissimis in omnes Psalmos Davidicos, sermone elegantissimo scriptis. Alijs item Commentarijs in Epistolas Canonicas omnes, & in primam Joannis. *Jepesius & Arnoldus Duacenus.*

Georgius Abbas Ebersheimensis.

In Germania quoque, ne cæteris Regnis, mersam & impeditam inglurie, omnino sterliorem reputes, inter alios dignos æternitate Præsules, numerum Cœlitum auxit, Georgius à Reichenbach ex Monacho Weissenburgensi Ebersheimensis Cœnobij Abbas, Carolo V. Imp. Aug. & Ferdinando Regi multo nomine charus, omnibusque passim Imperij Principibus ob egregia animi talenta magno in respectu & pretio habitus, tempore rebellionis rusticorum, adeo malis & tribulationibus exercitatus, ut vix superstes fore videretur, qui tamen Deo confisus Monasterium mire quasi servavit, restituit, imo auxit & celebrius sui nominis & meritorum immortalitate reddidit, adeo sui ipsius, in omni plebis respectu, Principum favore, contemptor, ut à morte etiam inter Minimos censeri voluerit, & voluntate suprema caverit, humili loco, nec alio quam sub pedibus piscatorum suorum, & quidem rebellium sepeliri. *Ex monim. Cœnobij Apri-Monasterienſis.*

Ven. Hildegunda Abbat. Monaster.

Sed & Hildegunda S. Egidij Monasterienſis Abbatissa, virili animo Heroina, ne uili in Germania virorum cederet, inter Anabaptistarum belluina bella & crudelitates, sibi constans semper, miraculum suæ ætatis Amazonum Deo sacrarum Virginum fuit, omnibusque calamitatibus superior suis in Deum confidentia & amore fuit. Nec mirum, cum tam excelsæ virtutis fundamenta, in summa poneret animi demissione, nec ulla Illustris prærogativâ generis in Monasterio unquam censeri voluerit, imo non domicellarum ultima videri, sed sororibus Laicis seu conversis accenseri, ex qua sorte, multum sed frustra reclamans & obnixa, Abbatissa renunciata est, quâ nemo virorum obniti Anabaptistarum furori constantiùs præsumeret; hoc ipso anno ad præmia certaminum vocata.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XLI.
Sancti Patris Benedicti. M. LXI.

S. Ignatij ad S. Paulum Romæ profectio.

Sanctissimo celeberrimæ & laudatissimæ Patrum Societatis Jesu Jnstitutori Jgnatio, non satis erat in nostris Montserratensi Cœnobio, ea quæ supra commemoravimus consilia, & auxilia accepisse, in Monte Martyrum Vota tertiùm congeminasse, in Archisterio Casinate Regulas composuisse: sed quia ita feliciter apud nostros omnia successerant, quæ Deo auspice ipsis dictantibus & juvantibus susceperat, supremam denique recens inchoato, magno revera Operi, apud nostros quoque, imponendam manum censuit, & hoc ipso anno feliciter imposuit.

fuit. Proin constitutâ jam Societate, annuente Romano Pontifice, Vota Religionis solemniora nunupaturus, tot inter Romanæ Urbis Basilicas antiquitate, & piorum hominum frequentiâ illustres, non aliam deligere placuit, quam vetustissimam illam Constantini Magni fabricam, Archiapostolo Paulo, extra Urbem via Ostiensi dicatam: Ubi coram Divi BENEDICTI, Religiosorum omnium Patris & Patriarchæ altari, ex sui instituti formula, sacram illam Cæremoniam, summa cum sui ipsius & Ordinis resignatione, perageret. Ita rursum apud nostros, maxima quæque aggredi, imo absolvere perspicacissimi viri animo sedit; quo suos nimirum filios, perpetua quasi obligatione, in suo, ac primo suorum Voto, coram DEO & sanctissimo Patriarcha nostro, obsides traderet. *Marcus Ant. Scipio Ribadeneira, Jepes &c.*

Martinus Abbas Crispinj.

Illustrissimum Germaniæ Inferioris Sydus, provincias illas mirificè illustrat Martinus Cuperus, Abbas Crispinensis, immortalibus meritis Ordinem demeritus, cujus Reformationem totis viribus promovit, & ipse se exemplar virtutis omnibus præbuit, inde familiarissimus sanctæ memoriæ Ludovico de Blois Abbati Lætiensi factus, uterque, ut animalia illa Ezechielis, seque suósque fervore spiritus, tanquam alis sese concitarunt, & mira passim in Ordine effecerunt. Fuit idem

Idem Episcopus Calcedonensis.

Calcedonensis Episcopus, Cameracensis suffraganeus, egregius Hæreticorum debellator, ab ipsis vicissim pro fide, multa perpessus & pro Christo demum in exilio mortuus. Ipsi Matthæus Moullart, gravi ad Regem Hispaniarum Legatione functus, sui Cœnobij [S. Gisleni nimirum] curam credidit & confidentissimè commendavit. Fuit Vir summæ etiam apud summos auctoritatis, à nonnemine, *Totius Hannoniæ singulare ornamentum & fulcrum*, appellatus.

Capucini ad nostros recurrunt.

Seraphici Ordinis Patrum Capucinorum, recursus, hoc maximè tempore, primis suæ Reformationis [cum undique invidia & malevolentia Cacodæmonum & malorum hominum impeterentur] initijs ad Benedictinos confidentissimus, quibus non solum portæ semper omnes Monasteriorum apertæ, sed æquè patentia corda fuere Monachorum. Ita cum hoc ipso etiam anno, sanctæ memoriæ Frater Humilis, ex primis novellæ familiæ syderibus ad Archisterium Casinense se conferret, & sub potens sanctissimi Patriarchæ BENEDICTI, Patrocinium concederet, Morbo præoccupatus, ibidem sanctissimo fine decessit, quem uti Angelum sibi missum Casinates complexi, eidem ad mortem usque plena charitate inservierunt, cujus sacrum corpus ibidem usque hodie incorruptum cernitur.

Patres Societ. JESU à nostris defensi.

Iterum memorabili ad omnem æternitatem merito, cum laudatissima Societatis JESU institutio, & in Gallijs & Hispanijs ingentibus quateretur injurijs, & concitante malo genio, non aliter atque Capucinis Patribus, ipsis plurimi non obtinerentur solùm, sed omnino eversos vellent & satagerent, nostri diversis locis, eorum suscepto pro viribus Patrocinio, non solum ipsis patere claustra voluêre, sed plurimis locis, varia ædificia, & collegia, ut suo loco videbimus, construxêre, & primitus alimenta atque alia necessaria summâ charitate subministravêre; sumptus insuper & proventus annuos laudabili munificentiâ suppeditavêre. Ita sub hoc ipsum tempus cum in Hispanijs Compluti & alibi plurimos adversarios paterentur, sanctæ memoriæ Ludovicum de Estrada Hortensis Monasterij Ascetam, ac deinde Abbatem, fidelissimum Patronum nacti, cum is Complutensis aliquamdiu Universitatis Rectorem ageret, ab eodem perbenignè susceptì, consilio & ope adjuti, cum is pro virili negotij illorum satageret, adversantes privatim conveniret, & emollire eorum animos contenderet, sed & ad Monasterij res curandas evocatus, plenas inde sanctorum conceptuum & Spiritus sancti redolentes Dictata litteras ad Universitatem scriberet, in quibus novi hujus Institituti perfectionem sedulo celebrabat & commendabat, quantumque ex eorumdem Patrum receptione commodi ad omnes perventurum esset, indicabat: effecitque omnino, ut in Complutense non solùm Collegium admitterentur, sed & magnis postea rebus adhiberentur. *Manriquez Monim. Hortens.*

Mori-

Bernardus Abb. altah. Super

Moritur hoc ipso anno Bernardus Abbas Superioris Altaichij, Vir Disciplinæ Regularis promotor singularis, qui præter egregiæ Virtutis laudes eximias, magna rerum gerundarum dexteritate valuit, rarâ peritiâ, quàm cùm agendo, tùm scribendo, omnibus numeris comprôbavit. Nec minore Virtutis fama Theodoricus Abbas Abdinckhofensis, hunc ipsum annum supremum habuit, qui juxta ab admiranda omnino eruditione celebratus fuit. *Ex Monimentis eorumdem Monaster.*

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XLII.
Sancti Patris Benedicti. M. LXII.

V. Gregorius Cortesius Cardinalis.

MErito suo, extra invidiam omnem, & supra famam evectus hoc anno Venerabilis Dominus Pater Gregorius Cortesius ex Monacho & Abbate Sanctissimi Patris nostri BENEDICTI de Padolyrone, eminentissimo Dignitatis gradu sublimatur, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Titulo S. Cyriaci in Thermis à Paulo Tertio Farnesio creatur, honorem illum multo magis ipse, sapientiæ, doctrinæ & vel maximè integerrimæ vitæ fama exornans, quam ipse à purpura ornari potuerit. Stupente ad exempla Cardinalium nostrorum Romanâ Urbe, cum, velut in Cænobio mortui mundo, cognatorum promovendorum nullam curam admitterent, & cum etiam maxima pro bono publico molirentur, ea tamen palam minime jactarent, nec plausum populi quærerent, contenti acta sua Numini probari, & sanctam Matrem Ecclesiam, magnis & arduis laboribus demereri. *Vid. Hieron. Platus, Ciaconius, Panuinus, Arnoldus Duacenus, &c* Sub idem tempus renunciatur Episcopus Cardinalis Tusculanus Philippus noster della Camera, Episcopus Bononiensis ex Monacho Corbeiensi, de quo jam supra. *Vid. Ciacon Panuin. Claud. Robertus, Chenu & alij.*

Claret magnis Virtutibus, & efflorescit in Monte Oliveti Venerabilis Vitus à Prato Generalis sacræ familiæ nostræ meritissimus, qui quanti à Numine ipso fieret, insigni hoc ipso anno prodigio patuit, cum in validum exardescens incendium Archisterij illius Sacrarium, ipso pro arâ maxima in preces effuso, ignes haud aliter atque aqua extinguerentur. Fuit Vir vitæ rigidæ, somni cibique parcissimus, expertissimus olim Magister Novitiorum.

Reformatio Monialium in Gallys.

Jn Gallijs adolescit felicissimè Benedictinarum Monialium strictior reformatio, & tali quidem successu, ut splendoribus illecti & illustrati maximorum etiam Principum animi, tantæ sanctitatis exempla non solum mirarentur, sed & filias charissimas ijsdem instituendas traderent, imo invitis parentibus & cognatis, nobilissimæ quævis tam Nobile Regum Regis servitium inter easdem exambirent, & tenerrimæ puellulæ tantum vitæ rigorem summa generositate complexæ, nullam omnino dispensationem admitterent, & tenui non solum victu, sed crudo omnino & rustico, humilique vestitu contentissimæ, in omni abjectissimarum Ancillarum contemptissimo labore & servitijs maximo sese animi solario occuparent, quin & de viliore piè contenderent. Eas inter hoc anno Guillelmetta de Bonvallet, cum S. Petri Remensi Cænobio decennium præfuisset seque exemplar Virtutum omnium sese omnibus præbuisset, honore, ut videtur, ultro se abdicans, subesse eligens magis quam præesse, votis eligentium variantibus prodijt denique humillima omnium, etsi genere sublimissima, & ad hoc ipsum Reformationis studium mirificè affecta, serenissima Princeps Renata Lotharingiæ Ducissa, Claudij Guisiæ Ducis & Antonettæ Borboniæ Regij sanguinis matronæ lectissima & dilectissima filia, è Monasterio Fontis Eberhardi sive Ebraldi, cujus Priorissam agebat, postulata, è quo tamen loco ante quadriennium dimissa non est, quod & illi necessaria videretur, de qua postea fusius agemus. Jpso anno extinguitur Lambertus à Falckenburg Abbas S. Matthiæ apud Treverorum urbem, Reformationis promotor egregius, idem non minus eruditione, quam vitæ integritate spectatissimus.

V. Renata Duc. Lothar. mon.

Lambertus Abbas S. Matthiæ.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XLIII.
Sancti Patris Benedicti. M. LXIII.

INter Jllustrissimos genere & virtute Orbis universi, & sæculi hujus ex Ordine Benedictino amplissimo viros, excellit atque exsplendescit vel maximè

V. Benedictus de Toco Montserrat.

mè hoc ipso anno P. F. Benedictus de Toco, illustrissimo ortus genere & parentibus, ex Regum Albaniæ sive Epiri & Georgij Scanderbegi sanguine & cognatione & ultimorum Orientis Jmperatorum descendentibus. Jdem Jmperatori Carolo V. familiariter dilectus, atque in Aula ejusdem Pincernarum Principis munere functus, qui summa omnium cum admiratione, florentissimis valedicens rebus, & felicissimum Deiparæ Domicilium, Archisterium Montis Serrati ascendens, ibidem devotissimè exambijt, & tanquam Tyrunculus Christi sub auspicijs Archiducis nostri Benedicti, miles agonem probationis generosè exacto hoc ipso anno solemnissimè Monachum professus, ita se omnibus probavit, ut omnes vinceret singulari animi demissione, tanta se morum Religiosorum commendaret gratia, ut nihil ipso gratiosius appareret; ea apud omnes æstimatione, ut ad ampliss imos deinceps honores & ad diversas omnino Episcopales Cathedras expeteretur ac promoveretur. Et hunc quidem pro sexcentis alijs ex Nobilitate damus, qui in sola Congregatione Montserratensi & Vallisoletana Hispanica, ut alias Galliæ, Jtaliæ &c. taceamus, cucullum amplissimis honoribus & generis dignitati longè antepositere: quorum in hodiernum usque diem, sola Hispania tot tantósque potest producere, ut jure merito sequutura posteritas obstupescat super tanto, tantorum sæculi contemptu & neglectu, & tantam Benedicti cuculli & gratiam & gloriam suspicere cogatur & nunquam satis demirari. *Antonius de Jepes, alijque rer. Hisp. script.*

Jn Anglia mira rerum mutatio, invalescente non pedetentim, sed derepente infinitâ, quasi rupto non uno sed multo aggere, sectarum multitudine, Regnum olim sanctissimum & felicissimum, non tam inundantium, quàm demergentium, ipso Rege in terrima prolapso scelera, & cum Ecclesiam porro audire prorsus recusaret, consilia à talibus petente, quos ipse noverat & fassus erat, inferni larvis nequiores; à quorum aliquo, cum & matris & filiæ thorum exambiret, & qua conscientia id fieri posset scisciteretur? Facillimè id fieri posse, audijt, nec ulteriore dispensatione, quam si in prandio gallinâ, in cænâ pullo gallinæ ejusdem vesceretur. Nec sapientius Regis responsum fuit. *Et tu optimus meus eris in Jnferno Vicarius*; quasi vero novus hic Papa, possit pro se dispensando in Jnferis Vicarium substituere. Longè aliter nostri, tot millia Generosissimorum pro Christo & Romanæ Ecclesiæ Fide exulum, qui rebus exuti omnibus, in summa egestate, nuditate, fame, siti, pro pessimè tamen merito Rege Deum precari nunquam intermittebant, & vix ex tot millibus videas, qui impijs sese edictis accommodaverit, nedum tot artibus sectariorum cesserit, vel manus dederit iniqua suadentibus; cum vice versa, qui Angliâ non excesserant, ad Apostolica conversi munia, periclitanti toto Regno rei Catholicæ, summo cum vitæ discrimine, consulere pro virili laborarent, multos jam seductos revocarent, ambiguos consolidarent, constantes roborarent, invictos per omnia Christi pugiles se comprobarent, interim in extrema rerum angustia, nescij ubi de nocte caput reclinarent, panem ostiatim quærerent & rogarent, Deum tamen laudare nunquam desinerent, suisque peccatis imputarent, quos cœlum ipsum in tanto tam ardui certaminis agone reverebatur. *Ex Reynero, Sandero, & diversis rerum Anglic. scriptoribus.*

Henrici VIII. Regis impudentia.

Nostrorum Zelus Apostol.

Hæresis per Germaniam invalescit.

IESU CHRISTI ANNUS S. M. D. XLIV. Sancti Patris Benedicti. M. LXIV.

TUrbatis æquè in Germania quam Anglia rebus, per Cæsaris maximè, Gallum armis petentis absentiam, nimis quantum Hæresum invalescit insolentia, & quotquot ferè à summo Ecclesiæ capite sive falsis abalienati persuasionibus, sive scandalis offensi realibus Cleri & Catholicorum, tot etiam, pro suo quisque capite, nova ausi, in hoc uno concordes, ut omnem juratam in Baptismate & debitam Romanæ Ecclesiæ obedientiam detrectarent, Traditiones averfarentur omnes, solum Dei Verbum scriptum admitterent, idque pro libitu truncarent, corrigerent, verterent & inverterent. Et hæc facilè, nemine fere è clero obnitente, cum nullo unquam sæculo, tanta bonarum litterarum ignorantia tan-

tus

tus ſtudiorum neglectus eſſet. Hinc factum ut vix pagus aut vicus eſſet, qui non ſub Abbatum noſtrorum imperio & Dominio contineretur, plebe nullo negotio ſeductâ & in præceps raptâ, omnes omnino novis Verbi præconibus, adeo plauſibilia ſuadentibus acquieſcerent, noſtris è contrario ſtrenuè agentibus, clero ſuo viriliter aſſiſtentibus, procul etiam, non ſine vitæ periculo excurrentibus, ſubditorum ſibi ſaluti conſulentibus, omnes in avita fide confirmantibus, novitates deteſtantibus, nec verbo ſolum, ſed ſcriptis variis, calumnias Hæreticorum refutantibus, falſa dogmata reprobantibus, inque hoc unum intentiſſimis, ut ſuos in fide Apoſtolica Romanæ Eccleſiæ continerent. Ex innumeris hoc anno unum producimus, ſanctiſſimæ memoriæ Ludovicum Bloſium Lætienſem Abbatem digniſſimum, quem nulla ſatis celebrare poſteritas poſſit. Is ſanè unus, quantum præſtiterit, nemo ſatis æſtimarit, nedum dixerit; cui ſatis non erat ſuos ſubditos in officio & fide continere, propiores reducere, niſi ſcriptis editis, plenis ſapientiæ & à Divino dictatis Spiritu, totâ Europâ erroneis, animitus & medullitus condolens, remedia efficacia proferret; alia inter libros duos inſignes edens, unum quĕ *Collyrium* vocabat *Hæreticorũ*; & alium, quem his verbis inſcripſit: *Facula illuminandis & ab errore avocandis Hæreticis accommoda &c.* Audi obſecro, condolenter errores eorumdem obiter comprehendentem, ut ex paucis tanti viri, pro ſalute animarum Zelum incomparabilem obſerves: *Profectò*, inquit, *dum ego arrogantiam & impietatem Hæreticorum ævi noſtri memoria repeto, lachrymas continere vix poſſum. Ipſi enim obtemperare Eccleſiæ nolunt: ſubeſſe ejus Præſulibus modis omnibus, recuſant. Summi Pontificis (qui ſupremus Chriſti Vicarius eſt) Primatum nihili æſtimant: Apoſtolicæ ſedi petulanter inſultant. Monſtroſæ confuſionis ſectatores, Divinæ ordinationis inſectatores viſibilem Eccleſiam, ſine viſibili capite in terris eſſe volunt. Inter Laicos & Clericos nihil diſcriminis conſtituunt, in ſanctum Sacerdotium cæteroſque ſacros Ordines contumelioſi ſunt. Sacramentalem ſalutiferámque Exomologeſim, quam coram Sacerdote (peccata noſtra aperiendo atque enumerando, facimus) explodunt & exſibilant, Blaſphemiarum acervos, in illum Divini ameris omniumque bonorum fontem ſacram Euchariſtiam, & in cæleſte illud Miſſæ ſacrificium, in illa, inquam, ineffabilis dignitatis Miſteria, barbaricâ paganicâque irreverentiâ congerunt. Sanctæ Unctionis Sacramentum, quod fidelibus morti vicinis adminiſtratur, tanquam rem inanem irridենt, atque reÿciunt: imo vero plerique ex eis conſecratum oleum calceis ſuis inunzendis (ô ſcelus nefandum!) jam adhibuiſſe perhibentur. De præcellentiſſimæ DEIparæ Virginis Mariæ dignitate, quantum poſſunt derogant. Cultum ei impenſum, & venerationem ſanctis beatiſque cœli civibus exhibitam inſolentiſſima temeritate damnant: eos non debere invocari inſipientiſſimè deblaterant, eorum honorandas imagines è templis ejiciunt. Purgatorium fabulam dicunt: unde etiam pro defunctis orandum eſſe negant. Proterva dicacitate & riſu, uſum aquæ benedictæ ac cereorum, externóſque ritus, & dies feſtos, in Eccleſia DEI receptos inceſſunt. Arbitrium hominis liberum non eſſe, & Fidem ſine bonis operibus ad ſalutem ſufficere ganniunt. Monachiſmum deteſtantur, eum novum hominum commentum eſſe dicunt. Nuptias ita laudant, ut Virginitati detrahant. Hominem non poſſe continenter vivere, ob idque non debere continentiam vovere pronunciant: & ſiquis illam voverit, ac poſtea votum violaverit, nihil talem offendiſſe, nihil in Deum peccaſſe judicant. Inceſta Sacerdotum, Monachorum & Virginum DEO ſacratarum connubia approbant. Libertatem carnis, libertatem Evangelicam appellant. Breviter, quidquid eis libet, etiam licere putant, atque ita rabie quadam correpti ſuas animas in gehennam confidenter præcipitant &c.* Hæc proinde omnia, *piâ promotus* tot pereuntium *commiſeratione*, refuturus, *hoc* inquit, *Collyrium ſcripſi: in quo artificioſam orationis connexionem, non ita ſervare ſtudui, ut omnia eleganter ſibi cohærerent, & aliud ex alio concinnè dependeret, ſed ſimpliciter atque incompoſitè pauca, quæ curandis ipſorum Hæreticorum oculis, apta eſſe videbantur congeſſi. Abunde quod cupimus aſſequemur, ſi modicus ac rudis hic labor noſter, aut aliquos ex his qui Hæreſi jam infecti ſunt, ſanare, aut aliquos ex his, qui nondum ſunt infecti, ſervare incolumes potuerit. Neque enim in illis, quæ hactenus*

Abbatum vigilantia.

Hæreticorum errores.

Contemptus Cæremoniarum Eccleſiæ.

Ludovicus Bloſius contra Hæreſes.

Zelus Bloſii.

nus edidimus, laudes hominum, sed salutem animarum venamur. Atqui efficaciter omnino tela in hostes fidei convertit & eiaculatus est, è pharetra utique Mariana, Virginis Augustissimæ, quæ sola conterere deprædicatur in universo mundo Hæreses, & est terribilis suis hostibus, ut Castrorum acies ordinata, quam unicè dilexit Blosius, multaque in laudem ejusdem, & pro perpetua Veneratione scripsit, egregiumque se honoris ejusdem assertorem, & contra Hæreticos vindicem, comprobavit. *Væ miseris*, inquit, *& infelicibus Hæreticis, qui tantæ Virgini iniquiores sunt, qui ejus gloriam & splendorem obfuscare nituntur: Væ, inquam, his quibus tantæ Imperatricis cultus jam viluit. Indignantur, frendent, quod eam appellamus spem vitæ, conciliatricem salutis. Quid, inquiunt, Mariam habetis pro DEA? siccine spem Vestram in homine ponitis? Non quidem adoramus Mariam ut DEAM; sed ut DEI Matrem, DEO proximam veneramur [quamvis non immeritò DEA dici possit, cum Sancti in scriptura vocentur Dij] Non sic constituimus spem nostram in homine; non ita confidimus in MARIA quasi ipsa, id quod est, id quod habet, id quod potest, non acceperit à Domino: sed confitemur eam accepisse omnia ab eo, à quo creata electáque est, & eam posse omnia in eo quem enixa est, Dedit Creator creaturæ, Filius Matri ineffabilem quamdam potestatem, & eam singulari privilegio honorare voluit: ob idque salutis spem in ipsâ collocamus, non quidem ante Dominum, sed post Dominum: nam à Domino (quem totius boni originem esse cognoscimus) salutem principaliter expectamus. Tu Antimarianorum illorum blasphemias atque impudentiam abominare, orans tamen interim pro eis, & venerationem ipsius MARIÆ charam habeto. Ipsa enim est totius puritatis & sanctimoniæ exemplar absolutum, ipsa peccantium singulare refugium, ipsa omnium quos tentatio, calamitas, aut persequutio aliqua urget, tutissimum asylum. Ipsa Regina Cœli potentissima, ipsa Dispensatrix Gratiarum liberalissima, ipsa omnium fidelium Mater misericordissima. Tota mitis est, tota serena, tota suavis, tota benigna, non solum justis & perfectis, verum etiam peccatoribus ac desperatis: quos ut ad se ex corde clamare perspexerit, statim adjuvat, suscipit, fovet, & metuendo Judici materna fiducia reconciliat. Nullum aspernatur, nulli se negat: omnes consolatur, omnibus sinum pietatis aperit, & vel tenuiter invocata præsto adest Sua ingenita bonitate atque dulcedine, sæpe eos, qui DEO minus afficiuntur, ad sui cultum blandè allicit, potenterque excitat: ut per hujuscemodi studium præparentur ad Gratiam, & tandem apti reddantur Regno cœlorum. Talis est, talis à DEO facta est, talis nobis data est: ut nemo eam horreat, nemo refugiat, nemo ad eam accedere trepidet. Fieri non potest, ut pereat, qui MARIÆ sedulus & humilis cultor fuerit. Tu igitur facito Tibi unicè familiarem &c. Eundem habet cum Patre cœlesti filium: DEUM in Utero suæ Virgineo concepit, DEUM peperit, DEUM propriis uberibus lactavit; DEUM gestavit in ulnis & confovit gremio. Quid sublimius, quid magis honorificum, quam dici & esse Matrem DEI? Quid celsius? Quid admirabilius? Plane sic est: nihil sub DEO cogitari potest Divinius DEI Matre, &c.* Et alibi: *Ejus dignitas omnium Angelorum dignitatem superat. nam cum Dominum universæ creaturæ genuerit, ipsa quoque universæ creaturæ Domina est. DEUM Virgo concepit, DEUM peperit & post partum Virgo inviolata permansit. Merito igitur juxta Ipsius Vaticinium, omnes generationes ipsam dicunt Beatam. Convenienter eam appellamus Salutem, Vitam & Spem nostram, propterea quod Christus, qui principaliter est salus Vita & Spes nostra, se per illam nobis dederit, quodque ipsa apud Filium materna fiducia nobis impetret, quæ salutaria sunt. Sæpe enim ea, quæ attribuuntur Creatori, rectè attribuuntur etiam Creaturis. Unde Paulus: Quæ est spes nostra, aut gaudium, aut Corona gloriæ: nonne Vos ante Dominum? & hi, ad quos sermo DEI factus est vocantur Dij. Apostoli quoque à Christo dicuntur Lux mundi. Itidem adoratio laudabiliter invenitur exhibita creaturæ. Nam scriptum est, quod Abraham adoraverit filios Heth, & quod Jacob adoraverit fratrem suum Esau, quodque Filij Prophetarum adoraverint Helisæum Prophetam. In Liturgia Chrysostomi, hæc verba de ipsâ Maria habentur: Verè dignum & justum est, glorificare Te DEI parам, & semper Beatissimam, ac penitus incontaminatam Matrem DEI nostri, honorationem Cherubim, incomparabiliter & gloriosiorem Seraphim, quæ citra corruptionem DEUM ipsum genuisti,*

Urde tela Blosij.

Ejus pro Deipara Zelus.

Laudes Deiparæ.

Insigne elogium.

Insignis Deiparæ deprædicatio.

nuisti, Te verè DEIparam Magnificamus: Ave Maria, Gratia plena, Dominus Tecum, Benedicta tu in mulieribus, & Benedictus fructus ventris tui; quoniam salvatorem peperisti animarum nostrarũ &c. Hucusque Blosius noster, ut nemo satis fervorem tanti Abbatis admiretur. Vitâ excessit hoc anno, non minus Blosio fervidus in Marianos & Christi Ecclesiæ hostes Hæreticos, pugil & Athleta generosissimus Reverendissimus Dominus Jacobus de Lallre, ex Abbate Vallis Beatæ MARIÆ Virginis Montibus, postulatus Abbas Hasnovi-

V. Jacobus de Lallre Abbas Hasnov.

ensis, lucidissimum Jnferioris Germaniæ sydus, *Hostis Hæreticorum*, ut annales loci appellant, *acerrimus*, ac propterea, *Hæreticæ pravitatis Jnquisitor* constitutus, post multos labores & pericula, ad præmia Domini prælia præliantium vocatus. Hoc primum anno nonnulli S. Jgnatium Casinum migrasse volunt.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XLV.
Sancti Patris Benedicti. M. LXV.

Jacobus Regius Archiepiscopus Biturivensis.

MAgnis sese meritis commendat, Jacobus, cognomento Regius, Renati, ex Margarita Gauffier filius, Archiepiscopus Patriarchalis Ecclesiæ Bituricensis, Aquitaniæ Primas, Princeps lectissimus. Js ex Monacho primùm & Abbate Dolensi, Abbas Villelupensis, postea Archimandrita Archisterij Cluniacensis, demum Archipræsul renunciatus, ubivis egregium sese Pastorem exhibuit, & magnum Ordini decus addidit. Patruum habuit Guilelmum Episcopum Magalonensem, Joannis Amboesij Lingonensis Episcopi proavunculum, fratrem vero Regis Galliarum Magnum Eleemosynarium. Passus multa est Jacobus ab Hæreticis, ipse sibi ubivis constans, cum omnia sursum & deorsum verterentur. *Ex Gall. script. Claud. Rob. Annal. Cluniac. &c.*

Antonius Epis. Civitatensis.

Floruit hoc ipso tempore Antonius de Monte, ex Monacho Montis Angelorum Congregationis Cluniacensis, Episcopus Civitatensis, de quo Aug. Florentinus & alij. Jn Germania Superiore etsi tristissimus rei Catholicæ

Fœdus Schmalcaldicum.

status, firmato contra Catholicos fœdere Schmalcaldico, & infinita quasi conjuratorum multitudine Sacris omnibus minante, imo jam passim in Monasteria sacrilegè grassante; tanto tamen sese magis obarmat, adversum omnes hostium injurias, nostrorum patientia: cum lectissima quævis Cœnobia, aut miserè vastata rebus omnibus exuerentur, sive ad profanos usus transferrentur, sive penitus exurerentur, viris Religiosis pessimè tractatis & quaqua versum dispersis, atque ita afflictis, ut jure merito in sanctorum Martyrum censu habeantur. *Ex Germ. nostra &c. & diversis Germ. script.*

Jn Jnferiore Germania memorandus denuo hoc ipso anno sanctæ memoriæ Abbas Lætiensis Ludovicus Blosius, qui non contentus eâ quam meritissimi ejusdem instituerant & promoverant Reformatione, ipse Spiritu & Zelo Religionis fervens novam, multisque numeris absolutiorem instituit, & scriptis mandatam, ut Apostolica confirmaretur auctoritate, Romam mittit, insigni cum plausu acceptam, & à Paulo III. solemniter confirmatam, cui præter Lætienses, plurimi deinceps nomen dedère, plurimo deinceps fructu passim consequente. Ut Blosius noster merito inter magnos Ordinis Reformatores, & sanctissimarum Legum Conditores adnumeretur. *Ex Monim. Lætiensibus.*

V. Blosii Reformatio Lætiensis.

Jn Monasterio Deiparæ & sancti Heriberti Tuitiensi, ex adverso Coloniæ, vita excedit hoc anno Henricus Horstius de Nussia reformatissimus loci Abbas, decus Ordinis singulare, Zelator disciplinæ Monachicæ strenuus, Vir ingeniosus juxta laboriosus & industrius, sanctæ sobrietatis studiosissimus, cujus alia inter laude & imitatione dignissima memoratur, ingens otij odium, ita ut nunquam otiari visus sit, semper religiosissimè & utilissimè occupatus. Dilexit autem præcipuè decorum Domus DEI & templum amplificans, pretiosa ejusdem sedilia confici curavit. Decessit 7. Junij. Moritur eodem Anno JII.*mus* Antonius noster Civitatensis Episcopus nepos Antonij de Monte S. R. E. Cardinalis, Monachus SS. Angelorum Florentiæ. *De quo sæpè citati.*

Henricus Horstius Abb. Tuitij.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XLVI.
Sancti Patris Benedicti. MLXVI.

INfinitorum malorum Author primus & præcipuus, Hæresiarcha nequissi-

quissimus, innumerabilium Sacrilegiorum, rapinarum, incendiorum, turbarum, seditionum, prœliorum incentor, & promotor Martinus Lutherus, ad tribunal Divinum, desperatè mortuus, hoc anno rapitur, parentantibus Apostolo huic suo & Evangelistæ Schmalcaldicis, & funalia præferentibus innumerabili ædium, maximè sacrarum incendio, & ut verè profiterentur tanti se parentis filios, cœlis bellum inferre, infinitas sanctorum cœlitum statuas igne exurentibus, atque ut ab omni humanitate, ipsorumque Gentilium in mortuos pietate alienissimos se testarentur, sepulchra & sarcophagos à plurimis sæculis summa in reverentia habitos inexplicabili dementiâ violantibus, ossa dissipantibus, pulveres exsufflantibus: nostris, cum obniti violentiæ non possent, innumerabiles lachrymas gemitusque cœlo consecrantibus, cum plerique ijsdem cremari ignibus mallent, quam tantas Numini & sanctis ejus illatas injurias intueri, & infanda Sacrilegijs mixta dicteria, & blasphemias audire; ut quas sacrilegè Hæretici accenderant, flammæ, nostrorum gemitibus & lachrymis in holocausti vices cederent, succensisque æquè cordibus, in odorem suavitatis cœlos penetrarent. Jta hoc anno, & pluribus deinceps consequentibus in Germania, Anglia, Gallia litavit Numini inexplicabili condolentiâ & patientiâ Ordo noster, & infinitarum profusione lachrymarum, tantóque magis, DEUM & Sanctos demeruit, quanto ferventiùs ipsis ignibus, DEI misericordiam pro sacrilegis exoravit, uti usque hodie pro pessimè de se meritis facere non desinit, omnesque condonat injurias, dummodò ad sanctæ Matris Ecclesiæ gremium, inobedientes filij reverterentur.

Lutheri mors & funebria.

Ordinis in hostes pietas.

Jn nova Ordinis nostri Congregatione Montis Coronæ [sic enim illam à posteriore nomenclatura & hodie notiore, appellamus] virorum genere, doctrina, sanctitate illustrium, tanta frequentia, ut perfectorum æquè convenienter, quam Monachorum, Gongregationem licuisset appellare: Adeo, ex tanta tenebrarum densitate, lumina nostra perpetuo effulsere, & perquam insigni luce facem cæcutientibus, ut qui vellent & saperent tenebras sæculi facilè agnoscere nt, prætulere. *Lucas Ruhensis &c.*

Montis coronæ gloriari.

Jn superiore Germania immortali cum Ordinis ornamento, summis sese meritis Jmperio atque Augustissimo Ejusdem Jmperatori Carolo, probat Gerwicus Abbas Jmperialis Monasterij Weingarttensis; quorum vel unum illud, quamvis præter dignitatem & convenientiam Viri Religiosi & tanti Præsulis, nonnullis videri possit; castra sequi, & militiæ curam suscipere: Convenientissimum tamen Gerwico visum, Patriæ & Jmperio omni modo consulere, Cæsarique optimo, dum pro Jmperio non solum, sed vel maximè pro Religione Catholica pugnaret, omni consilio, ope atque opera adesse, nec vel in maximis quidem periculis deserere. Adeóque & patriæ necessitatibus atque amore, nec non precibus compulsus Cæsaris exercitui adesse, etiam pro Duce Albano, jussus commeatum, atque alia necessaria exercitui providere, quod hominem majore fide & integritate, industriâ præterea atque dexteritate, quam quemvis alium è sæculi Magnatibus, in ea procuratione versaturum, facilè appareret. Docuitque revera exemplo suo Gerwicus noster, Virum litteratum, Nobilémque, etsi Religiosum & Præsulem, nihil dedecere, quod juvandæ patriæ, & in causa maximè Fidei prodesset.

Gerwici Abbatis Weingartensis industria.

Nunc primum suo valedicens Fontis Ebraldi Archisterio, & decima sexta Octobris inde discedens Renata Ducissa Lotharingiæ, Remos ubi appulit solemni plausu & gratulatione insigni excepta est à sereniss imis inprimis parentibus Claudio á Lotharingia Guisiæ Duce & Antonetta Barbonia, nec non ab Eminentissimo fratre suo sacræ Ecclesiæ Cardinale Carolo Lotharingo, Remensi Archiepiscopo, à quo solemniter in Abbatissam S. Petri inaugurata & consecrata est, ingenti sacrarum Virginum nostrarum gaudio, nec minore fructu atque emolumento, cùm revera Princeps esset exemplar totius sanctitatis, & vitæ exemplo omnes anteiret. De qua deinceps plura.

Renata Ducissa Lothar. Abb. Remensis.

Nobilitat idem Monasterium, & hunc eundem annum mors felicissima Beatæ memoriæ Dominæ Jsabellæ ab Asper-

V. Jsabella ab Aspero-monte sanctè moritur

Asperomonte, de qua R. Pater Amandus Tribout: Erat sanctitate eo nobiliori, quo Nobiliori genere præcellebat; haud equidem dicenda frequentissimè jejunare, vix ullo obsonio, nisi orationis pabulo vescebatur; mixto prius modicis dapibus, quibus, ne planè deficeret, utebatur, felle, aliisque amarioribus succis, ita ut ipse cibus & refectio ipsi aspera pœnitentia esset: tanto Crucis & Crucifixi Jesu sui redamandi flagrans desiderio, ut ipsam tæderet partis Vitæ suæ, siquid ipsi ex animi sententia accidisset, continuis corporis doloribus, alijsque carni & voluntati contrarijs cupiens exerceri, & mortificari. Quare tam generosæ sitis misertus Jsabellæ suæ sponsus ipse Christus Jesus amor Crucifixus, singulari dono, & solitâ in amantissimas mentes benignitate, hujusmodi eam morbo affecit, ut ejusdem dirâ vi & conflictatione, ter & trigesies tenera & exilis Virgo agonizaverit, quod tantâ alacritate, & patientissimæ mentis invictâ generositate toleravit, ut passim ab omnibus, vel solo tantæ patientiæ nomine, sancta sit habita, etsi aliàs omni virtutum genere esset cultissima. *R. P. Amand. Tribout, &c.*

IESU CHRISTI ANNUS S.M.D.XLVII.
Sancti Patris Benedicti. M. LXVII.

Henrici VIII. mors & sacrilegiorum effectus.

HEnrico VIII. Angliarum Regi, summo, si Dijs placet, Angliæ Pontifici, sacrorum omnium eversori, juratissimo Romanæ Fidei & Ecclesiæ Catholicæ hosti, infinitis sacrilegijs pollutissimo, Sacerdotum Christi, quin & propriarum conjugum parricidijs infami, cœlo terrisque invisо supremus hic annus, ulciscente suos Numine, quorum majores Christi Fidem Angliæ introduxerant, & infinitis meritis demeruerant Regna illa, etsi pro tanto hoste suo preces & lachrymas fundere non desisterent, donec actum jam de ipso esse intelligerent, & ad æquius tribunal citatum, quàm ad quale ipse S. Thomam Cantuariensem, tanto ante mortuum citasset, jamque judicatum, & condemnatum, non dubitarent. Et vero etiam à morte ejus patuit, quantum ipsi & Regno sacrum aurum, & tot Ecclesiarum atque Monasteriorum thesauri profuissent, cùm nulla, neque antè, neque pòst tanta paupertas subditorum, tantaque rerum omnium penuria esset, ut qui vel maxime inde ditati sibi videbantur, aliam quoque substantiam, meliore titulo partam, juxta & cum sacris opibus evanuisse, sero tandem animadverterent. *Ex diversis Anglic. rerum script.* *Paupertas Regni.*

Gervicus Abbas contra Hæreticos.

Iterum Gerwicus Weingarttensis Abbas celebrandus, qui in annos singulos, non singulis solum, sed plurimis & singularibus meritis esset commendandus: cujus alia inter hoc longè maximum, quod cum longè latéque Germaniam pestilentissima Hæresum lues, incredibili cum incommodo Rei Catholicæ, & nobilissimam etiam Jmperij provinciarum Sueviam invasisset, Gerwicum non ab hujus solum modo maxima parte tantam pestem felicissimè avertisse, sed & Jmperio atque Imperatori Augusto optimè consulentem, plurimas passim urbes, oppida, atque subjectas ijsdem Ditiones in fide & officio continuisse, mox ab Cæsare Legatum, Fidelitatis sacramentum ejusdem nomine exegisse. Jpso hoc etiam anno Gerwicus idem, in publica ac solemni Festi Corporis Christi Processione, circumtulit suprema vice, in inclinante jam, imo mersâ Hæresum abominatione, Ulmensi Urbe Venerabile & sacrosanctum Christi Domini Corporis Sacramentum, præsente & comitante Cæsare. Ut merito obstupescat, qui inter tantam juratissimorum Romanæ Ecclesiæ hostium multitudinem, unius viri Monachi constantiam, & professionem tam manifestam Fidei, tam pulchro exemplo, tam publicâ videat, seu reminiscatur. *Ex monim. Weingarit. &c. & Annal. nostr. Benedict.* *Ulmæ Festo SS. Corporis Christi ultima solemnitas.*

Joannes Abbas Werthinensis.

Extinguitur hoc anno singulare Regularis Vitæ exemplar & sacræ Reformationis promotor Joannes de Grö-ninga Abbas Werthinensis, Præsul per omnia magnificus qui magno bono publico, pontem lapideum magnæ artis, molis & sumptuum Ruræ fluvio imposuit, studia promovit, insignem Bibliothecam struxit, & magno librorum thesauro auxit, Basilicam mirè exornavit, & immortale sui desiderium post se reliquit. Mortuus 7. Julij & in medio Chori ante Altare majus conditus.

IESU

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XLVIII.
Sancti Patris Benedicti M. LXVIII.

LUgubris hic annus Ordini universo, atque Romanæ imprimis Ecclesiæ, morte viri præstantissimi, & tanto culmine honorum dignissimi, Eminentissimi nimirum & Illustrissimi Cardinalium S. R. E. Syderis Gregorij Cortesij ex Monacho & Abbate S. Benedicti prope Mantuam Cænobij, ad purpuram evecti, in purpura niveo animi candore eximij, omni Virtutum cultu ornatissimi, ut ipse purpuram magis ornaret, quàm ab ipsa ornaretur, ad omnes pro Ecclesia exantlandos labores ad sanguinem usque paratissimi, in consulendo prudentissimi, in exequendo dexterrimi, qui cum eruditione singulari non minus præstaret, quàm integerrimæ mentis summis dotibus, Græcè non minus quam Latinè doctus, multa egregij ingenij posteritati sequuturæ reliquit monimenta, è quibus tamen, incertum quo casu sublatis sive deperditis, pauca, quæ subsignamus, supereſſe memorantur.

Moritur Gregorius Cortesius S. R. E. Cardinalis.

De Viris Illustribus Ordinis Monastici Liber unus.
Hymnorum variorum diverso metro Liber I.
Quod Sanctus Petrus Apostolus Romæ fuerit. Liber I.
Epistolarum familiarium ad diversos. Liber I.
S. Basilius de Virginitate ab ipso ex Græco in Latinum sermonem versus &c.

Ejus scripta

Js quanti semper cucullum fecerit, atque adeo præ hoc riserit purpuram, in ipsa morte, pulcherrimo sanè dicto comprobavit; cum imminente suprema horâ ministrum quemdam suum sibi à cubiculis compellans: *Ecce jam*, inquit, *ecce pluribus annis Cardinalis fuimus: quid autem nunc supereſt de hoc honore? Quanto satius fuerat in Religione mori, ubi minus erat animæ periculum?* Mortuus tamen eo securior est: quanto solertiùs, & quod sui muneris erat, expendit, & pericula cautiùs declinavit: certus quanti periculi esset toti orbi Christiano comprobare, Apostolico Ordini & Collegio insertum, Christi in terris Vicario proximum, talem vitæ, moribus, & meritis esse, qui & dignus eligi sit pro summo Ecclesiæ capite, & dignus eligere, dignusque consulere ex dictatis Divini Spiritus Ecclesiæ Universæ. Hæc Gregorius noster distinctissimè expendens, purpuram non exambijt, sed expavit, & recusavit, invitus retinuit, & tamen nunquam acceptasse optavit. *Alph. Ciacon. Panvin. Hier. Platus &c.*

Insigne dictum morientis.

Vitæ integritas.

Hoc ipso anno probatus solemniter est à Paulo III. Farnesio summo Pontifice *Liber* ille aureus *Exercitiorum sacrorum* à sanctissimo Societatis Jesu Institutore Jgnatio, Manresæ primùm, ut supra diximus, meditatus & compositus, ac deinceps diligentius elaboratus, ad cujus perfectionem haud modicè feciſſe Montserratensium nostrorum diligentiam & instructionem, atque Joannis præcipuè Cianonij Monachi, viri eruditi & sancti, qui à Confessionibus Jgnatio fuerat, dictamen, opem atque operam; sed ante omnia materiam subministrasse èoque induxisse Beatæ memoriæ Garziæ Cisnerij Abbatis ejusdem loci Exercitiorum librum, monimenta Montserratensia docent, & ex his Antonius de Yepes noster, Marcus Ant. Scipio, alijque affirmant, & luculentè demonstrant.

V. Joan. Cianonij Liber Exercitiorum.

Magno omnino Regni Gallici ornamento, Ordinis Monastici tam virorum quàm viraginum sanctissima Reformatio invalescit, ad confusionem invalescentium, per omnem libidinem & licentiam Hæresum, docente ad oculum Numine, quanta sit gratia Crucem suam ultro susciplentibus & amplectentibus, & quanta obcæcatio illam aspernantium, illico in tantos tamque abominabiles errores præcipitantium, certè ex unico S. Petri Remensis Cænobio, ad diversa passim toto Regno Cænobia, exemplaria viva sanctitatis expetita, plurimum Catholicos sancto exemplo in fide Ortodoxa confirmarunt, ex illis hoc ipso anno Margarita de Salazar ad S. Petri de Polongæo in Diœcesi Lingonensi postulata, & Abbatissa creata, Disciplinæ Regularis curam diligentissimam habuit, multisque alijs Cænobijs facem prætulit; ut nihil de Viris Ordinis præstantibus dicamus, pro meritis ad diversas Cathedras expetitis.

Reformationis in Gallia successus.

IESU CHRISTI ANNUS M.D.XLIX.
Sancti Patris Benedicti. M. LXIX.

MEmorabile fortitudinis & patientiæ exemplar, Isidorus Clarius

V. Isidorus Clarius.

rius Fulginas sub hoc tempus Urbi suæ, imo Orbi fuit; cum enim tantus tantique aliàs apud suos habitus Episcopus, in jurgantes incidisset, & ut Pastor bonus, sui memor officij, sibi creditos ad pacem hortaretur, illo ex grege perditorum unus nobilitate audax, ac furore præceps colaphum excussissimâ palmâ infregit; sed stetit sibi constans Isidorus ac dissimulatâ injuriâ, qua cœperat ire perrexit.

Ejus patientia.

Eumdem alius vir Nobilis ab eo in intima deductus conclavia, ibique de propudiosâ, quam ageret, vitâ leniter monitus, rabie furens ac scelere amens, depalmavit, non ideo tamen quidquâ patientiæ minus decorum fecit Isidorus; quia irruentes famulos abire jussit, nihil factum esse dictitans; sed quas Christi servus dissimulanter transmiserat injurias, gravissimè ultus est Deus: nam uterque emotâ mente desipientes longa & miseranda civibus fabula fuere. Ita, quia parum ab amentia distat ejusmodi furor, immissâ insania justissimè vindicatur. *Ex Vita ejusdem & Joanne Rho.*

Rigidus in peccatores Deo injurios.

Idem tamen, quo nihil aut in calamitosos misericordius, aut in contumeliosos & injurios mitius fuit: in eos tamen, præcipuè qui Augustissimum Dei Numen indignis proscindebant verbis, districto severitatis fulmine, vehementissimus erat, pœnisque gravissimis castigabat; quo terrore admoto, sanos in officio continuit, & conscelleratos, qui tantum formidine pœnæ oderunt peccare, emendavit.

V. Joannes Feckenamus Christi pugil Generosissimus.

Fortissimi Christi Athletæ atque invictissimi Catholicæ Ecclesiæ Propugnatoris Joannis Feckenami Evishamensis Monachi, admiranda constantia & magnanimitas in asserenda Fide Romano-Catholica hoc anno celebranda. Js anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo sexto, jussu Apostatæ Regis Henrici VIII. cum alijs Patribus ac Fratribus Collegis Monachis summam per injuriam vimque Cœnobio exactus, cùm quò se exul verteret, nesciret, ad Joannem Bellum se denique contulit Wigornienſem Episcopum, eidem à Sacello factus; eoque mortuo anno Christi 1539. ad Edmundum Bonnerum se recepit Londinensem Episcopum, apud quem subsistens, cùm magnis esset animi talentis præditus, & insigni præstans eruditione, Zelo etiam Religionis fervens, totum sese ad gravissimos pernicioſissimósque Hæresum errores confutandos, & propagandam comprobandamque Catholicæ Fidei Veritatem convertit, eoque inprimis gravissimum Hæreticorum odium incurrit, ac proin Edmundo Episcopatu pulso, Feckenamus in vincula abreptus, turrique Londinensi inclusus est. Verùm Feckenamo neque in angustijs carceris animus angustus fuit, roburque ac virtus singulari Numinis dono crevère, ita ut summâ libertate, cum liberis ipse vinctus confligeret, atque inprimis Hæreticorum Coriphæos, Principes & antesignanos, liberrimè & generosissimè in certamen provocaret. Contemptim accepère unius Monachi provocationem Hæretici, tantóque libentius consensère, quo minùs ab uno multi, præsertim in impio dogmate versatissimi metuebant.

In ipso carcere liberrimo animo.

Itaque hoc fine eductus ex carcere, septem solemnes habuit disputationes, circa præcipuos Fidei articulos, atque ita solidè sceleratorum errores convicit, & Catholicæ Ecclesiæ Veritatem ac doctrinam propugnavit, ut Hooperus ipse Pseudo-Episcopus Wigornienſis Princeps Assessorum non immeritò sibi satisfactum esse, vel invitus fateri cogeretur. Sed de gloriosè gestis Feckenami nostri, suis deinceps locis sæpius. *Camdenus, Stapletonus, Pitsius, Reinerus, Mayhew & alij.*

V. Antonius Cabilonensis Episc.

Jn Gallijs, uti aliàs semper florentissima fuit eximiæ fragrantiæ Lilijs, alios inter viros cùm vitæ integritate, tum rarâ & mirâ illustres eruditione longè latéque effulget Antonius, aliàs Arlaudus de Vienna, ex Monacho & Abbate Firmitatis Cabilonensis Episcopus, Catharinæ Mediceæ Galliarum Reginæ à sacris confessionibus & conscientiæ arbiter lectissimus & sapientissimus. Joannes Chenu ipsum appellat: *Doctorem subtilem in his, de quibus nunc ferè omnis inter Theologos controversia versatur.* Et in colloquio Poissiaco, *cæteris præcelluisse dicitur.* Expendit & iste pericula magnis honoribus, & aulicis negotijs obnoxiorum, & vel maximè conscientiæ Regiæ arbitrorum, quo quidem nihil periculosius

losius sub cœlo esse distinctissimè observavit; nec in Regum solummodò virorum manuductione, sed in Reginarum quoque validè persuadentium & persuasarum directione, ac propterea enixissimis à Regina precibus impetravit, & ab Episcopali absolvi munere, & ne deinceps Reginam audire cogeretur, ab Aula dimitti.

Ab Aula absolvi sollicitè urget.

Jn superiore Germania inter plutimos rei Catholicæ strenuè satagentes Prælatos, multis se meritis commendat Paulus Neccarus Patriciâ Nobilitate vir, Abbas Ursinensis & insigni non minus pietate quàm eruditione, & quæ in magnis requiras, singulari liberalitate & morum gravitate.

Paulus Neccarus Abb. Ursinensis.

Fuit strenuus & disciplinæ promotor & studiorum, asseverare solitus: *Monachum sine libris & lectione, esse militem sine armis, & armorum exercitatione.* Hic in circumjacente provincia plurimùm laboravit, ne Kauffburæ invalescens Hæreseos venenum latiùs serperet, multósque retinuit jam in præceps agendos. *Ex monim. Monast. ejusdem.*

JESU CHRISTI ANNUS S. M.D.L. Sancti Patris Benedicti. M. LXX.

ITerum Galliarum Regna florentissimis prægnantia lilijs, cœlum, terráque mirâ recreant fragrantiâ. Ex his Jllustrissimus vir Petrus de Baulme, ex Monacho Sancti Claudij Episcopus Genevensis, inde Archiepiscopus Bisuntinensis, demum Eminentissimus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Titulo Pammachij sanctorum Joannis & Pauli, Filius Guidonis de la Baume, & Henriettæ de Longovico, Princeps optimus, & qui ob injurias gravissimas, & damna ab Hæreticis Genevésibus illata, & generosissimè tolerata, nec non tristissimum exilium, inter Martyres merito censeri debeat, Commendavit se deinceps insigni vitæ exemplo Bisuntio & toti Burgundiæ, nec minùs Romæ, cùm inter purpuratos Patres bis Eminentissimus & virtute, & eruditione esset, inter firmiora suæ ætatis columina celebrandus.

Petrus Archiep. Bisunt. S. R. E. Cardinalis.

Martyrum compar.

Sed ne Hispaniæ Gallijs viderentur cedere, ibi se quoque insignia Ordinis luminaria prodidêre, è quibus Cyprianus dela Huerga, Nucalensis Cænobij longè felicissimi, & sanctorum virorum prægnantissimi, splendidissimè enituit, Doctor & Complutensis Collegij Rector, tantâ vir eruditione, ut Manrique, ipsum *Hispaniæ Phœnicem*, appellare non dubitaverit, qui statim ut gradum Doctoratûs meruit, sacrorum Bibliorum cathedram meruit. Extant præclara ejus Commentaria in varios sacræ scripturæ libros. Quo ipso tempore etiam Chtistophorus de Castilieso floruit, qui ex Monacho Vallis Ecclesiarum, ad secretiora & intima Ferdinandi Regis, ac dein Cæsâris admissus consilia, de eodem multo nomine meruit, de quo plura suo loco.

V. Cyprianus Nucalensis Phœnix Hisp.

Celebrantur hoc ipso etiam anno plurimi ex Ordine nostro viri eruditi: è quibus effulsit clarissimus, editisque ingenij monimentis celeber Benedictus Canophilus Sanguinus Casinensis Monachus U. J. D. cujus celebrantur maximè sequentes libri

Benedictus Canophilus.

De Foro Fori & Foro Poli	*Liber I.*
Repertorium Juris Civilis	*Liber I.*
Multa in Jure Canonico	*Liber I.*
Summa Rerum	*Lib. I. & plura alia*

Neque minore commendatione dignus Miniatus Pittus Nobilis Florentinus Monachus & Abbas S. Miniati Florentiæ, Mathematicus præstantissimus, qui plura, maximè in Mathematicis, ingenij reliquit monimenta, *& librum insignem de nominibus antiquis & recentioribus omnium civitatum, & Regnorum totius Orbis.*

Miniatus Pittus.

Jn Germaniâ inferiori, famâ nominis Jllustrissimi & familiæ celebratur Jllustrissimus & Reverendissimus Dominus F. Carolus de Croij Comes Proceanus Henrici & Catharinæ Chastaubriantiæ filius Philippi Ducis Arschottani frater germanus, ex Monacho Afflighemiensi, loci ejusdem Abbas, inde etiam Altimontensi, tùm & S. Gisleni Cænobio prælatus, demum Tornacensis creatus Episcopus, cucculli in tanto honore amantissimus & reverentissimus, & Cænobij maximè Gisleniani, in quo etiam mortalitatem exuit, & sibi sepulchrum elegit.

Carolus C. de Croy Abbas Afflighemij &c.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LI. Sancti Patris Benedicti. M. LXXI.

INter tumultus, fluctus, nebulas & tenebras Germaniæ obscurissimas, emicantibus hinc & inde luminibus solidæ cùm pietatis, tum eruditionis, ut partim jam vidimus, partim deinceps

ceps videbimus, ex Ordine noſtro verè Jlluſtrium cum virorum tum Virginum, inſigne præ alijs ſydus hoc anno illuſtrat inferiorem Germaniam,

B. Joanna Bellopratenſis.

Beata Joanna Monialis Bello-pratenſis, lectiſſima DEI Sponſa. Hæc nobilibus nata parentibus, familiâ de Spirinx cognominata, Nobilitatem avitiſtemmatis, inter minima duxit, & *Converſarum*, ſic vocant ancillas Religioſas, *Sororum noſtrarum* ſtatum, longè præhabuit, exoratiſque parentibus, ut inter eaſdem Bellopratenſi in Cœnobio ſibi vivere liceret, multis precibus, ægrè obtinuit, eâ tamen lege, ut vilibus officijs haud implicaretur. Votis adſtricta Monachicis, parentum ſoluta imperio, tantum abeſt, ut abjectis & vilibus applicari nollet, ut humilitatis quod quæſierat ſtudium, etiam contentim, non ſolum ultro, amplexa in ſolo illo eminere, cum univerſis contenderet, & abjectiſſimis totius Monaſterij miniſterijs, velut ſoli ſibi deſtinatis ſe totam addiceret, eaque ſummâ induſtriâ exambiret, maximâ animi conſolatione tractaret, vilioreſque in oculis ſuis quotidie fieret, & indignam ſe prorſus in Domo DEI ſervire crederet, idque ſummæ gratiæ loco haberet, & inſtantiſſimis precibus à Domina Abbatiſſâ efflagitaret, ut ſororibus in ſtercoratione jumentorum occupatis, ſibi liceret ſuppetias ferre, quod & impetravit, multumque inde gratiæ à Numine meruit, tanto hodie etiam in terris celebrior, quanto amplius ſe humiliaſſet. *Ex Raiſſio, & pluribus Belgij ſcript.*

Extrema ejus humilitas.

Et ne ſuperæ quoque Germaniæ ſua defuiſſe luminaria exiſtimes, etiam in proximo peſtilentiſſimâ lue Hæreſum infectiſſimæ Urbis, admirandis ſanctioris vitæ ſplendoribus eluceſcit, hoc ipſo ad laborum evocatus præmia

Henricus Clauſius Abbas Wiblingenſis.

Henricus cognomento Clauſius, Abbas Wiblingenſis, Vir inſigni vitæ innocentia, Zelo ferventiſſimus diſciplinæ, qui Fidei luce illuminatiſſimus, nihil omnino prætermiſit, Apoſtolico ſuccenſus fervore, quo à Veritatis tramite aberrantes in viam reduceret, id ipſum non ſolum Verbo & exemplo ſanctiſſimo conatus, ſed ſcriptis melle fluente calamo, dictamine Divino libris, de cultu inprimis Sanctorum [ab Hæreticis ſui temporis ſceleratiſſimè proſcripto] eorum ipſe obſervantiſſimus, & contemplatione cœleſtium, quantum mortali homini in terris licet, ijſdem proximus; quibus nomen ſuum, magno poſterorum ſolatio, labore utiliſſimo commendavit. Scripſit autem ſequentia.

Ejus ingenij monimenta.

Hierapolim, ſive de Cœleſti Curia. Lib. I.
Orationes diverſas ad Cœleſtem Curiã Lib. I.
Speculum propriæ Cognitionis. Lib. I.
Dialogorum Vitæ Chriſti. Lib. 3.
Dialogum, cui Titulus: Negligens Pater.
Miſcellaneorum Lib. I.
Sermonum variorum ad ſuos habitorum. Lib. I.
Exercitium devotiſſimum ad DEUM & Patronos Lib. I.
Commendationem devotam ad S. Annam.
In Caput Regulæ ſanctiſſimæ de Obſervatione Quadrageſimæ; Sermones duos.
Apologiam pro ſe adverſus quemdam Apoſtatam.
Dialogum ad Patrem & Filium ad Religionem aſpirantem.
Epiſtolarum ad diverſos ſcriptarum. Lib. I.

Vivere deſijt in terris, cœlo pridem maturus integerrimæ Vitæ Præſul jam decrepitus ſenex, præſenti anno die decimâ tertiâ menſis Auguſti.

Eodem anno pro egregio Vitæ exemplo & meritis Eminentiſſimo Patrum purpuratorum Collegio, à Julio III. Pontifice Maximo adſcribitur Frater Georgius noſter. Martinuſius Hungarus, vir præſtantiſſimus Monaſterij prope Budam S. Paulo ſacri Monachus, quem falſo Alphonſus Ciaconius & Panvinus, Monaſterij decepti nomine, Ordini S. Pauli, in Ungaria frequenti tribuunt. Jpſum maximi fecit Carolus V. Jmp. Aug. & quod dignißimus videretur, Pontifici pro galero purpureo commendavit.

Georgius Martinuſius S. R. E. Cardinalis.

IESU CHRISTI ANNUS S. M. D. LII. Sancti Patris Benedicti. M. LXXII.

ITerum mira conſtantiæ, patientiæ, reſignationis in placita Divinæ Majeſtatis tota Germania, virorum fœminarumque in Ordine noſtro exempla, hinc Schmalkaldicis, inde Mauritio Saxone, & Alberto Brandenburgio, in Monaſteria ſacraſque DEO ædes hoſtiliter graſſantibus, noſtris inter infinitas ærumnas, ignes, enſes, DEUM, ut Benedictinos, decebat benedicentibus, cum nobiliſſima quævis Monaſteria

Patientiæ mira exempla.

steria & Basilicæ sectariorum furori permissæ, Monachi monialesque in ludibrium omnium inferni larvarum exponerentur, quorum omnium & singulorum casus pertexere, opus immensi laboris exquireret.

Joannis Feckenami libertas.

Joannes Feckenamus noster, post longum carceris squallorem, exaltatâ ad thronum Regni Mariâ educitur, & pro meritis utcunque remuneratus, in clientelam Regiam adsciscitur, Reginæ à sacris factus, & Decanus Cathedralis Ecclesiæ Londinensis renunciatus. Js quanto exinde animo cum Hæreticis conflixerit libertati jam redditus, qui captivus antea de ijsdem tam frequenter & gloriosè triumpharat, dici & deprædicari satis non potest, vel ipsis quidem Hæreticis illud testari coactis, cum non post multos iterum annos, eumdem interceptum, & sui juris in vinculis denuo factum nec admittere quidem ad concertationem aliquam, nedum committere cum eodem de rebus Fidei ausi essent. *Ex Sandero, Reinero, Pitsio & alijs rerum Anglicarum scriptoribus.*

Edmundus Abb. Claræ Vallis.

Jn Gallijs ne Cluniacensibus quidquam cederet, Viris & Virginibus sanctioris vitæ opinione & exemplis celebribus mire splendet sacra Cisterciensium nostrorum reformatio, è quibus Edmundus de Sedeloco, ab ipsis juventutis annis, maturitate morum, & vitæ integritate; cum Sacerdotum Claræ vallensium junior esset, dignissimus tamen visus est, qui tanti Abbas Monasterij esset atque omnibus præficeretur; nec immerito, *sicut ipse* [verba Catalogi Abbatum Claræ vall. ponimus] *operibus Sancto dignis, postea prodidit.* Fuit summâ in gratiâ apud Franciscum Galliarum Regem, qui ipsi aliquoties scripsit, & multa in ejus favorem Monasterio gratiosissimè contulit. Fuit longè latèque meritissimus, & bene merendo in Hispanias usque, & Lusitaniam transijt; Claramvallem autem multo clariorem, & inter tot adversa, interque tenebras sæculi hujus densissimas verè illustrissimam reddidit, adeo quidem, ut tales sub tali parente filios Ordini dederit, *Qui Primis Patribus potuerint comparari.* Js denique morbis fractus & senio hoc ipso anno sponte cessit, gavisus filio sanctissimo successore, etsi eo non diu fruitus, post pauculos menses sanctè defunctus die 14. Augusti. Ipsi proin superstiti etiamnum, & plurimum sibi gratulanti substitutus in regimine Cœnobij est Venerabilis Pater ac Dominus Hieronymus de Sauchier, *V. Hieronymus Soucherius Abbas.* vir admirabili eruditione, experientiâ & sanctitate. Hic patriâ de Monte Petroso ortus, adeo in omni vita se gessit, ut admirationi omnibus fuerit, suoque nomine & meritis non solum patriam, sed Ordinem universum gloriosiorem reddiderit. Fuit quippe eruditione planè incomparabili, prudentiâ singulari, laborum tolerantiâ invincibili, industriâ & dexteritate admirabili, vitæ sanctimoniâ verè cœlesti, quæ in ipso omnia admirati summi Reges & Principes, Henricus II. Franciscus item secundus & Carolus IX. Galliarum Reges, Philippus etiam secundus Hispaniarum Monarcha, alijque Duces & Magnates, nec non summi Pontifices, ipsius consilium in summis Regnorum, totiusque Ecclesiæ negotijs, expetierunt, experti in omnibus utilissimum, & Divina etiam inspiratione, edoctum, ita ut merito pro miraculo hujus sæculi fuerit habendus, de quo suo loco plura referemus. *Regum Amor.*

Hæreticorum sacrilegis ausibus, ipsa impunitate, & Principum connventia, imo accessione consensuque crescentibus, solliciti Abbates nostri *Sollicitudo Abbatum Bursfeldensium.* Congregationis maximè Bursfeldensis Præses & Deputati, nihil non agunt, non quæ ad disciplinam solùm spectabant, sed quæ vel maximè subditorum & subditis vicinorum confirmationem & conservationem a vitæ, & Romanæ Fidei, missis quaquaversum, ubi Parochi minus sufficientes ad obnitendum falsis dogmatibus erant, Religiosis & eruditis viris, multis etiam ex Prælatis ipsis rei satagentibus, & pro concione dicentibus; quin & peregrè viros pugnæ huic aptos magno sumptu evocantibus & alentibus. Celebratur hoc ipso anno, in ipso recessu Capituli Congregatorum Bursfeldensis *Joannes Abb. S. Iacobi prope Moguntiam.* Congregationis Præsulum, Joannes S. Jacobi prope Moguntiam Abbas, & memorabili sanè Elogio, superstes etiamnum à Patribus in scripto celebratur: *Unicum Congregationis Bursfeldensis Ornamentum.* Fuit singularis studio-

rum

rum promotor ſuique Cænobij inſigniter auxit Bibliothecam, & magnus per omnia extitit, alioſque ad ſui imitationem non ſolum accendit, ſed etiam imitatores ſtrenuos habuit. *Ex diverſis Monaſteriorum monim. & Burſfeld. Congr. receſſibus.*

IESU CHRISTI ANNUS. M.LIII. Sancti Patris Benedicti. M. LXXIII.

B. Iſidorus Clarius. CLaruit ſub hoc tempus Iſidorus Clarius noſter Fulginas Epiſcopus verè fulgidus verè clarus, Vir Divinarum litterarum ſcientia inſtructiſſimus, *qui opulentam Sacerdotij ſubſtantiam* [verba Divi Ambroſij ſunt] *ſcum attulit ad Epiſcopatum*, omne nimirum, quidquid ad Epiſcopi abſolutiſſimi perfectionem; illámque vel maximè quæ in veris paſtoribus, hodie plurimum deſideratur: pauperum anxiam curam, quæ in Iſidoro ad miraculum enituit; in eam namque ita ſtrenue incubuit, ut ex opulento Sacerdotio, ipſe viveret tenuiſſimè, ac modicam familiam aleret; reliqua omnia concederet indigentibus; illud porro ſingulare, quod frumentum divendi nolebat, ſed pauperibus vicatim per domos admetiri juſſit, aſſeverans Epiſcoporum bona, pauperum haud minus eſſe, quam Epiſcoporum. Ut hinc facile advertas, qui corporum tam diligentem curam ſuſceperat, quam ſollicitè animis invigilaſſe credendum ſit? Tanta ille charitate commiſſas ſibi animas amplectebatur, ut ab illis nec opulentioris honeſtioriſque ſedis pollicitatione, nec hominis, ut potentia validi, ſic cupiditate impotentis, minis, ab ea divelli ſe pateretur. Quod ne fieret, quoniam id agi ſummis opibus videbat, palam in concione prædicens, ſe inde non abiturum, à DEO vitæ pariter atque paſtoralis vigiliæ miſſionem impetravit. Hoc eſt ſponſam amare in ejus complexu, ac ſinu mori velle: nam pretio mutare infra adulterorum ingenium ac ſordes cùm ſit, vituperationem maximam minime poteſt effugere. *Ex Vita ejuſdem.*

Mirus Eleemoſynarius.

Jterum illuſtriſſimum mirificæ ſanctitatis ſplendoribus ſydus cœlis Ordo noſter & ſacra ejuſdem Congregatio Montis Virginis ſubmittit hoc anno, Beatum Jodocum Palmerium. Js ante Profeſſionem Jordanus Dodi-

B. Jodocus Palmerius.

usPalmerus appellatus, Ordini adſcriptus cum nomine hominem ita mutavit, ut Angeli deinceps imitatus officium, in DEI ac DEIparæ laudibus totam vitam tranſigeret, ipſa animi puritate verè Angelus eſſet. Fuit ſpeculum virtutum omnium, ſuoque perfectioris vitæ exemplo ſuos non ſolum ad paria ſtudia accendit, ſed & ſæcularium plurimos ad frugem meliorem reduxit. Vitam mortalem deſeruit, immortalem inchoavit VI. Jduum Februarij. *Ex monim. Mont. Virg. &c. Arn. Duac. &c.*

S. Ignatius familiaris Ven. Lud. Bloſij.

Sanctiſſimus ille Societatis JESU Jnſtitutor Jgnatius; uti ſolemniores omnes ſuæ Jnſtitutionis actus apud noſtros ſuſcepit, ijſdemque familiariſſimis uſus fuit, ſic & deinceps in omni vita in eoſdem propenſiſſimus, Spiritum quem in Monte Serrato, Caſini, ad S. Pauli Romæ, & ad S. MARIÆ Montis Martyrum Pariſijs vehementer operari ſenſit, quacunque data occaſione apud eoſdem fovere ſtuduit, & incertum, qua primum occaſione Beatæ memoriæ Ludovico Bloſio noſtro Lætienſi Abbati, cognitus, eo deinceps perquàm familiari eſt uſus, commercio litterario inter ipſos inſtituto, quo ſeſe mutuo arctè complexi, ſalutaribus conſilijs & monitis, ad ſtudium ſublimiſſimum perfectionis concitarunt. Extant etiamnum eorumdem litteræ, uſque hodie legentibus omnibus ſalutares, & quæ merito Ordinem utrumque æterno ligent vinculo ſanctæ neceſſitudinis, & religioſæ charitatis.

Henricus Abbas Tuitienſis obijt.

Eodem anno ſummo bonorum omnium planctu, incredibili Hæreticorum plauſu, extinguitur. Henricus Uredenſis, cognomento Boinck, Abbas Tuitienſis, de re Catholica, etiam antequam Abbas eligeretur meritiſſimus, juratus Hæreticorum omnium, & Buceri inprimis Hæreſiarchæ hoſtis; quocum ſæpius feliciter conflixit, & diſputando convictum confuſumque elinguem reddidit. Vir Zelo Religionis & avitæ propugnandæ Fidei incomparabilis; cui plurimi in ipſo ſervati præcipitio immortaliter debent ſuam poſt Deum ſalutem. Obijt 27. Sept. merito inter ſpectatiores Chriſti athletas hujus ſæculi memorandus. Succeſſit concordibus omnium votis, dig-

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LIV.

Sancti Patris Benedicti M. LXXIV.

ITerum de lectissimâ Patrum Societatis Jesu Religione præclarè meretur sanctæ memoriæ Ludovicus de Estrada noster: cum enim novellus Christi grex, in Hispanijs non minus quàm Gallijs magnas omnino pateretur difficultates & adversitates, famaque passim vulgasset, quanta auctoritate non solum Sorbonicum in Gallia Collegium, & Facultas Theologica Universitatis Parisiensis, huic novo Jnstituto, concessisque eidem à Rom. Pontificibus, Paulo III. & Julio III. Gratijs & Privilegijs obniteretur; sed & q. ot, quantósque Compluti, Salmanticæ & alijs etiam Hispaniæ locis haberet adversarios; Cæsar-Augustani quoque animo ab ijsdem aversi, nihil non ipsis amoliendis & evertendis tentaverunt, donec hoc ipso anno eòdem superveniens Ludovicus noster, Patrocinium eorumdem susciperet, & quâ summâ erat, ob insignem sanctitatis, & exquisitissimæ eruditionis apud omnes opinionem, auctoritate, eosdem optimos Patres, cùm privatim adversariorum potiores aliter informando, tùm publicè sanctitatem & utilitatem novi Ordinis describendo & commendando, toti Urbi reconciliaret, gratosque & acceptos redderet. De hoc ipso Hortensis Cænobij monimenta sic meminerunt: *Ludovicus de Estrada Monachus Hortæ, & verbi DEI egregius Concionator, Carolo Principi, Philippi II. filio, hæredique, atque ejusdem Philippi Regis Fratri Joanni Austriaco charus vel inter paucos; sancti Ignatij Loyolæ fausta germina* (Societatem Jesu) *tunc recens orta, atque Cæsar-Augustæ, dum propagari in Urbe sancta cupiunt, repulsam passa, potenter restituit, atque humiliter & gratanter suscipi facit, concione ad populum, & primores Urbis habitâ, quæ facile emollivit animos omnium &c.*

Et sanè non Ludovicus hic solum illustravit hoc tempore Hispanias, sed admirandus prorsus, virorum genere, doctrina & sanctitate illustrium in eodem Regno numerus emicuit, solis Cænobijs Montserratensi, Vallisoletano, Naiarensi, S. Æmiliani, tantopere relucentibus, ut redivivus in omnibus & singulis eorumdem Ascetis se pro-

Florentius de Horst. succedit. dignissimus tanto honore Florentius de Horst, sed qui sese indignissimum omnium reputans, cum deprecando & obnitendo nihil efficeret apud sui amantissimos, ad DEUM conversus, summaque precum instantia ab onere corporis æque absolvi atque ab honore Præsulatus, exauditus pro sua reverentia 28. ab Electione die feliciter extinctus est. Excessit & alter Christi egregius pugil, hoc ipso etiam anno Petrus à Remagen Lacensis propre Andernacum Abbas, ob egregia animi talenta, & singularem eruditionem Unionis Bursfeldensis Præses designatus, & cum plurimum valeret auctoritate apud Joannem Ludovicum ab Hagen Archiepiscopum & Electorem Trevirensem, Archiepiscopalis Senatus Consiliarius electus, eximiæ Pietatis Præsul, & rei cùm suæ, tùm publicæ dexterrimæ administratæ gloria celeber. Decessit ultima Januarij hoc anno, magnumque sui, cùm apud suos, tùm apud Archiepiscopum & Canonicos desiderium reliquit. Nec satis Cœlitibus tantos uno anno militanti Ecclesiæ pugiles in sola Germania eripuisse, Triumphanti inseruisse, addere tertium debuit Petrum Teutonum Maricolensem in finibus Hannoniæ, digniorem omnino cœlis, quàm terris Abbatem, etsi his valde necessarium, & utilem. Fuit hic patientiæ mirificæ exemplum inter turbatissima sui regiminis tempora, omnes illatas ab hæreticis & milite latè grassante injurias & damna invictissimo animi robore superans, DEUMque in omnibus adversitatibus laudans & glorificans, ergà quem fuit mirificè insigni affectus pietate, disciplinæ præterea Monachicæ Promotor sedulus; tantus omnino ac talis, *ut non sine Opinione Sanctitatis* ex hac Vita migraret. *Ex monim. prædictorum Cænobiorum.*

Petrus Abbas Lacensis.

Obijt non sine opinione Sanctitatis.

Jn Jtalia celebre habetur nomen Flavii Ferrariensis, Monachi Casinatis lectissimi, Viri doctissimi, Græcâ & Latinâ Linguâ excellenter instructi, magnâ apud Julium tertium Pontificem maximum, auctoritate & gratiâ, à quo tandem Ravellensis creatus Episcopus, munus sibi injunctum laudabiliter gessit, & Ecclesiæ suæ laudabiliter præstitit. *Ex monim. Casin. & Arn. Duac. Bland. Rem.*

Flavius Ferrar. Mon. Casinas.

Ludovicus de Estrada.

Societatis Jesu propugnator acerrimus.

Elogium ejusdem.

Sanctitas Religiosorum Hispan.

proderet, & universæ Hispaniæ commendaret. Et mirabitur sanè qui vel solos Abbatum Hispanorum syllabos perleget, tot simul semelque Cænobiorum diversorum Antistites, summâ doctrinæ non minus, quàm sanctitatis opinione celebratos, quos omnes, Exercitatorium sanctæ memoriæ Garziæ Cisnerij Opus, Divini Spiritus dictatis plenissimum [uti Divum Ignatium tam potenter excitaverat] ipsos quoque & vel maximè recens exemplum tam sancti Præsidis sui, ad conatus similes accenderat. In Anglia Germaniaque non pauci è nostris, non è cathedris solùm acriter contra Hæreticos rem agunt, sed & scriptis doctissimis eorum errores profligant; sed & Italia hoc anno, ambidextrum contra eosdem pugilem meruit, Jacobum de Leccio Congregationis nostræ Cœlestinæ Ascetam Religiosissimum, qui Paulo IV. Rom. Pontifici, ob egregia animi talenta charissimus extitit, atque hoc ipso tempore impia Hæreseos dogmata, insigni libro elisit atque elusit. Sed & præter hunc, alia quoque magni ingenij monimenta posteritati reliquit, eaque inter *Librum unum: De consolatione Crucis. Librum item de Cæremonijs Ordinis, itemque unum de Vita S. Cælestini V. suæ Congregationis institutoris.*

Nostri pro Cathedris generosè agunt contra Acatholicos.

Sed quid mirum, si tantorum Ducum exemplo, excitati in sacra bella milites, rem fortiter agere aggressi, viros se præbuere & probavere; certè non minora, magis autem miranda, quæ tenerrimæ hoc ipso tempore Virgines, nec minore quam viri animo, in carnem, inque seipsas, plus quàm Hæroica resolutione susceperè, & quidem felicissimè confecère, cujusmodi Amazones, perditissimo hoc ævo, Gallia protulit plurimos, jucundissimo cœlitum spectaculo, cum mundo, Cacodæmone, Carne ita generosè congressas, ut seriò rem agi nemo non adverteret, & totum sanè Regnum & Rex ipse Christianissimus, raperentur in admirationem. Et antesignanis jam plurimis, suum valorem probantibus & sacram in hostes aciem ducentibus, proque re bene gestâ ad triumphos Triumphantis Ecclesiæ evocatis atque admissis, Renata Lotharingiæ Ducissa, Regij generis Virgo, quantò delicatior cæteris visa, tantò robustior animo, Regio sanè spiritu talia Virtutis specimina edidit, ut nemo sui contemptu emineret altiùs, nemo proprij corporis fatigatione, maceratione, castigatione generosiùs pugnaret. Ipsa prima in acie chori, in jejunijs, in Vigilijs, in omni quod carnem domat, quodque inferos fugat & cruciat, ut nullum tam promptum in arma & pugnas, etsi generosissimum belli Ducem videas, ut morte tristius omnibus esset, tantæ Principi non obsecundare ad omnia, quacunque duceret tamque animosè præiret. Erat autem, qualem esse decebat Archistrategam tantam, eâ discretione, ut non tam rigidam moderatricem ageret, quàm solidâ pietate matrem, incredibili diligentiâ & sollicitudine omnibus prospiciendo, *eâ prudentiæ, inquit Tribout, humilitatis, charitatis, mansuetudinis, observantiæ laude temperabat omnia, ut sicut omnibus, ingenij sagacitate, acumine, firmitate, præstantiâ eminebat, ita regimine animarum, præclarissimorum morum indole, & integerrimæ vitæ omnimodâ luce, immenso intervallo, superaret omnes &c.* Et revera, inter applausus sæculi vivens, nihil tamen plausuum sentiens, saltem fastidiens, Dei unius delectata servitio, inter omni modam rerum gerundarum curam, frequentissima cum Rege, Regina, Prælatis, Proceribus, Affinibus & Consanguineis sessus & colloquia, sibi constans semper, nullam in partem flexa, Deo uni intendit; fuitque ille magnæ mentis Divinorum sensus ac Religio, ut tot negotiorum moles, à studio pietatis, præsentiâ in Choro, sibique subditarum perfecto regimine, nihil detraherent &c. *Ex R. P. Amandi Tribout, & Relig. Congr. S. Mauri communicatione.*

Amazones Benedictinæ.

Renata Lotharingia Ducissa pia Antesignana.

Ejus sæculi comes impia

JESU CHRISTI ANNUS. M. D. LV. Sancti Patris Benedicti. M. LXXV.

MEritissimus de orbe & posteritate universâ ad felicissimam immortalitatem felicissimus hoc anno transit sanctæ memoriæ Jsidorus Clarius noster Monachus S. Joannis Evangelistæ Parmensis, & Abbas meritissimus Sanctæ Mariæ Dei Genitricis Cesenæ Congregationis Casinensis singulis, si per compendium licuisset, annis celebrandus. Js pro eximia vitæ Sanctimonia ad Fulginatis Pontificatûs

B. Isidorus Clarius Episc. Fulginas.

catus cathedram evectus, in omni vita tanto se honore dignissimum exhibuit, in ipso Episcopatûs munere comprobavit. Præsul revera magnus, Vir & morum integritate, & scripturarum Divinarum intelligentia, nec non linguarum peritiâ clarissimus, qui Concilio Tridentino summa cum laude interfuit, & scriptis doctissimis Ecclesiæ ornamentum, insigne addidit. Mortuus est ingenti cum subditorum luctu, immortali sui omnibus relicto desiderio, in cathedrali sua Basilica, summa cum reverentia sepulchro illatus, & ab amantissimis civibus, sequenti Epitaphio honoratus:

Ejus Epitaphium.

Isidorus Clarius Brixinensis, Fulgineæ jam septem annis Episcopus, vitæ & moribus integerrimus, exemplo & verbis admirabilis, doctrinâ clarissimus Christianâ, Græcâque Hebraicâ, Latinâ: mira in pauperes charitate ignitus, annum suæ ætatis circiter sexagesimum agens, acutissima correptus febre patientissimè placidéque obdormivit, ac quadraginta post mortem horis ob assiduam populi deosculationem, maximis cum lachrymis ejusdem, non fœtens certè prò mirum! sed redolens, hic situs est, die XXVIII. Maij. M. D. LV.

Incorruptio corporis

De Operibus ejusdem, quibus nomen suum æternitati consecravit, sequentia memorantur.

In sermonem Domini in monte habitum, Orationes sexaginta novem. Lib. I.
In Evangelium Lucæ Orationes quinquaginta quatuor. . . . . Lib. I.
Orationum extraordinariarum. Tomi 2.
De Justificatione hominis & gloria Orationes 2. in Concilio Tridentino habitæ.
Aliæ plures Orationes, in eodem sacro Concilio Tridentino ab eodem habitæ.

Isidori Clarij monimenta.

De modo divitijs adhibendo homini Christiano Oratio unica.
Novum Testamentum vulgatæ editionis ab eodem Translatum.
In Caput nonum Epistolæ S. Pauli ad Romanos Orationes duæ.
In Caput decimum quintum Epistolæ I. ad Corinthios. . . . . Libri. III.
In Cantica Canticorum. . . Liber. I.

Pleraque excusa Venetijs & Mediolani, prostant, tantique Præsulis sanctum fervorem omni posteritati commendant.

Fit Pont. Max. Paulus IV Voto noster.

Eodem anno Pontifex Maximus electus Paulus IV. Ex Illustrissimo stemmate de Caraffa, Neapolitanus, antea Joannes Petrus appellatus, nostris propensione addictissimus, Fundator, ante Cardinalatum, Cænobij S. Nicolai Theatinorum, cujus extare Epistolam propria manu Scriptam, Lucas Ruhensis affirmat, ex qua ostendatur Caraffam prædictum omnino cum socijs statuisse cucullum Camaldulensium nostrorum, & Benedictinam amplecti Regulam, nisi DEUS propositum divertisset, & ad aliud majus ipsum vocasset. Is hoc ipso, primo sui Pontificatus anno, sanctæ memoriæ Hieronymum Suessanum nostrum, ad se accersiri jussit. *Ven. Hieronim. Suessanus.* Verbis Lucæ ipsius referamus, ipsâ simplicitate styli veritatem aptissimè enarrantibus: *Venit Romam*, inquit, *vir obedientissimus, ac læto vultu à Pontifice suscipitur, eumque osculo pedum præmisso, sic alloquitur Papa. Quale tegumentum istud Hieronyme (erat enim vilissimus & asperis tunica & pallio indutus) seu quæ austeritas ista? Nimis durè tecum agis, dimittas ea oportet. Cui senex: nec alius, nisi fallor, habitus pœnitentem decet: nam qui mollibus vestiuntur, non in deserto, sed in Domibus Regum sunt. Nec tu, inquit Pontifex, amplius in deserto eris, sed manebis hic nobiscum: nec de cætero Eremitam Te, sed Cardinalem volumus. Quo audito statim cecidit pronus in terram senex: multis etiam lachrymis profusis, cum diu in refutando dignitatem oblatam persisteret, vix tandem breve tempus ad deliberandum obtinuit. Quo finito ad Pontificios pedes revolutus, humiliter petijt ad suum Oratorium remitti, affirmans nullam dignitatem sibi chariorem esse, quam veræ pœnitentiæ sanctissimum statum; neque alibi delicias sibi futuras extra solitudinem. Ex his cum intellexisset Pontifex, piam ac sinceram Viri DEI voluntatem, noluit eum cogendo contristare: sed totam rem in ipsius arbitrium contulit, & Hieronymus ad suum desideratum Eremitorium revertit.* Ita Lucas Ruhensis. Hæc adeo, ut inde nostrorum æstimes dignitatem, qui purpuram ipsam hoc etiam tempore cucullo suo viliorem æstimavère. *Cardinalatum respuit.*

In Hispanijs inter Illustriores celebrioresque Vitæ integritate, & singulari eruditionis laude eminet hoc tempore Ambrosius à Gandavo, Monasterij celebris à Spina dicti religiosissimus Asceta. Erat hic magno ingenij acumine, & curiosus naturæ abstru- *Ambrosius à Gandavo.*

ſtruſorum indagator, ut paucos ſua ætate pares haberet in Mathematicis & alijs ſcientijs, multiſque ejus eruditio admirationi eſſet. Ordinarijs enim & ſpiritualibus Religionis exercitijs imbutus, ſe Divinorum contemplationi dedit, & Aſtrologiæ auxilio, cujus erat callentiſſimus, ſyderum influxus & Virtutes inquirens, tantum profecit, ut omnibus ſui admirationem pareret. Tantam nominis celebritatem meruit, ut & Jnvictiſſimo Jmperatori Carolo V. innoteſceret, qui ſummam in eo ingenij ſagacitatem miratus, nunquam eum à latere ſuo diſcedere voluit, quod ſumma in negotijs tractandis polleret dexteritate; & in dicendo facilitatem animadverteret. Jmperatore deinceps non minus ipſum coluit, æſtimavitque Philippus II. Hiſp. Rex, apud quem ſummo in pretio fuit, quique ejus ſtudia plurimum promovit; in quibus ad finem uſque perſtitit, multaque ingenij monimenta ad poſteros transmiſit. E quibus *Liber unus* celebratur, *de Supputatione temporum, & alius, de varijs Aſtrorum influxibus*, qui ſoli huc uſque typo prodiere. *Ex rer. Hiſp. Script.*

Cæſari Caroloꝰ. gratiſſimus.

Jam Philippo II. Hiſp. Regi.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LVI. Sancti Patris Benedicti. M. LXXVI.

LUctuoſus haud multo minus noſtris quam Religioſiſſimis Societatis Jeſu Patribus, hic annus Viri ſanctiſſimi, deque Orbe Chriſtiano meritiſſimi Divi Jgnatij de Loiola, glorioſo ad cœlos tranſitu, quem Montſerratenſes non aliter atque ſui corporis membrum, Caſinates ut ſpiritu conjunctiſſimum, Benedictini omnes qui ipſum noverant & foverant, interque omnes junctiſſimus animo ſanctæ memoriæ Ludovicus Bloſius Abbas Lætienſis, ut amiciſſimum deplorare ſatis non poterant, etſi juxta ſibi pollicerentur, potentiſſimum ad cœlos patronum præmiſiſſe, de cujus ſingulari favore ſibi plurimum pollicerentur. Condoluit plurimum novæ ſibi dilectiſſimæ, & validiſſimè contra diverſos adverſarios propugnatæ Societati, Beatæ memoriæ Ludovicus noſter de Eſtrada, & ſtatum à morte tanti Patris & Patriarchæ periculoſiſſimum, expendens, tanto majore ſe animo ad complectendos & amplexandos filios ejuſdem orphanos, reſolvit, quanto magis conſilio & ope ipſos indigere animadverteret. Extat cum alijs tanti viri opuſculis pia admodum atque elegans ejuſdem Epiſtola, in morte tanti Patris ad pupillos ſcripta, ad univerſam, inquam, Societatem, ſtatim à morte Jgnatij, digna haud dubie, quæ Annalibus ejuſdem Ordinis inſereretur. *Ex monim. Hortenſibus, Ang. Manrique &c.*

Moritur S. Jgnatius magno noſtrorum luctu.

Ludovici de Eſtrada condolentia.

Meritiſſimus hoc anno de celeberrima Germaniæ Jnferioris Urbe Duacena, Sanctus Maurontus Abbas noſter, eâdem à potentiſſimis hoſtibus, qui jam ſpe devoraverant, prodigioſiſſimè liberatâ, quæ & pro æterna tanti Beneficij memoria, anniverſariam ſolemnitatem inſtituit. Verbis Martyrologij Benedictini referamus. *VIII. Jdus Januarij apud Duacum Flandriæ, Commemoratio Sancti Mauronti Abbatis, ejuſdem civitatis Patroni quod hâc die ejus meritis & præſentia liberati ſint Duacenſes à traditione Gaſparis Colinæi ſummi Gallorum Ammiraly anno Domini 1556. Cum enim ille hâc nocte, in qua præcipuè populus Flandricus ex antiqua conſuetudine, mero indulgere ſolet, urbem capere moliretur, quod omnes ebrios ac ſopori deditos ſe inventurum putaret, apparuit Sanctus Maurontus in ſomnis Cuſtodi Eccleſiæ ſancti Amati (in qua ſacrum ejus corpus quieſcit) eique ut Matutini ſignum daret, uſque tertio præcepit; quod cum facere recuſaſſet, horam Matutini nondum adveniſſe aſſerens, ab eo coactus, tandem perfecit. At cum Matutinum pulſare ſe crederet, campanæ ipſæ, non Matutini, ſed armorum ſigna dabant; quarum ſonitu populus excitatus, ad mœnia cum feſtinatione armatus properans, ipſum Sanctum veſte Monachali fulgida, lilijs aureis reſperſa (erat enim è Regia Franciæ Regum propagine, & uſque hodie ſic depingitur) indutum, dextraque Regale ſceptrum tenentem, ac mœnia circumeuntem, claris oculis viderunt: eumque donec populus excitaretur, Urbem ſuam apertiſſimè defendiſſe cognoverunt. Cujus Beneficij gratia à Sancta Rom. Eccleſ. Duacenſi hac die conceſſum Solemnes Proceſſiones inſtituere, in quibus pretioſiſſimæ Jpſius corporis exuviæ, in capſa argentea reconditæ, maxima cum populi Frequentia & devotione ab Eccleſiæ Canonicis reverenter circumferuntur.* Ex Martyrol. prædicto.

S. Maurontus Abbas Duacum prodigiosè ſervat.

Hiſtoria memorabilis.

Anniverſaria memoria.

Ann. Duac. & Annal. noſtr. Benedict.

Hoc etiam anno, reſtituto iterum, Benedictinis Monachis celeberrimo illo Weſtmonaſterienſi Angliæ Archiſterio, per Mariam Reginam Catholicam, dum omnia in integrum reſtituenda viderentur, primus eidem Abbas, bonis univerſis applaudentibus deſignatur fortiſſimus ille Athleta, & Hæreſum protritor Joannes Feckenamus, ſexcentis triumphalibus ſertis coronandus. De quo legendus, Sanderus, Reinerus &c.

Joan. Feckenamus ſit Abb. Weſtmonaſterij.

Porro in hoc ipſo Angliæ Regno, reſpirare nonnihil viſi ſunt Patres noſtri Benedictini, in ſpem reſtituendorum Monaſteriorum accenſi, in extinguendam paſſim Hæreſim, toto animo converſi, memorabili omnino fructu laborarunt, plurimóſque à præcipitio revocarunt. Plauſus ubique Catholicorum ingens, qui noſtros tanquam probatiſſimos Chriſti Confeſſores, imo ex tot afflictionibus Martyres, gratulabundi jam palam foverunt ſummiſq; honoribus digniſſimos cenſuerunt, gaudio hoc minimè diu duraturo, cum longè acriora flagella Angliam deinceps remanerent. *Ex diverſis Angl. Script.*

Noſtrorum in Anglia labores.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LVII. Sancti Patris Benedicti. M. LXXVII.

V. Cyprianus Nucalenſis.

Hiſpanias admiratione implet, & celeberrimi nominis fama, Venerabilis Pater Cyprianus de la Huerga, Nucalenſis, exactiſſimæ in Hiſpanijs Reformationis, Monaſterij Aſceta; cujus à primo in Religionem ingreſſu adeo ſublime ſeſe ingenium prodidit, ut admirationi non ſolum omnibus eſſet, ſed nemo unquam dubitaret fore cum tempore rariſſimum Ordinis univerſi ornamentum. Nec ſpe ſua falſi ſunt, cum ſtatim ſummo ardore animi in ſtudia incumberet, minimè tamen neglecta principalis officij ſui ratione: erat quippe ſollicitus in omnibus, inque omnibus mirè excelluit. Præſertim vero animum ad ſacrorum voluminum lectionem & intelligentiam appulit, non ignorans, cœleſtes in illis theſauros latere, quodque labore opus erat, ut alijs tantæ opes parerent. Cœpit proin ſcripturam exponere, quoque longius progrediebatur, tanto majores ſeſe theſauri offerebant. Summa cum diligentia Veteres & Sanctos evoluebat auctores librorum diverſorum ſuper Biblijs, & horum interpretes: quorum auxilio, & ingenij ſui acrimoniâ, multa arcana Myſteria ſacrarum litterarum eruebat. Ut vero ejus eruditio omnibus conſtaret, & talento ſibi conceſſo latius prodeſſet, miſſus ad Univerſitatem Complutenſem fuit, ubi ſacram Scripturam pluribus annis cum laude expoſuit; tantam adeptus nominis famâ, ut ab Univerſitate ipſa præter oblatam & conceſſam ſacræ ſcripturæ Cathedram, publicus ejuſdem Univerſitatis *Anteceſſor* deſignaretur. Certe omnium omnino exiſtimatione & calculo, inter doctos doctiſſimus eſt habitus, in Veterum Patrum lectione verſatiſſimus, in quæſtionibus Scholaſticis expertiſſimus; acutus Philoſophus, Poeta feliciſſimus. Erat præterea præditus prudentia ſingulari, in conſolando eos, qui moleſtia aliqua, aut conſcientiæ ſtimulo agitati eum conſulebant, unde multæ perſonæ graves & in publica dignitate conſtitutæ, ejus in rebus maximi momenti conſilium & opinionem petebant: quoque majoris erant ponderis, tanto amplius elucebat ingenij ejus dexteritas, & eruditionis profunditas. Hinc in maxima apud omnes veneratione & æſtimatione fuit, quod dicerent omnia Hiſpaniæ Regna tam doctum virum non habere, unde omnium cum applauſu & communi nomenclatura HISPANIÆ PHŒNIX eſt appellatus. Nomen ſane rarum & glorioſum, tali præſertim ſæculo, quo vix rudius fuiſſe credebatur, in Hiſpanijs tamen cultiſſimum; cum vel maxime viris doctiſſimis & Univerſitates frequentiſſimæ eſſent, & Monaſteria ipſa, Seminaria profundiſſimæ eruditionis. *Montalbo, Manrique, Henriq &c.*

Univerſitatis Anteceſſor.

Hiſpaniæ Phœnix.

Mira ejuſdem eruditio.

Jn Jtalia, quantis meritis omnium mereretur amorem ſummamque apud omnes æſtimationem Venerabilis Antonius, cognomento Simonis, Monachus Montis Angelorum ſacræ Congregationis noſtræ Camaldulenſis, facile oſtendunt magni honores ad quos ipſe minimè exantlatos, ultro quæſitus, & invitus Cœnobio extractus fuit, primum Minoritanus in Regno Neapolitano electus, mox Sutrij

Antonius Simonis Camaldul.

trij Episcopus designatus, demum Nepiensis Pontifex salutatus, omni tamen ipse honore sublimior & nitidior exsplenduit. *Augustinus Florent. &c.*

Joannes Olivier Abbas & Episcopus.

Nec minore gloria effulsit hoc ipso anno, Joannes Olivarius noster [Olivier] Ex Monacho Sancti Jovini apud Pictones, Eleemosynarius S. Dionysij in Francia, & pro vitæ meritis paulo post Abbas Suessionensis ac denique Episcopus Andegavensis, vir litteratissimus & Poëtica inprimis præstans facultate, editis non paucis ingenij monimentis immortalis. Fratrem habuit Proto-Præsidem Jacobum Olivarium, Franciſci Magni Franciæ Cancellarij parentem. Composuit Joannes noster Epitaphium Ludovici XII. Galliarum Regis apud Papirium Massonum. Lusit etiam carmine Heroico Pandoram, quæ tandem edita Remis est, nostro sæculo anno 1618. Extat quoque ejus Ode ad Macrinum Salomonium.

Tristandus de Bizet Episc. Saulonensis.

Ex Monasterio sanctissimo Claræ-Vallis sacræ Reformationis Cisterciensis extrahitur hoc anno ad Sanctonensis Episcopatus Cathedram, humilis, dignissimus exaltatione Religiosus, Tristandus de Bizet, Præsul laudatissimus: qui & Ecclesiam & Ordinem universum insigniter demereri studuit; ita in omnibus se habens, ut non minus exemplo, quam Verbo prodesset. *Vid. Cl. Rob. &c. Arn. Duac.*

Arnoldus de Venlo Abbas.

Hoc ipso anno Arnoldus à Venlo sanctorum virorum Joannis de Susato, Henrici de Peynes & Theodorici Ruremundensis Cænobij Reformatissimi Abdinghofensis in Abbatiali honore dignissimus successor, *Omnium Virtutum Exemplar*, in Catalogo ejusdem loci Præsulum appellatus, insigni demissionis Studio, & ut vitæ reliquum soli Numini proprijque animi saluti impenderet, ultro & sponte se abdicat, totus deinceps, biennio quo supervixit Divinis rebus absorptus, ferventissimum omnino frigidissimorum sæculi & Germaniæ Exemplar.

IESU CHRISTI ANNUS S. M.D.LVIII. Sancti Patris Benedicti. M.LXXVIII.

Anglia præcipitis ira.

LUctuosissimus Angliæ annus, morte Mariæ Hispaniarum simul & Britanniæ Reginæ, soluta vinculis impia illa Jezabel, Elisabetha, quacum velut soluto ex inferis Cerbero, infinita Hæresum monstra emersere, quæsitis ad necem optimis quibusque, nulla non secta pellecta, & invitata, sola vera Religione Catholica penitus proscripta, & gravissimis legibus prohibita, multis nihilominus è Benedictino Ordine sese in omnia vitæ pericula devoventibus, nec omnium quidem amissione Cænobiorum, & propriæ sustentationis, quidquam turbatis, sed alienæ non minus salutis, quam suæ satagentibus, novitates & absurditates tam diversorum dogmatum detestantibus, & refutantibus. *Vid. Sanderus, Clem. Reinerus, Mayheu &c.*

Joannis Feckenami laudes & pij conatus.

Mirandum autem prorsus, quanta, paulo ante mortem Mariæ Reginæ Catholicæ, ad conciliandos Ecclesiæ Romanæ Hæreticorum animos, ejusdemque gremio adducendos egerit Joannes Feckenamus noster Westmonasterienſis Abbas dignissimus, quantaque benevolentiæ, & charitatis Christianæ signa, juratissimis hostibus suis exhibuerit. Ita Reinerus quoque attestatur: *Cum valeret*, inquit, *magna apud Reginam gratia, multis officijs pietatis & humanitatis conatus est devincire tum alios Nobiles, tum Elisabetham adhuc privatam; quorum officiorum testes appellat Stapletonus Comites Leicestriæ, Warwici & Befordiæ, inter quos & Reginam Mariam, sæpius mediator & sequester fuerat. Guilielmum etiam Cecilium, qui potuerit attestari factum opera & intercessione Feckenami, quod Dominus Joannes Checus Eques, & non ignobilis Protestantium sectator, vita fortunisque privatus non fuerit: quia aliquoties coram ipsa Regina pro concione interceſsisset, pro Elisabetha sorore Reginæ, unde ipsius Mariæ non mediocrem indignationem incurrerit: idque ab eo factum fuit, & antequam eadem Elisabetha in Custodiam fuit conjecta, & postquam custodiæ mandata fuisset. Cujus officij memor ipsa antequam coronaretur, Feckenamo gratias egit, &c. Atque utinam*, inquit Stapletonus, *post septem annos carceris, tantum inveniat Feckenamus humanitatis & favoris, quantum cum rebus secundis floreret, ipse alijs exhibuerat.* Vid. Apostolat. Bened. Reineri.

Optimè de pessimis meretur.

Cisterciensium nostrorum Reformatio mira.

Jn Hispanijs mirificè floret sacra Ordinis nostri Reformatio Cisterciensis, viris vitæ perfectione, & mira erudi-

ruditione clarissimis instructissima, è quibus hoc anno alios inter duo Pauli vel maximè eminent: Paulus Suarez Vallis bonæ aliquamdiu Abbas, deinde Horbæ, hoc anno universæ præfectus Congregationi, & Reformator. designatus Generalis: alter Paulus de Mendoza Monachus Vallis Paradysi, Vir. religiosissimus æquè ac doctissimus, Orator facundissimus, qui tanta viguit nominis fama, ut ipsum Ecclesiastem suum constitueret Philippus II. Hispaniarum Rex, quod munus tanto cum fervore exercuit, ut omnibus Principibus & Aulicis summa in admiratione esset & veneratione. Varia scripsit, eaque inter, opus quoddam, cui Titulus: *Vir bonus*, extat in Bibliotheca Vallis Paradysi. Moritur eodem anno non sine opinione sanctitatis Beatæ memoriæ Joannes de la Penna Monachus Populetanus, magnorum vir meritorum, de quo *Manrique & alij.*

Viri illustres.

V. Joannes dela Penna.

Extinguitur hoc ipso etiam anno Joachimus Perionius noster Cormœriacensis Jllustrissimi Benedictini Ordinis Cænobij in agro Turonensi Monachus, Vir eruditissimus, multis præstantissimi ingenij monimentis posteritati relictis, fama nominis immortalis. Ea inter multa ex Platone & Aristotele, Ciceroniano sermone & stylo transtulit, & ut erat in Antiquitatibus versatissimus, multa de Romanorum Græcorumque Magistratibus bono publico scripsit & edidit. Patriæ quoque consulens suæ, Gallici sermonis elegantiam, & originem deduxit & affinitatem cum Græca lingua pulcherrimè docuit. Vitas item Christi Apostolorum undecunque collegit, & terso stylo descriptas Julio Tertio Pontifici Maximo, eleganti admodum & prolixa Epistola dedicavit. Vita excessit in prædicto suo Cænobio, magno Collegarum luctu ibidem honorificè tumulatus. *Scævola Sammarthanus & plur. rer. Gall. Scriptores.*

Joachim Perionius scriptor præstans.

Abdicat se hoc anno, stupente ad insolentiam exempli Orbe universo, Carolus V. Jmperator Augustus, Hispaniarum & Jndiarum Rex & Monarcha potentissimus, Romano Jmperio, tot jam annis gloriosissimè administrato, & Cænobium S. Justi in. Hispania ingreditur., haud dubium quin persuadente, certe juvante per. sacros libellos, Divini plane dictaminis, Ludovico Blosio nostro, quos ita charos familiaresque habuisse jam superius de Carolo diximus, ut eosdem in sinu jugiter, non secus atque Magnus ille Alexander in Narthecio Homeri Jliadem gestarit, summoque cum animi solatio & fructu legerit; multo dein diligentiùs frequentiùs in Cænobio lecturus, & in praxim deducturus. *Ex Vita Blosij & monim. Latiensibus.*

Carolus V. Jmperio se abdicat: & quare?

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LIX.
Sancti Patris Benedicti M. LXXIX.

RUtilantissimæ cœlestis Hierusalem Urbis structuræ lucidissima hoc anno, eruta. è durissimis sæculi hujus scopulis, gemma inseritur Beata Joanna nostra, Bellopratensis Monialis Conversa, Ancillarum Christi humillima, omnem Nobilitatem pervetusti sui generis, in extrema demissione; suæque nihilejtatis agnitione. positam rata, omnibus mundi honoribus & delicijs abjectissima esse in Domo DEI præeligens, eminentissima sui ipsius contemptu facta, glorioso. etiam in terris, ubi minimè dum viveret, voluit, à morte apparuit. Visa namque spectabili formâ sorori suæ, super morte mœrentissimæ, admirabili & immenso circumfusa lumine; rogantique, unde nam tanta ipsi gloria obtigisset? eam sibi in Magnæ Humilitatis suæ præmium concessam respondit. Cumque soror superstes, Joannam advertisset manum clausam & contractam tenere, & ut eam aperiret flagitasset, negavit illa se hoc facere posse, quod in ea lapidem pretiosum tanti splendoris gestaret., ut humanus oculus ad primum illius aspectum, videndi facultate privaretur., hunc que sibi datum asseruit, pro vilibus operibus, quibus se dum viveret libenter exercuisset. *Joan. Waesbergius, Arnoldus de Raisse &c.*

B. Joanna Bellopratensis moritur.

Visio ejusdem Monialis.

Ludovici de Estrada Hortensis Abbatis, nunquam satis laudanda, ob magnitudinem, multitudinem, & insolentiam planè stupendam, merita. Unicum hoc anno in medium. proferamus, quo super cætera omnia morti jam propinquus, meruit. Jnvalescente quippe summa per Orbem, & Hispanias maximè, sole ardentissimo, aliàs

Ludovici à Estrada merita.

aliàs arentiſſimas, annonæ caritare, & pauperibus non tantum, ſed & ditioribus quam plurimis ob alimentorum inopiam, cum fame non ſolum, ſed morte colluctantibus & conflictantibus, ipſe Cœnobij alimenta omnia, indubitanter expendit, æternæque Veritatis promiſſis, confidentiſſimè nixus, innumerabilem pauperum multitudinem velut DEI, ſuoſque filios amantiſſimè fovit & nutrivit. Ac proin, famâ rei longè latéque diffuſâ, inque famelicorum auribus ſonantiſſima, pauperes undique certatim confluentes [audi rem miram, ſed apud noſtros olim, & perpetuo frequentem, unde plurimis per orbem urbibus oppidiſque ſua initia referuntur, ingenti hominum frequentia quotidie, ſive pro Divini officij frequentatione, ſive propter hoſpitalitatem & liberalitatem propriam Benedictinorum, ad Cœnobia & proximè ſe recipientium] totum Monaſterium caſis & tuguriis ſive tuguriolis circumdederunt, ut & valles & montes ejuſmodi quaſi tentorijs replerentur. Res viſa mirabilis. Omnia circum circa loca, pueris & mulieribus plena erant, qui meridie ad portam Monaſterij veniebant, illicque quod ad victum ſufficeret, accipiebant. Dum vero [ſtupendum ſanè charitatis exemplum!] ob nivium altitudinem pauperes, tuguriola ſua exire non poterant, eò victus deferebatur, & via per nives parabatur, ut hoc facto noſtri & magnam ſuam & ultroneam charitatem atque impenſam ſumma contentione miſericordiam evidentiſſimè demonſtrarent. Confirmata illuſtri omnino miraculo hæc Monachorum, & Ludovici Abbatis pietas, quando poſt plurimas expenſas, cum porro ex locis circumpoſitis, coëmere & corradere non poſſent, quod paucis, nedum tantæ multitudini ſufficeret; ad preces enim converſus Ludovicus mirè impetravit, ut prodigioſâ prorſus meſſe, frumentum ante tempus, & quidem bimeſtri ſpatio matureſceret, ac demeteretur. Ludovico ante alios, ipſum communiter ſummi facientes magnates & Principes, familiarior ſemper erat ſereniſſimus Medinæ Cœli Dux, Princeps potentiæ magnæ & auctoritatis, qui ipſum & pro Sancto ſuſpexerat ſemper, &, ut talem, ſanctè venerabatur, tantique ſemper faciebas, ut Ludovico ſene ſedente, ipſe Dux diſcooperto ſtaret capite, credens omnino ſe Angelum DEI in viro tanto præſentiſſimum habere. Ja admiratus tantam multitudinè, Ludovicum rogavit, an omnibus illis cibum daturus eſſet? Quo annuente, obſtupefactus Dux intulit: Ego ſane [ita Vitæ auctor habet] in me recipere non auderem, omnibus his de victu providere, niſi ſtatum meum oppignorare vellem, & non mihi videor ſufficere poſſe, eo ipſo, quia ubivis maxima panis & neceſſariorum eſt penuria. Cumque reſponderet Abbas ſibi non deeſſore, ſi etiam plures eſſent, quibus pauperes aleret: Curioſior deinceps Dux, ſciſcitatus eſt, quidnam igitur ac quantum eſſet, unde pauperibus tantis erogaretur? ac proin ductus ab Abbate ad locum, ubi panes, pauci ſanè pro tanta multitudinè ſupererant, ſingulis ſingulos panes dandos affirmavit; neque tamen defuturos ex ijſdem, quos etiam alijs ſupervenientibus elargiretur. Jncredibile viſum Principi, quod vix ducenti panes eſſent, & ferè innumerabiles homines conveniſſent. Experti tamen Dux, & quos adduxerat famuli, miraculum ſuiſmet ipſi oculis ſpectare meruerunt, nec pane ſolum, ſed & alio, qui in eoſdem erogabatur cibo, prodigioſiſſimè multiplicato, uno prodigio omnium fami atque egeſtati, liberaliſſimè fuiſſe ſubventum. *Ex Vita ejuſdem &c. & Menol. noſtro.*

Ejus prodigioſa liberalitas.

Meſſis prodigioſa.

Confidentia in Deum Dn. Abbatis.

Cibi prodigioſe multiplicati.

Jn Germania inferiori, quanto magis ubivis Hæretici ſuarum abominationum ſatagunt, tanto Lætienſis & Burſfeldenſis Congregatio & Reformatio, & ſervandis & revocandis qui exerrabant, intendunt, & doctiſſimos quaquaverſum Prædicatores dimittunt, ante omnia autem ut ſuos pro exemplo & incitamento omniũ ad ſummam vitæ perfectionem promoverent, allaborant; ipſi Prælati exemplaria diſcipulorum exactiſſima facti, è quibus hoc anno deceſſit Joannes Van der Waede, Abbas S. Andreæ prope Brugas, vir magnæ diſcretionis, & cujus nomen vivat immortaliter in dulcedinis benedictione.

Joan. Abbas S. Andreæ Brugenſis.

Floret hoc ipſo anno, haud mini-

mi

Maurus Pandolphinus.

mi inter litteratos nominis Frater Maurus Pandolphinus Monachus Sanctæ MARIÆ, de Florentia Congregationis Casinensis, cujus laudatur eleganti sermone scripta: *Harmonia quatuor Sensuum sacræ Scripturæ, libris quatuor. Ex Arn.do*

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LX. Sancti Patris Benedicti. M.LXXX.

COpiâ virorum ex Ordine Jllustrium, & de Republica Christiana meritissimorum, felicissimus hic annus, quorum paucissimos commemorabimus. Eminet præ aliis Joannes Doceus Laudunensis in Gallia & Picardiæ atque Campaniæ finibus, Episcopus, vir Religiosissimus & doctissimus, ex Monacho & Majore Priore, S. Dionysij Parisiensis Archisterij, ad Episcopalem dignitatem pro meritis evectus. Fuit sacrosanctæ Theologiæ Doctor & Prædicator Verbi DEI celeberrimus, scripsitque inter alia:

Joannes Doceus Laudunensis Episcopus.

Sermonum sive Orationum ad populum Librum I.

De Passione Christi Domini. Librum I.

De æterna Generatione Filij DEI, & temporali Natvitate ejusdem filij hominis. Libros duos.

Jacet sepultus in Choro Cathedralis Ecclesiæ, juxta Antecessorem & Mecœnatem suum Ludovicum Borbonium, cui duos proximè memoratos libros dicaverat.

Simon de Maille Turon. Archiepiscopus.

Pari gloria exsplendescit Simon de Maille ex Monacho & Abbate de Loroux Archiepiscopus Turonensis, cujus inter eximia merita referendum, Concilium Provinciale ab eodem summa cum utilitate & gloria anno Christi 1583. celebratum. Jdem vir doctissimus inter alias dignissimas ingenio & Professione lucubrationes vertit è Græco in Latinum sermonem, Homilias viginti quatuor Sancti Basilij Magni, & multa alia præclarè gessit. Ei dicavit Opuscula Marci Eremitæ, Joannes Picus Classium Jnquisitoriarum Præses, & Historiam Sancti Gregorij Turonensis Guilelmus Morellius.

Bernardus Aragonius Archiepiscopus Cæsar-Augustanus.

Floret etiam Bernardus de Aragonia Ferdinandi Regis nepos Monachus sacræ Congregationis nostræ Cisterciensis, extractus è Cænobio ad Cathedram Archiepiscopalem Cæsar-Augustanam, de quo consulendus Gonsaluus Jllescas. Sed præ omnibus excellit, non solum litterarum scientia, sed eximia Vitæ sanctitate, Beatæ memoriæ Chrysostomus de Sancto Gemiliano, Calaber, Monachus sacri montis Casini, creatus sub hunc fere annum Archiepiscopus Ragusinus, & egregius Ordinis nostri Reformator in Jnsula Melitensi. Ut videas rursum diversis locis Ordinem novo fervore non solum accensum, sed in suis Benedictum verè Redivivum, & similia primævæ ætati exempla perfectionis Ordini nunquam defuisse. *Videatur Placidus Romanus à Wione citatus.*

Jn Hispanijs incredibilis virorum Jllustrium numerus, inter quos Principe fama celebrati Frater Michael Fornerius olim Abbas Mont-Serratensis longè meritissimus, Vir planè cœlestis & Angelicus, atque ab Hispanijs mortali etiamnum in corpore degens, pro sancto habitus, glorioſissimo contemptu Episcopatus Vicensis, sibi à Carolo V. Augusto oblati merito celebrandus. Obij hoc anno 26. Januarij. Proximus Michaeli, haud impari à Vitæ integritate gloria, Didacus de Lerma ejusdem in Abbatia successor dignissimus, postea Abbas Vallisoletanus, & totius Congregationis Hispanicæ Generalis, vir ob egregias Virtutes summè æstimatus. Nec minor fama Bartholomæi Garrigæ, hoc ipso anno Montserratensium Abbatis, viri doctissimi, qui celeberrimum illud templum Montserratense, ingenti sumptu honori DEIparentis exædificavit, sicut puerulus olim ipse prædixerat. *Vid. Anton. de Jepes & Montserrat. monimenta.*

V. Michael Fornerius Abbas Montserr.

Didacus de Lerma Generalis. Ord.

Extinguitur hoc anno Magnum illud Hispaniarum sydus, de quo supra, Cyprianus de la Huerga Nucalensis Monachus sacrorum Bibliorum interpres in Universitate Complutensi inter egregios labores, ibidem tumulatus & sequenti Epitaphio honoratus:

Cyprianus Nucalensis moritur.

CYPRIANUS

HISPANIÆ MUSA ET PHOENIX
Maximus ille brevi Cyprianus conditur urna
Jlle humili excelsus, clauditur hospes humo.
Iudicium, labor, ars, facunda peritia rerum
Unà adiêre virum, quocum obiêre simul.
OBIIT ANNO. M. D. LX.

Epitaphium.

E mul-

E multis, quæ posteritati reliquit monimentis sequentia memorantur.

Ejus ingenij monimenta.

Commentaria in Cantica Canticorum Liber [*in folio Compluti editus.*
Commentaria in Iob Lib. in folio ibidē editus.
De opificio Mundi Libri tres.
Commentaria in Jsaiam Prophetam Lib. 4.
Commentaria in Trenos Hieremiæ Prophetæ.
Commentaria in Evangelium Joannis Apostoli. Liber I.
Commentaria in Evangelium Mathæi Lib. I.
In Epistolam Pauli Apostoli ad Hebræos Lib. I.
In Epistolam ejusdem ad Ephesios. Liber I.
In Nahum Prophetam. Liber I.
In Psalmum De profundis clamavi ad Te Domine Liber I.
In Apocalypsin Joannis Apostoli & Evangelistæ. Liber I.

Joan. Feckenami certamen.

Joannis Feckenami West-Monasterij Abbatis perpetuum meritum, quod utinam pro dignitate satis explicare possemus. Js hoc anno Elisabethæ pessimæ Jezabelis jussu, cui sæpius ipse benefecerat, carceri denuo Londinensi intrusus, quod sceleſtissima Hæreticorum dogmata convellere atque confundere non desisteret, egregiam constantiam Virtutemque indignissime luere cogitur. Quippe Mariâ Reginâ per immaturam Catholicis mortem, ad immortalitatem evocatâ, Feckenamus in Comitijs Regni, Pro Abbatiali dignitate locum possidens & suffragium, constanti gravique oratione, mutationem, aut innovationem Religionis, quantum in ipso fuit, fortiter disuasit. Accersivit eum ad Colloquium suum Elisabetha Princeps, non longè ante quam foret coronâ Regni insignienda. Nuncius qui primùm eo missus fuerat, invenisse eum dicitur occupatum in plantandis ulmis, quæ nunc adhuc in Collegij Westmonasterienſis horto crescunt: nec ullo modo voluit nuncium sequi, antequam cœptum opus plantationis finijsset: forte tunc intentus orationi sive meditationi; ut quemadmodum ipse eas arbores collocasset, ita Deus replantatam nuper Religionem conservaret, aut Monachos, quos providebat ab hâc Regina ejiciendos, Deus suo tempore iterum reduceret. Quid tunc cum Regina colloquij habuerit, incertum: Credibile autem, Verba Reineri sunt, Reginam egisse instantius, ut aliquo usque Feckenamus, & Monachi se Reginæ Votis conformarent, atque ita in Monachatu ac possessione Abbatiæ perseverarent. Nam & illud vehementer optasse Reginam narrat Sanderus, nimirum ut in illa Religionis suæ innovatione, novum genus Monachorum [restitutos Westmonasterienses puta] sibi consentientes haberet, sed frustra optavit, quia Vir Sanctus, in Deo firmiter stabilitus, nullis blanditijs aut terroribus, ab Ecclesiæ communi fide potuit dimoveri, quamvis etiam ei Archiepiscopatum Cantuariæ ea conditione Regina obtulerit. Convocato primo Parlamento sub Elisabetha & disputatione institutâ de articulis Fidei, inter cæteros Episcopos & novos prædicatores, etiam Feckenamus magno Zelo obtulit se, ut inter primos pro fide disputaret, sed admissus non fuit, Reginâ nolente ipsum in numerum collatorum venire. Ut facilè inde pateat, quantum ab uno sibi Monacho, totius Regni Hæretici metuerent.

Ad Colloquium Reginæ impia vocatur.

Nullis promissis movetur.

Hoc ipso etiam anno, cum amplissima Gerwici nostri Abbatis Weingarttensis merita Orbi & Jmperio Romano plus quam conspicua, ipsum etiam Orbis & Urbis Pontificem Maxumum minimè fugerent: constaretque insuper, quantum ingenio, Fide ac Fidei Zelo, cùm apud Cæsarem, tum apud Principes Jmperij unus ille Vir suâ auctoritate posset, datis ad ipsum litteris, Nuncio item suo in Germanias destinato, ut de tollendis Fidei controversijs, & schismatibus cum Gerwico conferret, imperavit, ejusque quod jusserat Gerwicum admonuit. Litteras subijcimus.

Jterum benemeretur Abbas Gerwicus.

PIUS PAPA II.

Pij Pont. Max. ad Gerwicum Abbatem littera.

Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum ad tollendas de Religione controversias, & sedanda schismata, aliaque quæ correctione indigent emendanda, nuper indixerimus Concilium Oecumenicum & Generale, DEO annuente, in Civitate Tridentina celebrandum, sicut cognosces ex Bullæ nostræ exemplo, misimus hujus rei causâ in Germaniam, Venerabilem Fratrem Zachariam Episcopum Pharensem Nuncium nostrum, datis ei nonnullis, ad Tuam quoq; Devotionē mandatis.

Petimus igitur, ut ejus orationi, seu litteris, si te commode alloqui non potuerit.

rit, fidem habeas. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die I. Decembris M. D. LX. Pontificatus nostri anno primo.

Antonius Florebellus Javellinus.

DILECTO FILIO GERWICO ABBATI WEINGARTTENSI.

Fidelem Ecclesiæ navat operam.

Constat autem ex diversis Principum & Pontificum scriptis ad eumdem etiam deinceps litteris, quam fidelem tanto in negotio tum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tùm sui amantissimo Cæsari operam navaverit, non sine gravi & vitæ periculo, & Cœnobij sui dispendio, difficillimis negotijs & Legationibus dexterrimè perfunctus, ut hic tantus Vir, merito ad omnem posteritatem dignis laudibus deprædicetur. *Ex Archivo & monim. Weingartt.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXI. Sancti Patris Benedicti. M. LXXXI.

V. Angelus de Faggis Mon. & Abb. Casin.

IN Italia R. P. Angelus de Faggis Monachus & Abbas sacri Montis Casini egregiæ sanctitatis & doctrinæ eximiæ celebri fama Ordinem mirè ornat. Js poëtica facultate usque adeo excelluit, ut quidquid libuisset, facilè & ubertim extemporaneo pene carmine funderet & annunciaret. Teruntur manibus ejus versus Coloniæ Agrippinæ impressi, in quibus prædivitem illam venam, & pangendi carminis, admirabiles à natura impetus, apertissimè cognoscas. Plura etiam ad sacras Meditationes argumenta, Latino idiomate evulgavit; quæ Religiosam ejus mentem, & cœlesti flamma accensos animi affectus, facilè ostenderint. Mirum, quâ rerum gerundarum solertiâ, atque dexteritate fuerit, tam providè ac feliciter cuncta ab eo administrata, Monasterij Jura ac Jurisdictiones asserta & conservata, plurima ab eodem structa & restaurata sunt. Trina administratione Casinum rexit utilissimè & sanctissimè annis undecim. Alia item primæ notæ Monasteria, ex consuetudine mutandorum Prælatorum Casinate, plures annos: imo Congregationem universam Præsidis Generalis honore atque officio temperavit; eodem semper prudentiæ & sanctitatis tenore & fama [unde facile etiam subjectorum profectùm metiaris] cumque Angelum adæquè moribus, ac nomine se præberet, summam omnium Venerationem simul ac benevolentiam adeptus, vulgo Priscæ Virtutis & sanctimoniæ specimen, & germanus Casinatis Sodalitij alumnus prædicabatur. Quin imo vigere etiamnum Angeli nomen recenti memoria perinde ac novissimè demortui, Scipio noster amicissimus asseverat, essèque præcipuo cultu apud omnes, & in honore; tùm propter vitæ totius periodum religiosissimè traductam, & egregia promerita; tùm quia non desint, qui referant ejus cadaver, anno octavo, postquam terræ mandatum fuerat, integrum illæsumque se vidisse in sepulchro. Sed de reliquis ejusdem *legendus idem Marcus Antonius Scipio in Elogijs Abbatum Casinensium.*

Verè Angelus re ut nomine.

Sed ne Italiæ cedere Hispania videatur, producendus è multis saltem unus est, pari sanctitatis opinione, inter perfectioris vitæ & famæ Monachos, absque ulla ullius contradictione sanctissimus & perfectissimus.

V. Franciscus Levorotus Mon. Montserr.

Js venerandæ memoriæ Franciscus Levorotus fuit. Js prodigiosè omnino, singulari Numinis & Divinæ Matris gratiâ, per vocem cœlo delapsam, & distinctè per aëra exauditam, ad Montem Serratum, proprium Deiparæ in terris Domicilium vocatus, ibidem raræ omnino sanctitatis fundamenta posuit, deque virtute in virtutem mirificè profecit, inter splendidiora Hispaniarum, & obscurissimi sæculi hujus sydera merito celebrandus. Fuit mirâ compunctionis gratiâ præditus, cumque alias singulari vitæ innocentia sese omnibus probaret, summa tamen animi demissione sibi per omnia displicens, jugi pœnitentiæ rigore carnem edomans eamdem perfectissimè spiritui subjecit, omni posteritati pro exemplo proprij contemptus & salutaris odij proponendus. Semel ad sèrùm in die & frugaliter vescebatur; à fine Matutinorum media nocte, usque mane (postquam totum diem Confessionibus peregrinorum excipiendis summa cum patientia dederat) coram Crucifixi imagine orabat; servus incomparabilis Cœlorum Augustæ, & æternum Montis illius totiusque Ordinis ornamentum.

Rigor vitæ sancti viri.

Ejusdem insignia merita.

Felix Obitus.

tum. Obijt octogenarius, ipsâ nocte Nativitatis Dominicæ, cœlis renatus, & illatus. *De quo consulendus Antonius de Jepes noster, & Monimenta Montserrat.*

IESU CHRISTI ANNUS S. M. D. LXII. Sancti Patris Benedicti M.LXXXII.

Gallorum ab Hæreticis infestatio.

NUnc etiam Gallia, non minus quàm Anglia & Germania patitur ab Hæreticis, eadem plane & sæpius crudeliora, quàm Roma à Tyrannis Ethnicis, Hugonottis & Calvinistis inexplicabilem cladem nostri præcipuè Ordinis Cœnobijs inferentibus, nostris nihilominùs in asserendâ constanter contra eosdem Veritate persistentibus, & tantam rerum suarum & Fundationum antiquissimarum dissipationem æquissimo animo ferentibus. Exempla insuperabilis patientiæ fuere admiranda; nec dissimilia, destinata & concessa in cœlis præmia, cum alij extorres atque exules in fame, siti & nuditate vitam exigerent, multi per tormenta & crudelissimam mortem, crudelitati Calvinistarum satisfacerent, & quod Catholici, & quod Monachi dupliciter luerent. Exules inter præstantiores dignitate & meritis, exagitatus hoc ipso anno indignissimis modis est Jacobus le Roy noster ex Monacho & Abbate Archiepiscopus & Primas Bituricensis, Urbe ipsâ captâ ab Hæreticis, templisque ac Monasterijs omnibus in ipsâ quoque Metropoli, nedum extra, spoliatis & pollutis, cum nihil tam sacrum & sanctum esset, quod tunc non fœdis & impuris unguibus, istarum Harpiarum, & dementium, seu potius furentium de genere Gerionaceo, rapacidarum violarentur & contaminarentur; Jacobo nostro omnibus omnium calamitatibus infinitis modis angustiato atque afflicto, ut suam ille rerum jacturam vix persentisceret. *Ex rerum Gall. & Bitur. Script.*

Jacobus le Roy Archiepiscopus Bituricensis.

Hæreticorum rapacitas.

Jpso anno, immortali Ordinis gloria, postremis etiam hisce temporibus, primam nostrorum Benedictini Ordinis Ascetarum fortunam repræsentat, Gerardus Americurius, Monachus & Abbas celeberrimi Monasterij S. Bertini in inferiori Germania, Vir ab singulari in Rempublicam beneficentiâ laudatissimus; Primus Audomarensium creatus Episcopus. Adeo is honor, perpetuò ab Optumo Numine Ordini nostro reservatus, ut plerique Orbis Christiani Episcopatus, & superioribus statim post Magni Patriarchæ nostri Benedicti tempora sæculis, & posterioribus etiam deinceps, de novo conditi, vel à nostris primùm initiarentur, vel etiam in gratiam eorumdem conderentur, certè nostris commendati, restituerentur, augerentur, onarentur. *Ex Annal. nostr. Benedict. Germania Sacra & Prophana, Aquila Jmp. Benedict. Menolog. nost.*

Gerardus Americurius Abbas S. Bertini.

Jterum in Hispanijs clarissimum Ordinis nostri lumen extinguitur, Beatæ memoriæ F. Petrus Alphonsus de Burgos, Vir in sæculo spectatissimus, insigni apud Carolum V. Augustum auctoritate & gratia, qui summa omnium cum admiratione, florentissimis fortunæ & rebus valedicens, & ab Amicis atque Cognatis se abripiens, ad Montem Serratum profectus, ibique Monachum, humilémque DEI ac DEIparæ servum professus, tantopere paulo post in omnium oculis profecit tantisque virtutibus & vitæ perfectione enituit, ut ad strictiorem Anachoretarum nostrorum ejusdem sacri Montis incolarum aspirans vitam, juxta Magni Legumlatoris nostri Benedicti monita, tanquam Monasterij probatione diuturnâ bene doctus pugnare contra Diabolum, vitia carnis & cogitationum, admissus sit; ubi paulo post dignissima eximiæ sanctitatis fama enituit; quotidianamque sese Numini Victimam in summo Vitæ rigore obtulit. Contemplationis autem sublimissimo Studio addictissimus, utilitati posterorum non pauca reliquit, Spiritu, quo ipse plenus erat refertissima, quæ inter Jepesius noster sequentia recenset.

Petrus Alphonsus de Burgos Mon.

De Jmmortalitate. . . . . Librum I.
De Beneficijs DEI. . . . . Librum I.
De Sacrosancto Altaris Sacramento. Librum I.
De Vita solitaria. . . . . Librum I.
De Laudibus Cœli Reginæ Matris Virg. Librum I.
De Præparatione ad mortem. Librum I.

Librorum monimenta.

Videatur Antonius de Jepes Tomo quarto, Centuriâ quintâ folio 145. & sequ.

IESU CHRISTI ANNUS S.M.D.LXIII. Sancti Patris Benedicti M.LXXXIII.

IN Germania Superiori, summam apud omnes auctoritatem & de singulari sua eruditione, spectatissimaque Vitæ integritate opinionem obtinuit hoc tempore, celebratissimus per Germaniam Joachimus Abbas, & Sacri Romani Jmperij Princeps Einsidlensis. *Joachimus Abbas Einsidl.* Eum Conventu Rapersuillensi dignum præ omnibus Cantones Catholici, & Ordo potissimùm Ecclesiasticus, censuêre, quem suo nomine ad sacrum Concilium Tridentinũ Legatum mitterent, in qua quidem functione ita se gessit, ut magnam sui admirationem & Venerationem apud omnes Concilij Patres mereretur; strenuamque rei Catholicæ navaret operam, hoc ipso Titulo immortaliter ad omnem posteritatem commendandus. Nec segnior in Romana demerenda Ecclesia & fide Gerwicus noster Abbas Weingart- *Gerwicus Abbas iterum laudatus.* tensis, incredibile dictu est, quantos labores quanta generositate susceperit, per absentiam Cardinalis Otthonis Episcopi Augustani, rogatus omnia ejus curare, quin & Cæsari in gravissimis negotijs adesse, cum ipse quacunque veniret, de Religione maximè sollicitus, quæ DEI & Romanæ Ecclesiæ sunt curaret, & procuraret, Hæreticis ut murum æneum se opponeret, Catholicis, & Clero inprimis consuleret, nec verbo solum sed scriptis etiam contra Hæreses ageret, depravatosque ab errore potenter revocare conaretur. *Ex Archivo & monim. Weingarti.*

Jn Germania inferiori, prærer Ludovici Blosij ejusque & Bursfeldensis Reformationis exempla viva, multosque insigni vitæ perfectione Prælatos & Religiosos Congregationum illarum lapides angulares, celebratur hoc ipso anno electus in Abbatem celeberrimi illius Atrebatensis Archisterij S. Vedasti, Venerabilis Vir. Rogerius *Rogerius Montmorentius Abb. S. Vedasti.* Montmorentius, vir ut genere, sic virtutibus, utrobique Jllustrissimus, eruditione etiam præstans & fervore Religionis; Professus Ordinem est provecta jam ætate, & cùm abjectus esse in Domo DEI eligeret, triennio post, Hieronymo incomparabilis Virtutis viro succedere in Abbatia est coactus. Quem honorem, quam minimè affectasset, ex eo facilè conjectari est, cum inter cætera ejus id observaretur, quòd præter virorum tantæ, quantæ ipse erat, Nobilitatis, morem, invitus admodum Procerum Conventibus interesset, animo semper anhelans ad quandam solitudinem ubi grato otio DEO servire liceret. *Ita Ferreolus Locrius &c.* Fuit in Mathematicis studijs versatissimus, Præsul animo candidissimo, totusque liberalis.

Hoc ipso Anno, cœlis iterum destinatur ad triumphos æternos, Benedictinæ Regulæ cultor & promotor singularis, præstantissimæ sanctitatis exemplar Beatus Justinianus Bergomensis, Vir litteris & vitæ meritis clarissimus. *B. Justinianus Bergomensis.* Hic Nobilis Bergomas, litteris à puero deditissimus, in Philosophicis æquè ac Theologicis, doctissimus evasit. Monachum in celeberrimo sanctissimoque Divinæ Justinæ, amplissimæ Congregationis Archisterio professus, vigesimo secundo ætatis anno, perfectioris vitæ studio Camaldulum se contulit, inde autem strictiori denuo Montis Coronæ Reformationi, ulteriora semper inquirens, nomen dedit. Contemplationi & ora- *Rigor vitæ.* tioni addictissimus fuit, sed Chori inprimis, & communis orationis diligens, ibi rectus, nullo modo acclinis, tanquam inter Angelos Regum Regi inserviens, complicatis stans manibus, plena voce, summa cum hilaritate ac dignitate laudes Creatori reddere medullitus gestijt, affirmans aliquando, dum alium ad hoc ipsum persuaderet atque induceret - *se ne verbum quidem, nedum versum per inadvertentiam amittere.* Ejus insigne illud reverentiæ erga DEUM argumentum fuit, quod vitæ ejusdem scriptor, his verbis refert: *Quoties,* inquit, *Major aut Prior eligebatur (quorum altero, licet invitus, ferè nunquam carebat) strictè ostiario præcipere solitus est, nedum in Choro Laudes Altissimo redderet, sibi aliquid, cujusvis momenti foret, nunciaret. Neque interventu alicujus magnæ personæ, licet Cardinalis esset, se interpellare præsumeret &c.* [Ex quo reverentiam orationis, & præsentissimi Numinis attentissimam observantiam tanti viri observes, atque imiteris] Fuit solitudinis amantissimus, studiosissimus: Contemplationi autem tantopere addictus, ut frequenter sine omni cibo diem, noctem sine somno *Attentio in oratione.*

tran-

transigeret. Unde & frequens illi in ore: *Cibi somnive memoriam in mente bene in DEUM elevatâ, tardius occurrere.* Felicissima ejusdem mors. Obijt Vir meritissimus, ipso solemni festo S. Laurentij Archi-Martyris, cùm paulo ante à Patribus, ad mortem fortiter susciipiendam admonitus: *Ego*, respondisset, *Patres mei, licet non meis meritis, fide non dubiâ, spequè firmissimâ, atque misericordiâ fretus Altissimi; mortem quasi Virgo sponsum exspecto.* Scripsit, ut erat doctissimus ad utilitatem posterorum non pauca; quæ incendio, etiam posteris deplorando, in favillas majorem partem abiere; *quam*, ait Lucas Ruhensis, *incendij jacturam, qui norint, sine lachrymis recordari, aut referre nequeunt, magnum scilicet lucubrationes illas Ecclesiæ DEI lumen allaturas fuisse, & Hæresum modernarum tenebras detecturas affirmantes.* Ex Hist. Camald. Montis Virg. Luca Ruhensi &c.

IESU CHRISTI ANNUS S. M. D. LXIV. Sancti Patris Benedicti. M. LXXXIV.

IN Galliarum Regnis, inter altissimas & teterrimas tribulationum nebulas, virilis maximè se animus ostentat, Amazonum nostrarum Benedictinarum in diversissimis toto Regno provincijs & Monasterijs, dum quantò magis, in evertenda Religione Catholica omnem lapidem movent Calviniani, tantò efferveseunt magis in Christi consectandis vestigijs & rigore Monastico propagando, fragillimi sexus, sed maximi animi Heroinæ nostræ, insuperabiles ab omnium calamitatum iugruentium & obruentium mole, quanto magis necessarijs subinde omnibus destitutæ, tanto magis, ad rigorem dispositæ, ita ut etiam in omni inopia gratulabundæ, majores ad Virtutem experirentur stimulos, & in carnis fame & siti, frigore & nuditate, abundare doctæ, mira solatia Spiritus persentiscerent, imo mori pro Christo & Religione exambirent. Amazones Benedictinæ. Memorabile, sub hoc ipsum tempus, exemplum sereniissimæ Renatæ nostræ, Lotharingiæ Principis Abbatissæ S. Petri Remensis: Cùm enim, per tantam temporum calamitatem, & fames insimul ingruerent & pestis, Virago hæc Princeps, egenis & omni penitus ope destitutis altera non solum Thabita extitit, & proprijs multoties manibus, necessaria abunde ministravit, sed cum pro necessitatibus Monasterij procul abesse cogeretur, & peste quoque infectum suum Monasterium intelligeret, illico relictis omnibus alijs negotijs, de suis sollicita, nequid ejsdem deesset, & vel maximè ut ipsa per semetipsam charissimis filiabus, contempto omni periculo, inserviret, & animo præparato morti occurrere hortaretur, sanctisque monitis & documentis easdem & instrueret & solaretur, ad Monasterium contendit, quidquid sereniissima ejusdem Mater alijque Cognati & Amici obtenderent, & deprecarentur optans cum suis & pro suis vitam profundere, quam ejus Generositatem & in suas pietatem nulla satis, in tanti maximè generis Principe, posteritas deprædicaverit, & fuerit admiratura. *Ex monim. S. Petri, Amando Tribout, &c.* Renata Ducissa Lothar. Abb. S. Petri.

In Hispanijs floret celeberrimus ille Historicus noster Frater Gonsalvus de Jllescas, Monachus & Abbas in S. Fromes, Author Historiæ Pontificiæ & Catholicæ, quæ sæpiùs jam excusa, æternâ Gonsalvi gloriâ circumfertur & legitur. *Ex Jepesio & rer. Hisp. Script.* Gonsalvus de Jllescas.

Nec minore nominis fama celebratur hoc ipso tempore Frater Hieronymus Lauretus Catalanus, Montis Serrati Monachus, Vir Religiosissimus & ingeniosissimus, inter Scriptores sui sæculi Princeps, ob admirabilem scribendi methodum & Ordinem referendus, qui de futuris sæculis præcipuè meruit duobus lectissimis & maximi momenti voluminibus: *Silvæ Allegoriarum.* Vid. *Idem Jepesius.* Hieronymus Lauretus.

Extinguitur hoc ipso anno Ludovicus de Bœsey insigne sacræ Familiæ nostræ Cistercienis lumen & columen, ex Abbate Maceriatum ob insignia animi corporisque talenta Generalatûs honore sublimatus, multo nomine meritissimus & vel maximè libertate Ehclesiastica strenuè vindicata cùm contra Commendarum pestilentissimam sacris Ordinibus luem, strenuè ageret, & insigne demum contra easdem Privilegium à Pio IV. impetraret, quod postea Gregorius XIII. confirmavit. Jnterfuit, magna cum authoritate Concilio Tridentino, eoque absoluto, cùm in itinere versare- Ludovicus de Bœsey Generalis.

tur, morte præoccupatus, magnum suis sui desiderium reliquit. Moritur eodem anno Jllustrissimus ille Carolus noster de Croy, Principis & Ducis Arschottani frater, Tornacensis in inferiori Germania Episcopus, cum majorem partem, jam Pontifex apud suos S. Ghisleni Monachos, apud quos & defunctus & sepultus est, exegisset.

IESU CHRISTI ANNU S. M.D. LXV. Sancti Patris Benedicti. M.LXXXV.

REdivivus revera Benedictus in suomet Casini Montis Archistorio, per omnia spectabilem se exhibet in sanctæ memoriæ Angelo Sagrino suo de Faggijs à morte Jgnatij Vicani cognomento Meleatij Neapolitani, loco sanctissimo prælati, subrogato, qui Casinates omnes sui similes esse voluit, etsi videri nullus vellet. Certè omnis Angeli vita verè Angelica fuit, ita ut nihil non ejus, merito omnes in admirationem raperet, nihil non traheret ad tanti Abbatis imitationem. Jn templo devotionis miraculum fuit, in Refectorio exemplar sobrietatis, in colloquijs alter Martinus, in cujus lingua nil nisi Christus, nisi pax, nisi misericordia inerat; in cella alter Benedictus, totus Divinis rebus & earum contemplatione absorptus; quibus ut ex parte saltem etiam discipuli fruerentur, multa & pene innumera post se reliquit pietatis & devotionis monimenta. E quibus nonnulla solummodo memoramus & subijcimus:

Angelus Sagrinus Abbas fit Casini.

De ineffabili JESU nomine Carmen Heroicum

Jn septem JESU Christi Verba novissima, Meditationes septem, eodem carmine.

Angeli Sagrini Ingenij illustria monimenta.

De misericordia, amore, & bonitate DEI erga peccatorem.

De Spe peccatoris in DEUM.

Speculum peccatoris.

Paræneses sex in Hebdomade sancta.

De contemptu divitiarum & vanitate humanæ vitæ.

De JESU pietate & amore in peccatorem Elegias 12.

Triumphus Amoris Divini.

De Nativitate Domini omnibusque ejusdem Festivitatibus.

Epicedium in mortem Domini.

De JESU beneficijs in hominem.

De Laudibus Beatæ Mariæ Virginis. Lib. I.

Hymnorum diverso metro de Sanctis diversis. . . . . Lib. 2.

De Passione Domini Elegiæ. 12.

Vita Sanctissimi Patris Benedicti carmine Heroico. . . . . Lib. I.

Jn Psalterium Paraphrasis diverso carminis genere. . . . . Lib. I.

Aureæ Divinæque sententiæ ex Psalmis David, ... Lib. I.

Vita SS. Benedicti, Mauri, Placidi & Joan. Bapt. carmine Heroico.

Vita alia S. P. Benedicti carmine Saphico, & soluta oratione moralem expositionem continens.

Psalterium gloriosæ Virginis MARIÆ. Carmine Saphico.

Vita Sancti Wilhelmi Anachoritæ versu Saphico.

De Martyrio veri Monachi.

Tractatus quadraginta Horarum Liber impressus Florentiæ & Tridenti.

Sermonum & Homiliarum soluta oratione. . . . . Liber I.

Multaque alia reliquit manuscripta, Divinæ gratiæ influxum mirè redolentia. Jn Anglia, incredibile dictu est, quantâ hoc ipso anno constantiâ Joannes Feckenamus noster, etiam in extremis rerum angustijs, carcere, ac vinculis Fidem Catholicam propugnaverit, perfidiamque Hæreticorum confuderit, & afflixerit. Admirandus sane magnanimitate Heros, nihil Reginam, Regnumque universum ac Parlamentum reveritus, cum audisset juramentum Suprematus Regij fuisse edicto Parlamenti propositum, in ipsis ille vinculis liber, argumentis gravissimis demonstravit juramentum prorsus illicitum, adeoque invalidum esse & fuisse. Aliquamdiu in ædibus Horni Pseudo-Episcopi detentus, sed inciviliter & perfidè habitus, in turrim denuo Londinensem retrusus est. Deinde in castro Wisbicensi inclusus ad finem usque vitæ ibidem detentus fuit; quo toto tempore, ait Pitsius, à Catholicis Dogmatibus propugnandis, & ab alijs charitatis operibus exercendis, quo ad fieri potuit, nunquam cessavit. Unde colligas, quæ primum solutus præstitisset, qui tanta alacritate & generositate, vinctus, pro Ecclesiæ libertate laboravit, alter revera sui sæculi Athanasius jure meritò celebrandus. *Videatur Stapletonus, Sanderus, Pitsius, Reinerus, &c.*

V. Ioan. Feckenamus in vinculis generosus.

Alter sui sæculi Athanasius.

IESU

IESU CHRISTI ANNUS S. M. D. LXVI.
Sancti Patris Benedicti. M. LXXXVI.

Moritur Ven. Lud. Blosius.

MOrte Venerabilis & sanctæ memoriæ Ludovici Blosij nostri, Lætiensis Abbatis tristissimus terris & Germaniæ nostræ annus, cujus viri æterna & immortalia merita apud piorum animos æternum usque hodie ac deinceps operantur, fructificant & fructificabunt. Scripta ejus Divini Spiritus dictata esse, ut doctissimi & Religiosissimi quivis sentiunt, sic omnes omnino summè venerantur, & religiosissimè conservant; tantoperè à veris non solum religiosis, sed veris Catholicis expetita, ut mirum non sit usque hodie toties typo vulgata, cum plurimi sint, qui, exemplo tanti Cæsaris sinu quoque suo perpetuò dignentur, maximoque cum gustu eadem volvant semper & revolvant, toties repetita semper sapidiora & utiliora. Sunt autem alia inter, quæ videre necdum meruimus, quæque ille magno revera solatio Ecclesiæ universæ, & vel maximè Religiosorum omnium, & sui maximè Ordinis, reliquit:

Blosij operum Catalogus.

Libri quatuor Psychagogiæ.
Appendix ex Ruperto.
Collyrium Hæreticorum cum Appendice Liber I.
Expostulatio Christi *Epit. Vitæ Christi.*
Explicatio Passionis Dominicæ,
Farrago utilissimarum Institutionum,
Facula pro illuminandis Hæreticis.
Apologia pro Joanne Taulero.
Institutio Spiritualis,
Consolatio Pusillanimium.
Tabella Spiritualis.
Enchiridion parvulorum.
Monile Spirituale.
Salutaris Doctrina.
Scrimiolum Spirituale.
Cimeliarchion piarum precularum.
Igniariolum Divini Amoris.
Exercitia quotidiana.
Dicta Patrum.
Canon Vitæ Spiritualis,
Speculum Spirituale.
Corona Spiritualis.
Speculum Monachorum.
Medulla Psalmodiæ. & plurima alia.

Philippi II. Regis Hisp. erga Blosium affectio

De Carolo V. superius diximus, quanti ipse libellos hos fecerit. Parentis optimi insistens Philippus II. non ipse solus, Rex tantus, tanti quoque eosdem fecit: sed morti jam vicinus, filiæ charissimæ Isabellæ Claræ Eugeniæ Belgarum postea Principi familiares hosce libellos sibi auscultanti, quotidie legendos præcepit. Blosij virtus, summos in Ecclesia honores meruisset, nisi ipse constanter eos abnuisset, respuisset, & contempsisset. Cameracensem Archiepiscopatum & Ducatum ab amantissimo sui Jmperatore Carolo V. oblatum, multo majore laude repudiavit, quàm quisquam & unquam admiserit, sive administrarit. Obijt septimo Jduum Januarij, sepultus cum hoc digno, siquid dignum esse possit tanti Antistitis, Epitaphio:

Epitaphium ejusdem.

Qui tres exactè linguas callebat ab ipsa
Ephœbia, Virtutum & omniũ Narthecium
Blosius, heu! cecidit, bustoque reconditur isto.
Nostri decus, miraculumque sæculi.
Qui legis hæc, vitâ functo bona cuncta precare
Et te para ad summi tribunal Judicis.

Jacobi Froij in Blosium lusio.

De eodem in fronte librorum ejusdem Jacobus Froius, ipsiusmet Blosij loquens nomine.

Et post funera nunc, amice Lector
Ex libris tibi vivo, spiro doctis
Fama atque ingenio mihi superstes;
Cui gens Blosia stemmatôn honores
Antiquos tribuit, dedique nomen.
Qui Genti magè Blosiæ æviternam
Et famam peperi & decus superbum.
Froius reliquias sacras librorum,
Quas olim ingenio vigente cudi,
Collectas simul exhibet fruendas
Froius præcipuum decus Monastôn.

Hortense Monasterium vere Horti Domini.

Jpso anno sancti illius Hortensis in Hispania Cœnobij Horto sacro præficitur sanctæ memoriæ Abbas Marcus dictus de Barrio, qui ob insignia deinceps merita Universæ sacræ familiæ nostræ Cistertiensis creatus est Generalis, cujus tamen annum & diem obitus indagare nequivimus. Fuit Vir non solum mirâ vitæ integritate præditus, verum etiam sanctitatis opinione clarissimus, cujus corpus, in oppido Mogaz ubi sepultum fuit, magna ab incolis in Veneratione habetur, & creditur indultum ejus meritis, quod ejus loci pagi, & fruges ex tunc usque hodie à grandine, atque omni tempestate immunes extiterint.

V. Marcus de Barrio Abbas.

IESU

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXVII.
Sancti Patris Benedicti. M.LXXXVII.

Quinquaginta Martyres.

ILlustrant hunc annum nobili Martyrio quinquaginta sacræ Cisterciensis familiæ nostræ Martyres, Monachi celeberrimi in Burgundia Cænobij, dicti Firmitatis, qui verè firmi, stantes in fide, suumque pro Christo sanguinem fundere parati, cùm Abbas eorumdem Renatus de Monte Curvo ijsdem optionem sesè in tutiora loca recipiendi dedisset, & ipse cum nonnullis, furorem Calvinistarum compertum habens, sesè subduxisset, locum suæ professionis deserere nullo modo voluerunt, expectaturi, quid de se statueret Dominus. Capto proinde Monasterio ab Hæreticis variè torti, & excruciati, in odium Fidei Catholicæ & Monasticæ professionis, crudeliter interempti, gratissimæ Cœlo victimæ ceciderunt, simulque ad præmia Martyrum & triumphos æternos evolarunt 7. Jduum Julij. *Manrique Henriq. &c.*

Moritur post ingentia merita Gerwicus Abbas Weingart.

Quantum superiore anno Jnferior Germania sydus egregia Vitæ sanctitate & sacris de Christiano Orbe meritis, tantum hoc anno Germania superior columen, haud inferioribus de sacro Jmperio & Romanis Jmperatoribus meritum laboribus amittit Gerwicum Blaarerum de Girsperg Güttingen & Warttensee Weingarttensem sive Vinearum, & Ochsenhusij Abbatem, cum Jmperialibus utrique Monasterij, illi annos septem supra quadraginta, huic viginti præstitisset, defunctusque esset 30. Angusti, ultima voluntate id unicè rogant, ut præter consueta Romanæ Ecclesiæ mortuis impensa obsequia, Psalmus, quem in vita maximi fecerat, Psaltis Regij trigesimus: *In Te Domine speravi, non confundar in æternum, &c.* Ad tumulum suum & funus, quotidie toto triceſimi tempore decantaretur. Fuit laboriosissimi ingenij Præsul, simulque festivissimi, ita, ut qui seipsos juratissimos sacrorum hostes è summis Germaniæ Principibus ultro & publicè faterentur, contra hunc, etsi per omnia ipsis in Religionis causa obnitentem, semper exciperent, & succensere non posse testarentur. Adeo festivis animi conceptibus, cunctos delinire noverat, etiam cùm vel maximè adversarentur. Reliquit ingenij maximi maxima monimenta, tomos duodecim super Juribus Canonico & Civili suomet conceptu animi, quos tamen sive Ministri ejusdem Aulici, sive rei litterariæ minus æqui, & ignari, necdum compactos, hac illacque distrahentes, usibus minimè convenientibus applicarunt, quod usque hodie nunquam satis dedolent, qui viri ingenium ex maximi monimenti dexterrimè confectis negotijs penitius cognoverunt. Fuit Cæsaribus, Electoribus, summis infimisque gratissimus & gratiosissimus, ipsis quoque Hæreticis Principibus verendus juxta & venerandus, cujus laudes nec maximis quidem voluminibus possent sufficienter explicari; etsi non nemo peculiari libello dicta solummodo ejusdem acuratiora sive apophtegmata complexus sit, quo in genere valuisse ad miraculum intelleximus, & quædam etiam cum admiratione audivimus, etsi libellum, statim à morte ejusdem vulgatum & certatim coemptum, nullo apud nos superante exemplari, non viderimus. Quiescit in Monasterio suo Weingartensi in Sacello Beatissimæ Matris Virginis, quam unicè dilexerat, ejusque honorem contra Hæreticos generosè propugnaverat. *Ex monim. Weing.*

Ingenij ingenia monimenta.

Ejus Sepulchrum.

Quæ nostrorum perpetua de lectissima Societate Jesu merita: hoc anno agente & satagente Gerardo nostro Americurio, primo Audemarensium, ex Abbate Sancti Bertini, Episcopo, Reverendi Patres ejusdem Societatis, non tam admissi quàm accīti, ædibus primùm in vico Velbruglio ejusdem Episcopi benevolentia apparatis, pulcherrimum paulo post Collegium, ut vocant, merentur Audomaropoli. Quos ipse ut Angelos Domini excepit, coluit semper, & quibuscunque potuit modis fovit & promovit. *Ferreol. Locrius Claud. Rob. &c.*

De Societ. PP. meritis Gerardus noster Americurius.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXVIII.
Sancti Patris Benedicti. M.LXXXVIII.

ITerum insigni numero gloriosissimorum Christi Martyrum Triumphantem auget ornatque Ecclesiam hoc anno Ordo noster, Boneffiensis in Comitatu Namurcensi Cænobij Religiosis omnibus, pulcherrimâ oblatione sesè victimas Numini consecrantibus.

Martyrum nostrorum Triumphus.

bus. Cùm enim in plurimis Belgij partibus Hæretici nimis quantum invaleſcerent,& pulcherrima paſſim Ordinis Cænobia extra Urbes ſita, illorum libidini & crudelitati expoſita, Viris Religioſis plena, nil minus quàm ſeſe opponere cogitarent, Sacrilegi prædones impunè quaquaverſum vagati, non contenti omnia diripere, & ſacra prophanare, incredibili in ſacros viros concitati odio, poſt varia ludibria & plagas, eoſdem diverſiſſimis modis neci tradiderunt, ipſo quoque Cænobio in cineres redacto. *Exrer. Belg. Script.*

V. Hieronymus Soucherius, fit Cardin.

Hieronymus Soucherius noſter ſacræ Familiæ noſtræ Ciſtercienſis Generalis & Claræ Vallis Abbas, Romanis non minus Pontificibus, quàm Regibus charus, hoc anno ad ſacram Cardinalitiæ Eminentiæ purpuram, ſæpius vocatus, diu multumque deprecans, cogitur denique à Pio V. re & nomine ſanctiſſimo, qui Cardinales omnes è ſanctiſſimis juxta & doctiſſimos Eccleſiæ univerſæ dilectos cupiebat. Ad Concilium Tridentinum ſub Pio IV. anteceſſore vocatus, quantâ doctrinâ ac prudentiâ refulſerit, una S. Caroli Borromæi ad illum data Epiſtola ſatis demonſtrat, digna quam pro honore utriuſque inſeramus eſt autem hæc ipſa. *Reverendiſſime Pater. Mirabiliter delectatus Sanctiſſ. Dn. noſter litteris Illuſtriſſimi & Revmi Cardinalis Vormatienſis Legati, quibus ille Ejus Sanctitatem, certiorem fecit de ſingulari ſtudio, & cura tua indefeſſa, in DEI gloriam & ſalutem Reipublicæ Chriſtianæ. Itaque nec dici poteſt, quantopere laudarit diligentiam & religionem iſtius officij tui quam & gravitatem & vim tui nominis, re & actione tueri dicit, cupitque & à DEO precibus petit, ut cæteri qui eodem honore ſunt, homines quòd ſacrum & grave Abbatis munus poſtulet, tuo exemplo meminerint juvare, perge ut facis tenere inſtitutum tuum, officij laudiſque pleniſſimum, DEUM enim habebis auctorem, & adjutorem optimorum conſiliorum & actionum tuarum, & S. D. N. egregium in te ſtudium & amorem experiere. Operam verò meam & ſtudium meum erga te ſemper tibi Paratum eſſe intelliges. Chriſtus JESUS Dominus noſter. R. U. incolumem ſervet quam diutiſſimè, Amen.* His laboribus ac Virtutibus clarus è Concilio diſcedens ad ſuos in Galliam reverſus ſacroſanctæ Synodi Decreta obſervanda præcepit, ibidemque cùm reliquum vitæ ſuæ, Altiſſimo ſoli vacare ſtuduiſſet, Abbas Ciſtertij & ſupremus Ordinis Magiſter Generalis electus eſt. Quo in munere ita ſe ſtrenuè geſſit, ut tribus annis, quibus ex more Ordinem moderatus eſt, antiquam illius inſtituti diſciplinam ferè in omnibus Cænobijs collapſam reſtituerit. Tandem, ob excellentem Vitæ Sanctitatem, ac ſcientiæ multiplicis intuitum à Pio V. qui ſingularem Soucherij virtutem admirabatur, illo inconſulto, nec talia cogitante, in Presbyterum Cardinalem electus eſt. Quam ille dignitatem pro ſingulari ſua humilitate & modeſtia ſuſcipere abnuit. Sed Pontifici ſemel & iterum in Virtute ſanctæ obedientiæ præcipienti obſiſtere non potuit. Hujus præclaræ, ac ferè ſine exemplo [noſtra præſertim ætate] rei, extat Ejuſdem Pontificis monumentum. Sic enim ſe habet:

Fit Presbyter Cardinalis.

Dilecto Filio Noſtro Hieronymo Abbati Claravallis S. R. E. Cardinali, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Inſigne ejuſdem Elogium.

Acceptis litteris tuis, & cognitis rationibus quas attuliſti. cur tibi commodiùs eſſe exiſtimes, manere in Ordine Tuo, quàm ſuſcipere munus, ad quod ſuperioribus diebus de conſenſu Fratrum noſtrorum te promovimus, modeſtiam quidem & probitatem tuam amavimus; Sed excuſationem non eſſe accipiendam duximus; nam quòd exiſtimas hanc impedimento tibi fore ad agendam curam Monachorum tuo regimini commiſſorum, & Monaſteria, quæ abs te viſitari (ut à Claravallenſi debent) viſitanda: ea res aliter ſe habitura eſt, quàm cenſes. Cardinalatûs enim dignitas adjumento potiùs erit, ad officium illud majore cum auctoritate præſtandum, & ea quæ Monaſteriorum neceſſitas expoſcit agenda. De ijs verò, quæ in eo eſſe debeant, qui ad hoc munus ſumatur, quæ tibi deeſſe ſcribis, laudamus quidem tuam iſtam humilitatem; tamen non eſt tuum, de te, quàm ſis ei muneri idoneus, judicare. Noſtro aquieſcere judicio debes, & ita cogitare, per miniſterium noſtrum te à DEO vocatum fuiſſe; quandoquidem te nec opinantem in curarum & ſollicitudinis noſtræ partem, non ſine diligenti deliberatione aſſumpſimus, ad ſerviendum nobiſcum DEI honori, & ſanctam ejus Eccleſiam tam

Cogitur invitus in Virtute obedientiæ.

tam gravi & turbulento tempore regendam; qui potens est, & ea, quæ tibi dedit dona augere, & ea, quæ in te desiderari forsan possunt, addere, pro cujus obsequio & honore, nullos debes nec animi nec corporis labores subterfugere, sed ejus vocatione confisus ipsius gratiæ & auxilio, humiliter obedire. Debes verò, ut charitatis officium postulat, vicem nostram dolere, qui hac ætate onus multo gravius sustinemus, ad quod ferendum, tua & tui similium opera indigemus. Accepto igitur, quod ad te misimus, hujus honoris insigni, omni excusatione omissa, constitutis prius Ordinis cui isthic rebus, ad Urbem quam brevissimo tempore te conferas; quod ut facias in VIRTUTE SANCTÆ OBEDIENTIÆ tibi mandamus &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 8. Mensis Maij 1568.

Consolatio Rom. Pont.

Antonius Lomellinus.

Romam igitur, vocatus, & desideratus venit, & Pontificis, qui hominem secundum cor suum se invenisse fatebatur, in se benevolentiam ac humanitatem, quo advixit, expertus est, & propter singularem opum & gloriæ contemptum, ac vitæ imoderationem magnâ apud omnes floruit admiratione. Quem Thomas Bozius in opere de signis Ecclesiæ inter eos Patres jam vitâ functos, numeravit, quorum sanctitas ætate nostra multis operibus comprobata est. Cardinalis factus nunquam adduci potuit, ut supremum sui Ordinis Magistratum dimitteret, paratus potius purpuram quam S. Bernardi nostri, cui devotissimus à pueritia fuerat gregem sibi commissum relinquere. Nec desijt esse, qui ante fuit, ad majorem, quàm antea, perfectionem sese esse censens obligatum. Proinde in lectione sanctarum Scripturarum & in contemplatione rerum Divinarum assiduus, plura adversus Religionis Novatores scripsit; multa etiam dictavit, quæ usque hodie apud Claramvallem asservantur. Quos vero in Concilio Tridentino labores sustinuerit, quæ ejus fuerint sententiæ, qui scire desiderat, Nicolaum Baccetium libro ultimo Septimianæ Historiæ legat, qui more suo hujus Cardinales Virtutes, ac res sanctissimè gestas, eruditissimè scripsit.

Contemptus opum & honorum.

Scribit contra Hæreticos.

Boneffiensibus Martyribus, hoc ipso anno ad præmia Martyrum assumptis, adjungitur, miro sanè fortunæ exemplo Boneffiensis Confessor, Boneffiensis & ipse professione, sed dignitate Abbas Villariensis, frequentissimi viris sanctissimis Cænobij. De hoc ita Villariensia monimenta: *Matthias Hortebreck Vir zelator & Observator Ordinis, in corrigendis culpis, in disciplina & DEI servitio. Discretus nihilominus, ratione utens, & rationem reddens, consolabatur tristes, erigebat pusillanimes, negligentes urgebat, duros & rebelles severo vultu increpabat, obedientes diligebat, prudens & gravis cum hilaritate, omnibus sese accommodans, verbo & exemplo docebat. Chorum devotissimè frequentabat; nocturnis horis in frigida Hyeme stans nudo capite, usque ad finem immobilis persistebat, cum tamen nimia jam senectute gravaretur, cumque turbatissimis rebus omnia passim quaterentur, & idololatræ in Cænobia, templa sacra omnia sacrilegè grassarentur, senio, laboribus & præsentibus calamitatibus pressus, plenus dierum & meritorum ipsâ die & hora qua Christus in Cruce mori dignatus est, Spiritum DEO felicissimè reddidit anno* 1568. *ætatis suæ* 80. *eodem etiam die & eadem penè hora, qua ante* 14. *annos Villarium ingressus, Abbatialem aggressus est dignitatem.* Jta Vill. mon.

Abbas Villariensis moritur.

Moriuntur eodem anno duo item alij nostri Ordinis Præsules, inter religiosissimos & doctissimos inferioris Germaniæ habiti, Antonius Houæus, Epternacensis Cænobij, & Joannes Augustinus, cognomento Marhuis Lacensis Abbates uterque relictis ingenij egregijs monimentis celebres, uterque insigni laudatus studio promotæ Reformationis.

Antonius Abbas Epternac.

IESU CHRISTI ANNO S. M. D. LXIX.
Sancti Patris Benedicti M. LXXVIIII.

GErmania, Gallia, Anglia, plena Confessorum Christi & Martyrum, & loca eo usque intacta, furori nunc Hæreticorum, opulentissima & pulcherrima nostri Ordinis Cænobia, tanquam Cerbero offa objecta, nequid in profanos auderent, sacra omnia in prædam data, horrente ad tot sacrilegia cœlo, ingemiscentibus pijs omnibus, & ignotum quo panico metu, magni etiam Principes suis diffisi viribus, omnia impunè agi sunt passi, cùm etiam Maximilianus II. Jmp. Austriacis

Germaniæ turbatio.

Pro-

Nostrarum generositas.

Provincijs, *Libertatem conscientiæ*, tanquam suâmet naturâ cuivis propriam, proclamari curaret, & amicitiâ, nunquam duraturâ, animos acatholicorum sibi devincire satageret, inde magna passim damna, & Hæretici ipsâ licentia efferati, nihil non audent in sacros viros; his admirabili patientia laureas merentibus, & in hac revera animas possidentibus.

V. Ludovici d'Estrada fama.

Jngens fama sanctitatis Ludovici nostri de Estrada Hortensis Abbatis, summos Principes atque Magnates facile ipsi copulavit, ut familiaritatem ejus certatim exambirent, sæpius ipsum convenirent, benedictionem efflagitarent, eaque munitissimos & felicissimos se esse crederent, ac si per negotia ipsi occurrere prohiberentur, per litteras de gravissimis ipsum negotijs consulerent, & ijs quidem tanti momenti, ut ab ipsius Voluntate totius Regni Castellani status pendere videretur. Extare, ait Henriquezius, in Hortensis Cænobij Bibliotheca librum integrum Epistolarum, quibus ferè omnibus, vel ad Principes ac Nobiles datis, modum regendæ familiæ præscribebat; vel ad Respublicas, ab ijsdem de rebus gravissimis interpellatus, sententiam suam aperiebat, optima consilia dictabat. Jnter alios Principes, qui ejus familiaritate & colloquio plurimum afficiebantur, fuit etiam Joannes ab Austria, celebratissimus ille belli Jmperator, qui Cænobium Hortense sæpissimè adijt, ea unica de causa, ut Ludovicum intueretur, cujus alloquij jucunditate tantopere afficiebatur, quasi cum Angelo Dei conferret. Nam cum illo de maximi ponderis negotijs agebat, eumque consulebat, nihil ferè prorsus momenti alicujus ipso inconsulto suscipiens, sed syncero cum animi affectu, res suas, suaque proposita, imò se ipsum Viro Dei confidentissimè credens & commendans. *Neque dubium*, ait vitæ Author, *esse potest, quin ea de causa tantis victorijs potiretur, deque inimicis tanta Trophæa erigeret. Dum enim hic gladium, hostium cruore imbueret, ille ut alter Moyses, in cellæ suæ angulo* [ecce Monachorum labores & merita] *puras ad Cœlum levabat manus, Deum rogans, ut populo suo faveret, eosque, qui nomen suum exscindere conabantur, confunderet. Quod invictissimum hunc Principem non latuit, ideoque non tam sibi, quàm DEO, & hujus Sancti Senis precibus confisus, in bella ruebat.*

Ejusdem merita.

Joannis ab Austria ad ipsum reversus.

Victorias impetrat.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXX. Sancti Patris Benedicti. M. XC.

V. Annas d' Escars Abb. S. Benigni.

JNnotescit primum Romæ sanctæ memoriæ Annas d' Escars noster, ex Monacho S. Benigni Divionensis, ejusdem loci Abbas, ad varias & magnas postea dignitates, pro eximijs vitæ meritis promotus; statim atque in cognitionem Pij V. verè & solidè sanctissimi Pontificis venit, eidem intimè charus, & ab ipso plurimum honoratus, fuit filius unicus Jllustrissimi Domini Jacobi d' Escars, & Jllustrissimæ Dominæ Franciscæ de Lonwic, viduæ Jll.*mi* Domini Admiralis Chabotij; è quibus etsi ipse unicus esset, habuit tamen uterque parens diversos prius conjuges, ex quibus Annas diversos quoque fratres & sorores, iterumque ex his nepotes & neptes magno numero plurimos habuit, omnes maximæ apud Reges dignitatis & auctoritatis. Jpse nihilominus princeps gloria omnium exiit, talis à teneris unguiculis, ut inde & in toto vitæ cursu nihil prorsus in ipso reprehensibile deprehenderetur. Fuit omnium judicio in omni vita, sobrius, castus, pius, affabilis, mitis, liberalis, religiosus & sanctus, talis omnino, ut quacumque veniret, admirationi omnibus esset & veneration. Animadvertit in juvene etiamnum Pius quintus, quæ in ipso coleret, & totus Patrum purpuratorum Senatus tanti ipsum fecit, ut summis honoribus natum & verè dignissimum judicarent, jamque tunc ipsi Cardinalitius Galerus minimè vano omine prædiceretur. De hoc tanto viro deinceps plura.

Francisca de Lonwic.

Jterum novum ex Ordine sydus glorioſissimo Martyrum Christi choro in Cœlis hoc anno jungitur, Beatus Nicolaus Macgerald, sacræ Reformationis nostræ Cistercienſis in Hiberniâ Monachus, qui magni Athanasij exemplo persequutionē fugiens, cum in nemoribus sese abderet, neque dignum tanta gloria judicaret, ab ipso Numine ad singulare certamen in oculis amplissimæ urbis electus, & à persequutoribus interceptus, cum constans in Romanæ fidei professione persisteret, crudeli

B. Nicolaus Macgerald Martyr.

deli sententia ad patibulum damnatus, in eoque suspensus, inde semivivus depositus, & in quatuor partes sectus, egregium spectaculum cœlo & exemplum Ecclesiæ militanti præbuit. *Ex Hist. Anglic. & Annal. nost.*

Benedictus à S. Germano Mon. Casinas.

Labores suos hoc tempore, æternitate merito immortali consecrat, & consulit seræ posteritati Benedictus à S. Germano, sacri Casinatis Montis Monachus, & ejusdem postea Congregationis Abbas, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ linguæ excellens cognitione; cujus inter alia, quæ doctissimè scripsit, sequentia celebrantur:

Ejus ingenij monimenta.

In Psalterium Hebraicum Commentaria. . . . . Lib. I.

In Epistolas S. Pauli Apostoli Commentaria. . . . . Lib. I.

In Psalmos Psaltis Regij Commentaria Lib. I.

Tractatus de usuris. . . . . Lib. I.

Super Libros Perihermenias Priorum, Posterior, de Anima Aristot.

In Libros Prædicamentorum Disputationes variæ. . . . . Lib. I.

Proverbia animalium: opus pulcherrimum . . . . . Lib. I.

De imitatione Marci Tullij Ciceronis. Lib. I.

Contra Calumniatores Apologia, &c. & plura alia.

Ad hunc usque annum produxit Historiam suam Georgius Cabillau Monachus Aldemburgensis, de re Historica optimè meritus, creditur que nunc vivere desisse. *Sanderus in Scriptor. Flandriæ.*

Philippus Fantonus.

Floruit hoc eodem tempore Philippus Fantoni, Congregationis Camaldulensis Monachus, Philosophus insignis & Mathematicus, ejusdemque disciplinæ, in publico Pisanorum studio meritissimus professor. Scripsit *de modo reducendi annum ad suum legitimum numerum, librum unum* & nonnulla alia.

Joannes Lontaillerus.

Meretur insigniter de re litteraria Joannes Lontaillerus celeberrimi in Gallia Belgica Cœnobij Aquiscinctini Abbas, excitato amplissimo, & pulcherrimo in Academia Duacena Gymnasio sive Collegio, in quo juventus in optimis disciplinis informaretur, ut hoc ipso tempore non minus rudi quàm crudo, & seditionibus turbatissimo, nostri litteras non solum propagarent, sed alerent, atque animarent. *Ex Fastis Belgicis.*

IESU CHRISTI ANNUS S. M. D. LXXI.

Sancti Patris Benedicti. M. XCI.

SUpremus hic annus est, summo summi Pontificis Pij Quinti, totiusque Romanæ Urbis, nec non Regis & Regni Gallici luctu, Hieronymo Soucherio, brevi omnino Cardinalatus usu, quem honorem, uti admisit ægerrimè, ita deseruit libentissimè, Numine procul dubio exorato, cùm apud Pontificem nihil precibus proficeret. Vir fuit planè admirabilis, prudentiâ, ultra humanam præditus, Zelo Religionis & disciplinæ Monasticæ primævæ ferventissimus, Divinis rebus totus absorptus, carnis propriæ hostis juratissimus, illecebrarum & pomparum omnium contemptor generosissimus, intentissimus animarum lucro, Hæreticorum malleus, pauperum, & Religiosorum omnium Advocatus. Verum cœlo dignior, Romæ ereptus, ibidem in maxima sanctitatis opinione decessit, sepultus ibidem ad sanctam Crucem in Hierusalem; & hoc Epitaphio honoratus:

Moritur Hierom. Soucherius Cardin.

Epitaphium ejusdem.

Donno Hieronymo Socherio, Aruerno, Parisiensi Theologo præstantissimo, qua Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. Gallorum Regibus, Carolo Cardinali Lotharingo, bonisque omnibus eximiè charus, Claræ-Vallis Abbas, in Tridentina Synodo, sententias doctrinæ, pietatis, ac prudentiæ plenissimas dixit. Inde Cisterij electus Abbas, ipsiusque Ordinis Generalis, à Pio V. Pont. Max. delatam absenti Cardinalatus Dignitatem, ut acciperet, vix adduci potuit; deinde in Urbem accitus, singulari opum atque gloriæ contemptu, & vitæ moderatione omnibus admirationi fuit. Vixit ann. 63. Obijt X. Cal. Novembr. 1571. Eo mortuo, Pius V. *Miror sanè,* inquit, *ad tanti Viri obitum, campanas Urbis non omnes ultro consonare.* Idem Papa in Publico Consistorio super morte ejus ad Patres verba faciens: *Uno extincto Socherio,* ait, *magnum lumen Ecclesia DEI amisit.* Et quis S. Caroli Borromæi satis luctum, eo amisso exponet? *Ex Vita Pij V. Alph. Ciacon. Petramellario, Hilarione de Costa, in Elog. Vir. Illustr.*

Victoria Naupactia quibus ab scripta?

Hoc ipso anno memorabilis ad omnem æternitatem victoria è Turcis ad Naupactum reportata, Duce Joanne ab Austria, non sine præsenti Deiparæ ope, ad preces ferventissimas Pij V. verè

verè sanctissimi Pontificis, & sanctæ memoriæ Ludovici d'Estrada nostri, cujus potenti apud Numen & Numinis Matrem suffragio Joannes Archistrategus, uti omnes etiam alios conatus suos enixissimè commendaverat, hanc præcipuè actionem commendatam voluerat, cæsa hostium viginti quinque millia, captis Triremibus Turcicis centum & octuaginta, plurimis incensis & mensis, captivorum receptis viginti millibus.

Martinus Cupperus Abbas.

Claruit hoc eodem anno Martinus Cupperus, Mechlinienſis Belga, ex Abbate Crispinienſis inter montes Hannoniæ, & Valencenas Cænobij Episcopus Calcedonenſis & Archiepiſcopi Cameracenſis ſuffraganeus, Vir doctiſſimus & religioſiſſimus. Inter Montſerratenſes eminent PP. FF. Philippus de ſancto Jacobo, Andreas de S. Romano & Joannes Carupmannus, Viri de Ordine meritiſsimi, vitæque exemplo Illuſtriſsimi. *Ant. de Jepes. &c.*

Franciſcus Debehaut Abbas.

Ipſo anno extinguitur Franciſcus Debehaut S. Dionyſij in Hannonia Abbas meritiſsimus, ſanctæ memoriæ Ludovici Bloſij ferventiſsimus diſcipulus, Magiſtri tam ſancti piè æmulus, Reformationis promovendæ ſtudioſiſsimus, ſibi rigidiſsimus, deſiderans ad mortem uſque ut viveret, & moreretur Novitius. Verè factus, ut ille juxta Chriſti monita parvulus, ut in cœlis magnus evaderet. *Ex monim. ejuſdem Cænobij.*

Evocatur ad ſuperos eodem anno Ven. mem. centenarius Senex Nicolaus Triviſanus, meritiſsimus Camaldulenſis familiæ noſtræ reformator. *Ex cit.*

Merita noſtrorum de PP. Societ.

Iterum lectiſsimæ Societatis Jesu Patres ut proprij Ordinis, tractant noſtri, commendant bono publico, & ipſi Fundatores agunt, Jacobus le Roy Archiepiſcopus & Primas Bituricenſis, ex Monacho & Abbate Dolenſi, & Joannes Niquetius S. Gildaſij Abbas, inſigne Patrum prædictorum Collegium, in Urbe Biturigum exſtruentes & fundantes, ut de ſexcentis alijs nihil dicamus tota Europa, ſive integrè per noſtros fundatis, ſeu majorem partem auctis & dotatis. *Claud. Robert. Annal. Bituricenſes.*

IESU CHRISTI ANNUS S. M. D. LXXII.

Sancti Patris Benedicti. M. XCII.

De ijſdem meretur Balthaſar Abbas Fuldenſis.

Iterum de Societate Patrum Jesu, optimè merentur noſtri, Balthaſar inprimis, ſancti uſque hodie nominis, Princeps Fuldenſis, qui eoſdem Fuldam evocat, qui ipſius Capitulariumque gratulatione benignoque favore excepti, inſigni deinceps Collegio accommodati, erectoque Gymnaſio præfecti ſunt. Conatuſque deinceps Balthaſar cum ijſdem eſt, quidquid in eversionem Hæreticorum potuit; ſed & quidquid erat, ad Cleri & ſuorum Religioſorum reformationem. *Annal. Fuld. Chriſt. Broweri &c.*

Martinus Cupperus Abb. exul.

Inter alios Chriſti Confeſſores merito cenſendus, perilluſtris Vir Martinus Cupperus Criſpinienſis in Hannonia Abbas, Calcedonenſis Epiſcopus & Suffraganeus Cameracenſis hoc anno pro fide Chriſti exul, & in exilio mortuus, cum fidei cauſa, multa pericula & calamitates generoſo animo perpeſſus, patrem tamen patriæ agere nunquam deſiſteret, ob ingentia merita, *Totius Hannoniæ ſingulare ornamentum & fulcrum appellatus, &c.*

Fuit Venerabilis Ludovici Bloſij noſtri amiciſsimus, & Reformationis ejuſdem ſedulus promotor, cui ob amorem diſciplinæ Regularis Matthæus Moullartius S. Gisleni Abbas interea, dum hic Legatione ad Regem Hiſpaniarum fungeretur, ſuum etiam Cænobium regendum commendavit. *Ex monim. utriuſque Monaſt.*

Cornelius Polderman Martyr.

Purpurâ ſacri & Generoſi Martyrum ſanguinis ornatiſsimus hic annus, quo quantum Catholici & Religioſi inprimis, & plurimi Ordinis noſtri, ab Hæreticorum in Belgio armis perpeſſi ſint, nemo ſatis explicaverit, nobiliſsimis Cænobijs noſtris, expilatis, ſucceenſis & funditus everſis ac Monachis miſerè trucidatis, imo deſideratiſsima Martyrij Laureola coronatis. Celebratur autem hoc ipſo anno, inter alios præcipuè conſtantia R. P. Cornelij Poldersmann, Monachi ſancti Salvatoris Antuerpiæ, ſacræ Familiæ noſtræ Ciſtercienſis egregij ſyderis, qui Cirizæam Hollandiæ, ad ejus Cænobij Regimen à Superioribus miſſus, multa ibidem ſtrenuè præſtitit, tandem verò Monachis omnibus vel occiſis jam, vel inde profligatis, Cornelius mirabili

constantia & Magnanimitate, perseveravit in suo Monasterio, potius mori eligens, quam vel Religionem mutare, vel locum deserere. Ac proin ab Hæreticis in furorem versis, atque vesano impetu in ipsum irruentibus immaniter trucidatus, ad triumphos Martyrum æternos evolavit. *Chrysost. Henriquez. Aubert. Miræus. Annal. nostri Benedict. &c.*

IESU CHRISTI ANNUS M.D.LXXIII. Sancti Patris Benedicti. M. XCIII.

V. Benedictus de Toco Montserratensis Monachus.

VErè Redivivus sanctissimus Patriarcha noster Benedictus, in suo re non minus quam Nomine Benedicto de Toco Montserratensi Monacho, Regij generis viro ex Regibus Epiri, & Redivivi Alexandri Magni, atque ob hoc ipsum sic cognominati Scanderbegi sanguine oriundo, qui non minus glorioſis de seipso triumphis, quam ille de Hostibus Christianæ Fidei celeber, omnes quæsitos tam anxiè & ambitiosè à mundi cultoribus honores generosè calcavit, & juratissimus carnis propriæ hostis, eidem uti mundo & Cacodæmoni quo ad vixit, bellum acerrimum indixit, ob egregias animi dotes, & eximias virtutes ac sanctitatis famam, non minus atque Generis dignitatem, à Philippo II. Hispaniarum & Jndiarum Monarcha magno in pretio habitus & singulariter dilectus, proque meritis ad amplissimas promotus dignitates, neque Abbatijs solummodo diversis, sed & Episcopatibus, sancto vitæ exemplo, singularique sua in rebus gerundis dexteritate prodesse jussus, sub hoc ferè tempus ad Pontificalem Biquensis Ecclesiæ Cathedram, mox ad Gerundensem, demum ad Jlerdensem evectus, ubivis integerrimæ vitæ laudibus singulari creditarum sibi ovium cura, Divini honoris & cultus propagandi studio immortale comparans nomen, Ecclesiam Christi & Regnum demeruit universum. *Ex Jepesio & diversis rerum Hispan. Script.*

Generis Nobilitas.

Fit Episcopus diversorum Episcopatuum.

Memorabile autem ad æternitatem omnem, quod hoc ipso anno, rebus in Galliarum Regno Calvinistarum furore turbatissimis, DEUS ter Optumus Maxumus, in resuscitando primævo Benedictini Spiritus fervore, mirabiliter operari dignatus est. Egit Commendatarium à teneris unguiculis Abbatem, Fuliensis celebri nomine Monasterij in Diœcesi Toloſana Joannes de la Barriere, præcipuæ Nobilitatis juvenis, & facilè juventutis in Chresſienſi provincia princeps, ignarus patrimonio Sancti BENEDICTI inutilem sese & noxium incumbere, & sacris profanum uti & abuti, cùm ipse splendidè Parisijs ageret, ac de alieno superbiret. Placuit hoc anno ad fontem suæ fortunæ se conferre, ipsumque Cænobium acuratius inspicere, remque suam curare; venitque opportunus, ducente procul dubio Numine, cujus suavissimis illicijs, ad rem summæ considerationis, gravissimique momenti disponebatur & præparabatur. Jnitium rei, hoc ipso anno, ita se habuit; Jnciderant in minus occupatum, Prior loci & Religiosi, tunc fortè animi relaxandi gratia, in campos vicinos exspaciaturi, cum ille Priorem perbenignè affatus se interim Priorem velle agere, & Fratrum cellas visitare dixit: omnia in potestate Jllustrissimi esse, illo respondente. Nec mora: Conventum subijt & singula lustrans, in Prioris conclave incidens, librosque lustrans, eos inter S. P. BENEDICTI Regulam, tanquam rem sibi novam contuitus, summo cum gustu arripiens, & ut consideratius legeret, in Sella Prioris considens, Caput II. de Abbate primum in oculis habuit, legit, relegit, miro verborum pondere, mirificè statim affectus, cum suum & nomen & vitam, ad amussim illius expenderet Regulæ, mox puderet, tæderet, usurpati Tituli, vitæ anteactæ. Anxius proin sollicitusq; cellâ egressus, perque Dormitorium, sic sacri vocamus, meditabundus obambulans, dignâ demum ac denuo impulsus curiositate, libellum denuo arripere, idque quod forte fortuna primum occurreret, legere proposuit. Occurrit, movente digitos DEI manu ac providentia, caput Regulæ sexagesimum quartum: *De ordinando Abbate.* Quod & legendum & considerandum tanquam à DEO sibi præscriptum accepit; miratusque summopere est, occurrisse nil aliud, quàm quod Abbatem concerneret, facilè animadvertens, non tam fortuitum fuisse quod akera vice obtigerat, quàm Numinis voluntate destinatum

V. Joannes de la Barriere Abbas Commendatarius.

Admiranda ejus vocatio.

Res luctu dignissima.

natum, uti jam nec de primo dubitabat. Potentissima quævis in animum verba erant, & ferro ignito efficaciora, profundissima in corde relinquentia stygmata. Ita attonitum reversus è campis Prior reperit, mox serio exprobrantem; eccur ipse solus librum retineret; qui Abbatem præalijs tangeret, & cujus exequutio potissimum ad Abbatem spectaret? Cumque responderet Prior ad Abbates Commendatarios non pertinere, sed qui solemnibus Votis, sub Regula illa se Numini devovissent. Digitus Dei erat. Et vero, inquit ille, ad illos vel maximè spectare, qui prorsus ignorarent, *Qualis esse debeat Abbas*, cum talem, nec alium S. BENEDICTUS sibi jure suo deposceret, & contra hæc non attendentem, ad Tribunal Divinum provocaret. Legendum proin ex integro libellum sibi depoposcit, totaque deinceps mente in illum incubuit, serio admodum ignorantiæ suæ veniam à Numine rogans, & cum ipsos quoque Religiosos, ex acurata libelli lectione, procul ab Regulis discessisse adverteret, in omnem sese movens & vertens disquisitionem, qualiter & se, & sui Cœnobij Religiosos, ad mentem Legislatoris sanctissimi accommodaret. De qua ipsa re, mira deinceps audiemus. *Ex Philippo Malabayla, Hilarione de Costa Annalibus Benedict. & Menologio nostro, & Hugonis Menardi.*

Inter viros sæculi hujus doctissimos, jure meritissimo relatus hoc ipso tempore, celebratur Montantius noster. Montantius Vir doctus. Sanctæ MARIÆ de Florentia Monachus Congregationis Casinensis, qui ob insignia & rariora animi talenta, à Magno Herruriæ Duce Cosima Hospitalis Sanctæ MARIÆ Novæ Præses constitutus est. Transtulit ex Græco in Latinum sermonem Philosophiam Nili Monachi antiquissimi, & plura alia edidit præclari ingenij monimenta. *Arnoldus Duac. Annal. Bened.*

Cæterum in Congregationibus Casinensi, Vallisoletana, Montserratensi, Bursfeldensi ingens virorum eruditione & virtute insignium numerus, in Belgio inprimis: ubi primævi splendoris lumina resuscitata licebit admirari. *Ex rer. Belg. Script.*

Petrus à Buchol. Abb. Gladbacef.

Extinguitur ex illis hoc ipso anno Illustrissimum omnino lumen, Petrus à Buocholtz, Virtute atque eruditione non minus præstans, quam generis nobilitate, idem Zelator imperterritus & indefessus promotor disciplinæ Regularis, insigne columen Reformationis Bursfeldensis, Abbas dignissimus celeberrimi Monasterij Gladbacensis, æterna memoria pro meritis recolendus. *Ex monimentis Gladbacensibus.*

IESUCHRISTI ANNUS .M.D.LXXIV. Sancti Patris Benedicti. M.XCIV.

MEmorabilis hic annus felicissima nativitate sanctæ memoriæ Dominæ Mariæ de Bellovillare, ipso Annunciationis, & incarnati primum Verbi Divini solemnissimo Festo, quæ inter lucidissima nostræ ætatis sydera, haud minore splendore, quam lucifer illuxit, Gallijsque & Ordini nostro decus immortale addidit. *V. Maria de Bellovillare nascitur.* Patrem habuit Claudium de Bello-Villare Comitem S. Aniani, Equitem Regium Andegavensium & Bituricensium Gubernatorem spectatissimum, Matrem Mariam Baboniam fœminam Religiosissimam, quæ vitæ integritate & sanctitate multis intervallis clarissimorum Natalium splendorem superaverat, puella deinceps in omni vita miram præferens Dei gratiam, de qua uberius deinceps, & insolentia planè erunt referenda. *Ex Vita ejusdem, & R. P. Amando Tribout Priore Deruensi.*

Florentissimum perfectioris Vitæ studium celebratur sub hoc tempus in Patribus nostris Cœlestinis; erga quos cum in vita summopere affectus fuisset Carolus IX. Galliarum Rex, id sub mortem suam, imo etiam à morte contestatum volens, cor suum apud eosdem sepeliri mandavit, quod & fideliter præstitit Eminentissimus Cardinalis Petrus de Gondy, Archiepiscopus Parisiensis hoc anno.

Mortuo hoc anno Francisco Richardoto Atrebatensi Episcopo, concordibus omnium Canonicorum votis eligitur Matthæus Movillart Atrebas ex Vico sancti Martini, Monachus & Abbas celeberrimi Monasterij S. Gisleni juxta Montes Hannoniæ, quod alias sancti Petri Cella vocabatur, Congregationis Bursfeldensis, sacro sanctæ Theologiæ Doctor, Statuum Belgicorum, tempore Ferdinandi Ducis de Alva, Belgij Gubernatoris ad Regem Philip-

Matthæus Movillart Abbas S. Gisleni fit Episc. Atrebat.

Philippum, in causa solutionis denarij decimi in Hispanias Legatus, Vir *Virtutis & Doctrinæ*, Ferreolo Locrio teste, *nec non Zeli incomparabilis*, qui tamen electioni de se factæ assentire noluit (etsi amicorum & summorum virorum precibus enixè exoratus) priusquam solutio pensionis aliquot centenariorum coronatorum, quæ quotannis Eminentissimo Cardinali Granvellano, à prædecessoribus suis solvi consueverat, ab Episcopatu penitus removeretur, sedesque Atrebatensis, suæ pristinæ libertati & immunitati redderetur. Vir enim devotus & pius cum esset, sese cùm aliquo conscientiæ scrupulo (verba Arnoldi Duaceni sunt) ab Abbatia sua, qua sola contentus erat, separari non sinebat. Factus igitur Voti sui compos, consecrationem tandem accepit, suaque statim initia Episcopatus tanto merito de Ecclesia inchoavit, imo antevertit, quem etiam honorem strenuè gessit, & inter infernalium Cerberorum rabiem generosissimè propugnavit, inter omnes fluctus infinitarum calamitatum sibi constans semper, patientia insuperabili, incomparabilique vitæ integerrimæ exemplo. *Quo in vitæ genere*, inquit præfatus author, *quanta pro Catholicæ Fidei defensione ab impijs & Hæreticis sustinuerit, facilius est cogitare quam dicere, ab ijs enim summis injurijs affectus, & tandem etiam in exilium actus patientissimè & animo virili pro Christi amore adversa omnia sustinuit, donec gratia Dei mediante ad sedem suam revocatus est &c.*

Honorum fuga.

Assertor felicissimus rei Catholicæ.

Haud impar patientiæ exemplum Hieronymus Liber Baro à Grimberga exhibuit, inter omnes Hæreticorum assultus animo invicto etiam, postquam altera vice Cænobium Sancti Winnoci, cujus Abbatem agerat, miserè ab hostibus vastatum fuit, hoc ipso anno, dum in restaurationem totus incumberet ad præmia patientiæ æterna evocatus. Sub hoc in eodem Cænobio claruit Petrus Wallon, ejusdem loci Asceta doctissimus, genere non minus quam virtute & eruditione spectatissimus, scriptor suæ ætatis optimè meritus, qui alia inter præstantissimi ingenij monimenta, scripsit libros Institutionum Monachicarum & prædicto suo Prælato dedicavit. Librum item alium insignem, de causis calamitatum Belgicarum. *Ex Monasterij ejusdem monim.*

Hieronymus Abb. S. Winnoci.

IESU CHRISTI ANNUS S.M.D.LXXV.
Sancti Patris Benedicti M. XCV.

FLuctuanti tota Britannia Catholicæ Religioni asserendæ plurimi ex Ordine nostro Pugiles, generosissimo animo se devovent, cùm redivivа Jezabel, Regina Elisabeth, fastu plus quam Luciferiano, non similis solum Altissimo esse contenderet sed Verba æternæ Veritatis nequissimâ temeritate eversa satageret, Christi Sponsam sine macula & ruga, meretricem proclamaret, ipsa propudiosissima meretrix caput sese Ecclesiæ jactaret; Divinæ Matri, Matri Virgini se præponeret, & illius expuncto nomine, suoque inserto, in Calendarijs, ut majorem Altissimi Matre, se proclamari & adorari sineret, nostris etiam inter tormenta gravissima inauditam, ab orbe condito mulieris dementiam ridentibus & damnantibus. Prodijt exsculptis seu rasis in ære imaginibus liber integer suppliciorum diversissimorum à muliebri furore excogitatorum, in quibus se infernalis illa larva perpetuo exercuit; ut, si posset, omnes etiam inferorum pœnas superando, in Catholicos, atque in primis Fidei Catholicæ assertores, in praxim deduceret. Deduxit, sibi quidem ad confusionem & damnationem per infinitas suppliciorum adinventiones in se exercendorum sempiternam, gloriosissimis vero Christi Martyribus ad indesinibilem lætitiam, famam in terris, inque cœlis gloriam; nostris & horum exemplo innumeris alijs, ipsissimo tanto crudelitatis exemplo, non solum imperterritis, verùm etiam majore fervore accensis, & in illa S. Jgnatij Antiocheni Episcopi, Patriarchæ & Martyris per mille Generosissimi animi Vota erumpentibus: *Jgnis, Crux, Bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar.* Jta hoc ipso anno affecti ducenti è sola sacra familia & Reformatione nostra ducenti Religiosi, dum in animandis cæteris Romanæ Ecclesiæ Fidelibus, fidelem Christo navarent operam jussu ejusdem Sacrilegæ Reginæ, per varia supplicia interempti,

Elisabetha Reginæ Angliæ impietas.

Carnificina ejusdem.

Nostrorum Animositas

empti, triumphis æternis jungi meruere; ut nihil de ijs dicamus, qui ne pro Martyribus haberentur, clanculum ad careeres rapti, longóque Martyrio crudelissimè affecti, centies & millies in omni cruciatu sese hostias gratissimas Numini obtulere. Quibus proximi meritis censendi, qui piè mentito habitu ut alijs prodesset, nutantesque in fide confirmarent, infinita subire pericula, Zelo ducti animarum, in primis votis habuerunt. *Ex Chrysost. Henriquez, & Rerum Angl. Script.*

Supplicio-rum tole-rantia.

Ludovicus d'Estrada Abbas.

Ipso anno sanctæ memoriæ Ludovicus de Estrada, tertiùm celeberrimi illius Mariani horti cultor, Hortensis Cænobij Abbas electus, etsi jam fractus senio atque impeditus, sed rerum agendarum longa peritia, & sanctimonia Vitæ venerandus, quique tantopere diligeretur à filijs, ut solo nutu regeret, neque jubere indigeret, sed indicare. Ut videas quanti referat Superiores exemplo magis docere quàm Verbo, cùm hic Vir sanctus non in hoc solo Cænobio tantum posset, sed in Congregatione universa, cùm omnibus pro Regula esset, ut Vitæ linea, incredibili in Ordinem & Hispanias, etiam ad sæculares, fructu dimanante. *Manrique, Henriquez & plures rerum Cistercienjium Scriptores.*

Mortalitatem exuit hoc anno Vir eruditissimus, humanis Divinisque litteris instructissimus, Jurisque inprimis Pontificij gnarus P. D. Antonius Fractensis Monachus Sacri Montis Casini, qui inter alia egregij ingenij monimenta Repertorium scripsit Polyanthea dictum, pro Archivo Casinensi. In quo omnia Jura Cænobij aliásque res memorabiles Ordine Alphabetico quàm distinctissimè est complexus.

Antonius Fractensis Casinas.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXXVI.
Sancti Patris Benedicti. M.XCVI.

Inter Belgij sydera emicat, insigni cùm virtutis tum eruditionis fama & splendore Gaspar Bonincourt Atrebas Eques Hierosolymitanus, qui non contentus sacra Christi in Palæstina vidisse & coluisse vestigia, ut ipsummet in omni vita perfectius sequeretur & assequeretur, ejurato sæculo, in celeberrimo Aquiscinctinensi Cænobio Monachum professus est; inde pro vitæ meritis, ad Audemburgensis Cænobij regimen postulatus, & Abbas creatus, sedulum sese sacri rigoris promotorem, & disciplinæ Monasticæ assertorem comprobavit, & ut de posteris non minus & exteris mereretur, quàm de sibi commendatis, cùm Græcè, Latinè, Gallicè, Teutonicè, Italicè, Hispanicè peritus esset, multa, & varia reliquit præstantis ingenij monimenta: eáque inter idiomate Gallico descripsit *peregrinationem suam Hierosolymitanam, & ad Montem Sinai, & Sepulchrum S. Catharinæ; Librum item Suorum ad Fratres Sermonum. & alium de Arithmetica, duos item libros carminum, alterum de Prædestinatione, alterum de suiipsius cognitione*, ut ex ipsis librorum Titulis facile appareat, optimè mereri studuisse. Floret item & æternâ celebratur meritorum famâ, in eadem Belgij provincia Arnoldus Gantoisius Abbas Marchianensis, meritissimus liberalium artium & studiorum rudissimo sæculo promotor, cui præter alia præclarè gesta sera æternum debet posteritas, magnificum in Universitate Duacena Gymnasium, ab eodem magnis sumptibus exstructum, ex quo plurimi deinceps viri eruditi, magno Reipubl. Christianæ bono prodiere. Recensenda hoc loco plurimorum aliorum Abbatum, tam in Belgio, quam Gallia, Hispania & Italia merita essent, quorum vix aliquis Opulentioris cujusvis Cænobij fuerit, qui non laudabilissimo Patrum Societatis Jesu Instituto faverit, ijsque cum in condendis Collegijs, tum instituendis Gymnasijs, & promovendis studijs, alendis Alumnis, adjutor fuerit; ut si singulorum Cænobiorum Annales requirere placeat, & monimenta excutere, peculiari volumine opus esset; ita, ut planè appareat Benedictino Ordini, ut olim proprium semper fuit, cum sacra tum profana studia & in Cænobijs, & in primis Universitatibus atque Academijs profiteri, libros scribere, Bibliothecas condere, ita nunc quoque esse proprium, eadem ubivis promovere, perque eadem & professoribus & Discipulis, nec non toti Ecclesiæ & Regnis Benedictinâ liberalitate consulere. *Ex Fastis Belgicis.*

Arnoldus Gantoif. Abb. Marchianenf.

Gaspar Bonincourt Abb. Audenburg.

Extinguitur hoc anno magnum omnino Ordinis nostri totiusque Romani

Christophorus Abb. Prumiensis.

mani Jmperij decus Reverendissimus & Jllustrissimus Dominus Christophorus, celeberrimi Prumiensis Archisterij meritissimus Abbas, Comes de Manderscheidt; vir non minus omni Virtutum cultu, & eruditionis laude, quàm Generis sublimitate & antiquitate præstantissimus. Jpsum hisce breviter verbis monimenta ejusdem Cænobij celebrant: *Fuit sacrarum humanarumque litterarum peritissimus, moribus castus, conversatione devotus, Monasticæ Disciplinæ promotor fervidus, humilitate exemplaris, quippe qui Episcopatum Leodiensem* [ecce primævum Benedictini Ordinis in tanto reijciendo Principatu, Spiritum] *ultro sibi oblatum, constanter recusavit, Orator fuit egregius, ita ut etiam imparatus & extemporaneus, in solemnibus Jmperij Comitijs, Oratore suo obmutescente, ipse mox taliter peroraret, ut Jmperator, omnesque Principes toti obstupescerent, & Principem hunc supra modum laudarent & colerent.* Vita excessit exemplar absolutissimi Præsulis & Pastoris 28. Augusti, præsentis anni, susceptis devotissimè omnibus Ecclesiæ Sacramentis, cujus memoria est in Benedictione. *Ex monim. ejusdem Cænobij.*

Episcopatum Leodiensem oblatum recusat.

Franciscus de Machado.

Jn Hispanijs celebre admodum nomen est R. P. Francisci de Machado Abbatis Tomaraensis, viri cùm ob singularem eruditionem, tum egregiam vitæ integritatem non solum suis reverendi, sed Principibus charissimi, cujus etiam opera in rebus magni momenti utebantur. Reliquit aliquot egregij ingenij monimenta, quæ inter duos præstanti eruditione libros, contra juratissimam Christi Divinitatis hostem, gentem Judæorum; librum item Epistolarum ad Henricum Lusitaniæ Principem sacræ Rom. Ecclesiæ Cardinalem, postea Regem. Duos etiam libros rerum gestarum & vitæ sanctissimæ Beatarum Teresæ & Sanctiæ Reginarum sanctimonialium Regulam S. P. Benedicti sub sacra Cisterciensi Reformatione professarum, in quarum acta, jussu Sebastiani Portugalliæ Regis sedulo indagavit. *Chrysost. Henriq.*

Joannes Coquei Abb. Morimund.

Mortalitatem hoc etiam anno exuit Joannes Coquei Abbas Morimundensis, Vir eruditissimus & zelosissimus, Doctor Theologus facultatis Parisiensis, Rector olim Collegij S. Bernardi ibidem, Visitator Ordinis strenuus, & Reformationis per Galliam, Flandriam, Lotharingiam, & Sabaudiam promotor meritissimus, etiam Regibus pro Juribus Ordinis obniti non veritus, æterna commendatione dignus. *Bern. Brito. Ang. Manrique, &c.*

IESU CHRISTI ANNUS S.M.D. LXXVII. Sancti Patris Benedicti. M. XCVII.

HOc demum anno Vir verè Admirabilis sanctissimæ memoriæ Joannes de la Barriere Commendatarius antehac Abbas Fuliensis Monasterij, cum antea Romam profectus intentionem suam Romano Pontifici distinctiùs aperuisset, seque expectorando, eumdem merito in magnam rapuisset admirationem, benedictione Pontificia recepta, lætus ad suum reversus Monasterium, cùm etiam non unum solummodo, sed plures annos sese tanquam novitium Tyrunculum, per magnum vitæ rigorem strenuè exercuisset & probasset, Monachum solemniter professus, & ita quidem est, ut non ex more suorum, sed ad amussim & unguem sanctissimæ Regulæ, minora æquè ac maxima servare polliceretur. Servavit ut pollicitus Numini est, & ita quidem ut Redivivum Restitutæ in integrum Benedictinæ Legis, & Primævi Spiritus exemplar admirationi omnibus esset; verè triumphati mundi, subactæ carnis, cacodæmonis protriti, ipsus ipsissimus tantæ Victoriæ Trophæum, ipso quoque Numine tanti viri conatus, non sine prodigio approbante, cum Vir Jllustrissimus, nullis proficientibus ad eum usque suæ Professionis diem Medicorum consilijs & remedijs, morbo, quo graviter laboraverat, Comitiali, ex tunc liber prorsus & incolumis evaderet, totus deinceps in eo, ut Numini suoque Archiparenti BENEDICTO, creditos sibi de novo, & meliore nunc titulo, Ascetas reconciliaret, suisque & persuasionibus, & exemplo lucraretur. Egit hoc summa qua potuit industria, & quibuscunque potuit modis, etsi apud plerosque oleum perderet & operam; tentandos nihilominus omnium animos censuit, & incredibile penè est, quantis artibus usus sit, quantos labores pertulerit, quanta patien-

V. Joan. de la Barriere fit Monachus.

Verus nunc Pastor efficitur.

tientiâ aliquorum improbitatem, injurias contemptumque pertulerit, de cujus paulo post ulterioribus conatibus, audiemus. *Ex Vita & Monimentis Fulienſium & Amiciſſimo nobis Philippo Malabayla.*

Gerardus Ipſ. Audomarenſis moritur.

Ipſo anno Jlluſtriſſimus & ReverendiſſimusGerardusAmericurius noſter Audomarenſium, ex Monacho & Abbate Bertiniano Epiſcopus communem mortalium viam moriendo ingreditur,relictâ nominis famâ immormortali. Vir fuit, teſte Ferreolo Locrio, pietate, prudentia atque liberalitate commendabilis, ſtudioſorumque ſingularis amator: ac proin rectè de eo Joannes Molanus, libro de Canonicis 2. cap. 42. ita ſcribit: *Valde porro Seminario Clericorum erigendo, occurrit illuſtre in Belgio exemplum Gerardi ab Hammericourt Abbatis Monaſterij Sancti Bertini, quod eſt intra oppidum S. Audomari, & ejuſdem oppidi primi Epiſcopi, cujus ante paucos annos defuncti memoria & Benedictione eſt: Js enim, necdum in Epiſcopum poſtulatus, ac proinde ut Abbas, non ut Epiſcopus* (ecce quàm accuratè exponderet meritum in Monacho dignum Epiſcopo factum doctiſſimus æquè ac Religioſiſſimus Scriptor Molanus) *in ſua civitate incœpit in honorem ſeptuaginta duorum Diſcipulorum Chriſti, pro totidem ſtudioſis fundationem erigere, ac dotare, ne unquam, aut Civitati, aut Territorio Audomarenſi, boni & veri paſtores, ab Abbate pleriſque in locis nominandi deeſſent. Ad quorum etiam inſtitutionem, & totius Urbis ſuæ majorem ornatum, Epiſcopus factus, Collegium Societatis JESU ibidem & erexit & dotavit. Denique ut Seminarium illud non tantùm Seminarium ſed etiam Plantarium eſſet, in Lovanienſi Univerſitate domum exſtruxit, quam Collegium Sancti Bertini dici voluit, etſi vulgo Collegium Audomarenſe dicitur, in quo ſub regimine unius Præſidis, in gravioribus diſciplinis formantur, poſtquam in ſtudijs inferioribus, ſufficienter inſtituti fuerint.* Jta Molanus videatur Ferreolus Locrius, Claud. Robert. &c.

Ingens ejuſdem meritum.

Promotor rei literariæ.

Matthæus Moullartius Epiſc. Atrebat. Urbem ſolemniter invehitur.

Jpſo anno, Calendis Octobris Matthæus Moullartius ex Gisleniano in Hannonia Abbate,in Atrebatium Pontificem, ante biennium inauguratus, urbem magna Cleri SenatusPopulique Atrebatenſis congratulatione ſolemniter Urbem ingreſſus, demandatam ſibi ſpartam colere & ornare magno animo aggreditur... Quo in munere, tanto cum ſplendore partes ſuas geſſit, omneſque perfecti Epiſcopi numeros explevit; ut cum labore pietas, vigilantia, prudentia, modeſtia, continentia, & cæteræ quas in vero Paſtore requirit Apoſtolus virtutes, in eo certare de laurea viderentur... Ut quantum in his duobus inſimul Benedictini Ordinis Epiſcopis, uno eodemque tempore Germania noſtra utilitatis, exempli, & fructus, & Redivivus in filijs ſuis Benedictus Pater ſolatij & gloriæ habuerit, facilè animadvertas.

Ejus merita inſignia.

Ven. Hieronymus.

Moriuntur eodem hoc anno Hieronymus Coſentinus ex nobili familia Serſalium Abbas Caſinenſis, *in rebus agendis*, ut libro II. Virorum Jlluſtr. Caſinatum legitur, *mirabilis*. Et Dominus Vitalis à Bononia, lumen ſingulare ſacræ familiæ noſtræ olivetanæ, dum in Principe Baſilica Neapolitana die cineralium pro concione labores finiſſet, vitam quoque finiens, omnium civium opinione Sanctus. *Ex Lancelloto.*

Gregorius à Virneburg Abbas S. Martini Trevir.

Ponit eodem anno exuvias mortalitatis Gregorius à Virnenburg Sancti Martini Trevirenſis MonaſterijAbbas ſuffraganeus Archiepiſcopi & Electoris Trevirenſis, *Vir*, ut ejus loci Annales memorant, potens verbo & opere, pro Religione Catholica, miro fervore laborans & pugnans, cum 15. annis Monaſterio utiliſſimè præſtitiſſet, pridie Jduum Junij extinctus.

JESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXXVIII. Sancti Patris Benedicti M. XCVIII.

REdivivus revera Benedictus in Chriſtianiſſimo Galliarum Regno, & Fulienſi inprimis Cœnobio, ſub hunc ipſum annum, ſi uſpiam aliàs à tot ab obitu Magni Patriarchæ ſæculis, ſe prodidit, & reipſa comprobavit. Joannes Barrerius, primævo Spiritu ſuccenſiſſimus, cùm nullis apud pleroſque ſuorum precibus quidquam efficeret, ut ab honeſta quidem, laxiore tamen, quàm ſanctiſſima requireret Regula, ad ſtrictiorem eoſdem vitam perſuaderet, acceptâ ab Romano Pontifice licentiâ & benedictione,propalatâ paſſim ſanctâ ſuâ intentione, plurimos undecumque eodem concitatos

V. Joan. Barrerij merita.

tatos spiritu sibi aggregat, provisioneque in diversis alijs Cænobijs facta & ab Abbatibus Ordinis licentia impetrata, delicatulos illos in alijs Monasterijs accommodat, affluente paulo post virorum lectissimorum copia, mirificè sibi de tanto ductore gratulantium, quibuscum concorditer convenit, de Regula Sanctissimi Patriarchæ Benedicti, absque ulla prorsus exceptione, ad amussim strictissimè observanda. Dictum, factum, nec multo post famâ tantæ Reformationis longè circumdatâ, velut à vehementissimo cœlitusque immisso incendio, plurimi quamprimum etiam remotissimè positi, mirabiliter correpti, eodem omninoSpiritus fervore ferventissimè exarsêre, nec Religiosi solùm, sed & sæculares & delicatissimi omnis generis innutriti delicijs juvenes, cœleste hoc Jnstitutum certatim exambirent, summaque complecterentur devotione & Generositate. *Ex Vita ejusdem, & Philippo Malabayla.*

Regula S. P. N. ad amussim observanda

Memorabilis ad omnem æternitatem Historia.

Rursus illustrissimo & admirando in omnem æternitatem exemplo, quadraginta ex Ordine nostro Martyres, Cænobij Magiensis in Hibernia Monachi, Sanguinem suum Fidei Ortodoxæ subsignandæ constantissimè impendunt, & sacratissima oblatione Cœlum lætificantes, felicissimâ sancti Sanguinis purpurâ Regnum Hiberniæ exornant. Fuerunt hi fulgidissima lectissimæ familiæ nostræ Cisterciensis sydera & densissimas superioris sæculi atque huius ipsius anni nebulas ac tenebras, admirando sanè fulgore mirificè illustrârunt. Nam cùm sacrilega Hæreticorum manus, sub impio & crudelissimo fœdissimæ Jezabelis Elisabeth Anglorum Reginæ imperio, in eorum Monasterium grandi cum furore irrueret, ipsi concursu ad templum facto, ante Venerabile Altaris Sacramentum procumbentes, hostemque in facie sui Ducis & Regis generosè expectantes, intrepidi eorumdem se gladijs objecerunt, seséque invicem ad mortem fortiter pro Christo subeundam invitantes, capitis obtruncatione vitam mortalem terminârunt. Accidit tunc res inprimis memoranda, & ut gravissimis subnixa auctoritatibus & vulgo decantatissima, ad omnem posteritatem haud immerito studiosissimè commendanda. Placet ex Henriquezio ut habet transcribere. Dum ista in Monasterio fierent, erat foris ejusdem Cellerarius, quibusdam negotijs occupatus, & reversus est eodem quo Hæretici recesserant die domum. Videnque Cænobium desolatum multum confusus, neminemque inveniens in Monasterio, suspicatus est ibi fuisse Hæreticos. Ubique scrutatur, donec tandem omnes fratres suos sanctos invenit humi stratos, proprioque immersos sanguine, Chorumque tanquam pelagus quoddam cruore exundantem. Quos videns cœpit eorum vicem dolere: oculi ejus lachrymarum imbrem fundebant, quo sancta corpora madefaciebat. Cœpit præ tristitia exclamare, & licet sciret illos magna in Cœlo frui gloria; tamen nullam admittere consolationem poterat. Recordabatur tunc esse Vigiliam Assumptionis sanctissimæ Virginis; cumque videret illam celebrari non posse, ut quotannis fieri solebat, flexis genibus dixit: *Nostri Virgo purissima, unica Domina & Protectrix nostra, quanta sollicitudine, quanta devotione & diligentia, semper & tibi servierunt in hac domo, & celebrarunt omnia tua festa. Cur ergo permittis, ut tanta solemnitas, qualis ista est, negligatur hoc modo?* Hæc multis cum lachrymis & suspirijs protulit, quod magis Festum negligi, quàm Fratrum mortem doleret. Dum sic oraret, audit pulsari Monasterij campanas, licet nemo illas accederet vel tangeret, & videt sanctorum Martyrum corpora surgere, & quodque suum caput humo tollere, & corporibus imponere. Quo facto ad sedilia sua vadunt, & Abbas Vesperas, cæteris prosequentibus incipit; tanta cantus dulcedine & suavitate, ut potius Angeli, quam homines viderentur. De tanto successu, & tam raro miraculo valde miratus est Cellerarius, & tam cantus dulcedine captus est, ut apud se non esset. Magna cum gravitate & mora absolverunt sancti Vesperas, quibus absolutis rursus mortui sunt, & in eumdem statum redierunt. Miraculum hoc multis innotuit, & multi supersunt in Hibernia, qui illud evenisse meminerunt, potestque inter rarissima, quæ unquam in Catholica Ecclesia contigerunt memorari, sed ut Deus hominum

40. Martyres Magienses.

Generosè mortem expectant.

Preces Oeconomi pij.

Redivivi Vesperas de B. M. V. celebrant.

minum necessitatibus se accommodat, cùm videret Hibernos in Fide sua vacillare; voluit, ut eos confirmaret miraculum hoc contingere. *Ita Henriquezius.* Addit Manrique, apparuisse in resurgentium singulorum gutture, circulum rubeum, eo loco quo carnificum gladius penetraverat, habuisseque coronas in capite & palmas in manibus, dum digniſſimas Reginâ Martyrum Vesperas, glorioſiſſimi hi Musici Martyres decantassent. *Ex Henriquezio, Manrique & aliis.*

Lambertus Abb. Gemblaci.

Jn inferiori Germania mortalibus eripitur, immortalibus jungitur Lambertus cognomento Hanquart, Cœnobij celeberrimi Gemblacensis meritiſſimus Antistes de quo, ut nos fileamus Epitaphium loquatur.

Hèic jacet.

Epitaphium.

R. D. Lambertus Hanquart hujus loci Abbas, qui cùm Viginti uno ferè annis præfuisset, & non pauca sanctioris Vitæ probatæque prudentiæ testimonia posteritati reliquisset, è Vivis excessit anno Domini 1578. *Mensis Augusti* 28. *die. Orate pro eo.*

Symbolo usus fuit: *sola manet Virtus.* Vixit sub eodem, eodemque hoc anno mortuus est Joannes de Pastura locis hujus Prior, Vir Religiosus & eruditus, scriptor insignis, qui talia inter Commentarium in Psalmos & Cantica Canticorum edidit, sed & in Canonem Missæ similiter scripsit. Obijt 27. Decembris. 1578. Quo ipso anno carne similiter solutus est, Quirinus Dovillet, Abbas Lætiensis immediatus & digniſſimus sanctæ memoriæ Ludovici Blosij successor; inter præcipuos hujus sæculi viros, haud immerito habitus, & omni posteritati commendandus.

Joannes de Pastura Prior Gemblac.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXXIX. Sancti Patris Benedicti. M. XCVIIII.

Iterum Cœlo Empyreo lucidiſſimum mittit sydus Ordo noster, è sanctiſſima Congregatione suaCamaldulensi in Jtalia, sanctæ memoriæ Romualdum Fabrianensem, Montis Acuti perfectiſſimum Monachum, eâ sanctâ simplicitate virum, præter egregias alias virtutes, ut laudatiſſimo illi in Vitis Patrum, Paulo cognomento Simplici, jure merito compararetur. Fuit autem revera omni quasi humana sapientia destitutus, sed Divina pleniſſimus omnem humanam familiaritatem, & commercia fugiens, totus Cælo intentus, inque Divinis absorptus hominis verè mundo mortui miraculum. Puritatis præterea extitit Angelicæ, Humilitatis maximæ, obedientiæ perfectiſſimæ, silentij ſtrictiſſimi, tantæque innocentiæ, ut planè crederetur, nunquam in omni vitâ mortaliter deliquisse. Captus aliquando à latronibus & arbori alligatus, morte ipsi intentata, eâdem tamen mente & fronte sibi constitit, in hæc ipsa liberrimè & securiſſimè erumpens: *Facite mecum quantum DEUS permittit*, inquit, *mihi enim idem, sive hodie mori, sive die crastina.* Patientiâ quàm maximè enituit; orationi jugiter intentus, jugiter sanctè fuit occupatus; sereniſſimo semper vultu, semperque hilaris in ipsa etiam morte, visus absque dolore & horrore, quasi ridens sanctam efflare animam. Decessit X. Cal. Novembris. Vitæ Monachicæ anno quinquagesimo sexto. *Ex monim. Camald. August. Florent.*

V. Romualdus Fabrianensis.

Alter Paulus Simplex

Ejusdem resignatio.

Mortalitatis eodem anno exuvias reliquit, insigne Ordinis decus Triſtandus de Bizet ex Abbate sancti Nicolai in Bosco Sanctonensis meritiſſimus Episcopus, Vir non minus vitæ inculpatæ perfectione, quàm singulari eruditione cultiſſimus Mecœnas Studiorum & Studiosorum liberaliſſimus, vixit annos octuaginta, mortuus sexto Jduum Novembris. *Ex rer. Gall. Script. Chenu. Cl. Roberto &c.*

Obijt Triſtandus Episc. Sanctonj.

Extinguitur item, multo bonorum omnium luctu, insigne Ordinis decus Thomas de Parentij Abbas celeberrimi Sancti Vedasti in Urbe Atrebatensi Monasterij, à puero sanctiſſimo Patriarchæ nostro Benedicto devotus & creditus, atque ab ipsomet Auguſtiſſimo Cæsare Carolo Quinto, ad Cœnobium adductus & Abbati commendatus; jam tunc singularis modestiæ & maturitatis præferens speciem, ut ad regendum natus videretur. Vir fuit omni virtutum genere ornatiſſimus, magnæ authoritatis, promotor insignis disciplinæ Monasticæ & Reformationis: Cui hoc ipso anno succedit Joannes Saracenus Atrebatensis, summâ populi senatusque gratulatione, electus, de quo ita Ferreolus Locrius: Fuit

Thomas de Parentij Abb. Vedast

Joan. Saracenus Abbas elig.

Saracenus, acerrimi judicij, præstantis doctrinæ, & ab ipsa velut natura ad summa factus. Accedebat vultûs, & corporis dignitas, gratia mira in dicendo, in donando Regia liberalitas. Jllum Philippus Rex Secretioris Consilij Senatoribus accensuit, & postmodum, sede Cameracensi per obitum Jllustrissimi Domini Ludovici de Berlaymont vacante, ejusdem loci Archiepiscopum nominavit &c. *Hucusque Locrius.*

Memorabile omnino ad omnem æternitatem exemplum, magnis inprimis Principibus singulariter attendendum & observandum, quod hoc ipso anno in Henrico Cardinale, ultimo Lusitaniæ Regum nimis quàm apertè se prodidit, & futurum esse Mellifluus Doctor noster Bernardus, tanto antè in prima Alcobacensis Cænobij Fundatione, Fundatori ipsi, Alphonso I. Portugalliæ Regi, in sua, quæ usque hodie ad perpetuam rei memoriam, extat ad Regem scripta Epistola, his ipsissimis Verbis prænunciavit: *Resci-vimus etiam*, inquit, *ingentem pietatem, quâ commotus, votum de ædificando Cænobio, Altissimo devovistis; quapropter mittimus hos filios, quos lacte doctrinæ, ab incunabulis Religionis, Christo nutrivimus, quo minus nos ipsos Celsit. Væ. commendantes, piam voti intentionem, ad debitam executionem perducant; illud contendentes Monasterium, in cujus duratione & integritate, indelebile habebitis elogium Regni Vestri; & in divisione redditiuum, dividetur à Vobis Corona Vestra, &c.* Ita peccatum hoc ipso anno ab ultimo Regum Lusitaniæ Henrico Cardinale, hoc nimirum anno, ad Regnum evecto, cum Priore Sebastianus Rex imperes, in Africa cum hostibus congressus, in acie occubuisset: illo rerum plenè potito Alcobacensis Cænobij redditus dividente, & partem Abbatiæ in Commendam dante, partem aliam Conventui reservante: vix duo anni, aut ne vix quidem elapsi sunt, cum morte ejusdem Henrici, ac defectu successorum, Regnum, cui hactenus Lusiadæ imperassent, nec origine tantum, verùm ortu, & victu, linguaque Castellanis Regibus accessit, hæreditario jure possidendum. Ut mirum omnino sit, ex mille ejusmodi exemplis, [quasi fortuita, & non destinata Numinis voluntate & ultione essent] nihil emendationis sequi, cum nonnemo sedulus hujus ipsius rei observator, ex multorum decursu sæculorum observaverit quàm distinctissimè, vix ullius familiæ seu Regum, seu Principum, Comitumque & maximè Cænobialium Advocatorum, extinctionem, quàm in ultionem oppressæ Ecclesiasticæ Libertatis, suadente vel propria libidine & licentia, vel Ministrorum, suprema jura Principum, necessitatem boni publici, & figmenta alia allegantium, Monachis sufficere Juppam & Suppam impiè contendentium impietate evenisse: quasi sacrilegia ludus & lusus esset, & Deus fictus aut pictus, obtentui Monachis ansam præberet, Verus autem bonorum, nostrorum, non indigeret, Principibus in extremam tractis pernitiem, in familiæ totius eversionem & deletionem, atque utinam non in æternam quoque damnationem; qui Religiosis vel fundata à Majoribus bona, vel jura quæcunque abstulissent. Cujusmodi exempla multa, hoc Lusitanico multò recentiora, nec minus, oculos in Dei manum intentos habentibus compertiora, hucusque habuimus, atque utinam non etiam hodie haberemus; qui talium, consiliorum, Architecti, dum pessimè suis Dominis consulunt, Judiciorum Dei prorsus immemores, *Securè* interim [verba Caroli Saussei sunt] *præstolantur iram DEI.*

Prædictio S. Bernardi impleta.

Unde Reg. ut Lusitan calamitas!

Deus ultor suppressionis Monasteriorum.

Exempla quotidiana.

Balthasaris à Dernbach Fuldensis Abbatis & Principis, incomparabile moderationis & patientiæ exemplum, qui dum rerum Ordinis & solidæ reformationis toto corde satageret, impiorum refragatione, eò adactus est, ut nuspiam securus, exilio lueret pietatem, eò rem adigentibus adversarijs, ut Rudolphus Jmp. multis agitatis super Fuldensi causa consilijs, dum controversia magis liqueret, sequestratu Ditionem regendam statueret. Pro in Religiosissimus Abbas hoc anno in arcem Bibersteiniam secesit, & moderationis, patientiæ, hospitalitatis officijs indulgens doctrinæ pietatisque studijs, ita se totum tradidit, ut in summa, ac diutura vacatione, otij parum, negotij ei plurimum supereresset. Sciscitanti, ecquo tandem animo ferret, qui lædere voluisset neminem, prodesse

Balthasaris Abb. Fuldens. Patientia.

deſſe autem ſuis vel maximè, tamen odia non evitaſſet, & Principatu ac honore ſimul excidiſſet? Reſpondit: *Illius temporis venire in mentem, cum nec Princeps, nec Abbas fuiſſet.* Et DEUM adhuc plus ſibi, quam optârat, reliquiſſe, Cauſam quidem ſuam, hortante conſcientia non negligere, & inimicorum nemini ſolitum iraſci. *Ex Chriſt. Browero.*

Inſigne ejus dictum.

IESU CHRISTI ANNUS M.D.LXXX. Sancti Patris Benedicti Milleſimus Centeſimus.

STupendum omnino Reformationis genus, quod DEO ſecundante, imo concitante, cujus *ſolius eſt mirabilia facere*, ſuſcepit ſanctæ memoriæ Joannes Barrerius noſter, ad confuſionem eorum omnium, qui diſſimulantes *adhærere* ſibi *Sedem iniquitatis*, *fingunt laborem in præcepto*, nec tempori nec hominibus hodie conforme eſſe aſſerentes, quod eſt ex Regulæ Inſtituto, ad confuſionem, inquam, eorum, qui terrena & ſecundùm carnem ſapiunt: cùm jam aliquamdiu ſanctiſſimam Regulam noſtram ad amuſim cum ſuis obſervaſſet, concitante vehementius ſanctam ejus mentem Divino Spiritu ad ulteriora accenſus, convocatis ad ſe Fratribus ſimili fervore accenſis, expertiſque jugum Domini ſuave & onus ejuſdem verè leve eſſe, ſciſcitatus paternè eſt: placeretne continuare ſuſceptum ſemel vitæ rigorem, an adaugere, & pro eo quod olim & ipſi neglexerant, & negligere toto orbe Confratres ſui Benedictini pergerent, Numini ſatisfacere, anteactæque vitæ etſi ſeram, ſeriam tamen pœnitentiam agere. Placuit omnibus, ſingulis ſeſe ad ea quæcunque Inſtitutori & Parenti placerent ſuo, offerentibus. Res miranda! Propoſuit dura admodum & atrocia in ſpeciem Barrerius, communi nihilominus aſſenſu applauſuque juvenum æquè ac ſenum, nobilium æquè atque ignobilium acceptata, & mox practicata. Aſperitatem proin vitæ maximam, invocato DEI adjutorio, cum ſuis omnibus ac ſingulis Generoſiſſimo animo aggreſſus, in qua præibat ipſe alijs exemplo, perpetua corpus ſuum cruce configens, ſequentia in uſum quotidianum, & quoad viverent perpetuum induxit. In victu quidem perennem & continuam, non ſolùm juxtà Regulam à carnibus, ſed etiam ovis, piſcibus, vino, oleo, ſale abſtinentiam, cum jejunijs juxta Leges Sanctiſſimi Patris noſtri BENEDICTI ita ſine intermiſſione ſevereque continuatis, ut in eorum decurſu, neque dies Dominici, nec ipſe Domini Natalis, exciperentur, ac nihil prorſus Veſperi, ne aquæ quidem ſtilla ſumeretur. Quin etiam ſublato menſarum uſu, Fratribus humi ſedentibus, quaſi perpetuam in pœnitentiam, pro menſa, ſolum eſſet. In veſtitu lanam, nullâ ſubjectâ ſubuculâ, cuti proximam, & perpetuam crurum, pedum & capitis nuditatem. In cubitu nudam ſine ullo ſtramento tabulam, aut ipſum ſolum, ſive cæmento incruſtatum, ſive coctis lateribus conſtratum. Quem quidem vitæ rariſſimum rigorem, dici vix poteſt, quanto ardore, quantoque fructu plurimi paulo poſt ſint amplexi, ijdemque ita à Numine roborati, ut multo majora ſibi injungi expeterent; multi triduum aut quatriduum in hebdomade, diebus partim continuatis, partim interpolatis, nihil omnino cibi & potûs deguſtarent, cùm tamen labori minimè parcerent, Aliqui eorum per idipſum tempus, diebus Feſtis, ad oppida & caſtella, quinis aut ſenis paſſuum millibus à Monaſterio disjuncta, ſacras Conciones unam in uno, alteram in altero oppido habituri excurrerent, nec tamen quidquam cibi aut potûs, vel in illis oppidis, vel in via attingerent, ſed integram famem ad panis gregarij, & olerum cœnam aridam, veſpere, aut etiam nocte in Cœnobio apponendam reverſis, reſervarent. Ut non tam in Barrerio ſolo *Redivivum BENEDICTUM*, quàm in toto ejuſdem Monaſterio, quin & paulo poſt in Congregatione ampliſſima, in ſingulis Monachis BENEDICTOS REDIVIVOS admireris, imo in ſingulis abſolutiſſimam non tam imaginem Sanctiſſimi Patriarchæ noſtri Benedicti, quàm ſpiritum & animam venereris, obſtupeſcente meritò, ad tanta Numinis miracula in fragili homine, ſæculo tam obſcuro quam perdito, & DEI ſolius manum & gratiam in hiſce ſervis agnoſcentibus. *Ex Philippo Malabayla, Henriquezio & alijs.*

Labor B. Joannis Barrerij.

Mirâ omnino Numinis grâtia.

Verè Redivivus in Barrerio S. P. N. eſt.

Sancti ejuſdem conatus.

Stupenda prorſus Reformatio & ſucceſſus.

Ipſo

Ipso anno glorioſiſſimo fine vitam ſanctiſſimè exactam coronat Beatus Gelaſius Oculinar Abbas Boylenſis, ſingulare ſacræ Familiæ noſtræ Ciſtercienſis ornamentum, ſæculi noſtri ſplendor, Ordinis noſtri decor & totius Britanniæ gloria: Is hoc eodem anno ab Hæreticis comprehenſus, graviſſimis, tormentis pro fide Catholica excruciatus eſt. Summos honores, & dignitatum cumulos, intérque alia Archiepiſcopalem Cathedram, totius Provinciæ Conatiæ Dominum, ſi ſibi annueret Regina pollicente, conſtantiſſimè omnia rejecit, & contempſit. Quapropter poſt multa & gravia tormenta in carcere poſitus, & tandem mortis ſententiâ in ipſum prolatâ condemnatus eſt, & ad locum Martyrij optatum deductus ignominiosè, per plateas hominum concurſu undique circumdatas, ut tanti Patris Benedictionem ac doctrinam ſibi cælitus traditam acciperent. Ubi per totam viam incedens, tanto fervore ac Divino Spiritu populum eſt alloquutus, tantumque terrorem & admirationem Hæreticis incuſſit, ut quingentos homines, dum ad patibulum duceretur converterit. Paſſus eſt cum Monacho ſocio, & ſuſpendio ſublatus atque in quatuor partes diſſectus undecimo Cal. Decembris in civitate Dublinenſi, inſigni miraculorum gloria poſt mortem à Numine illuſtratus. *Ex Martyrol. Hibernico, Auberto Miræo, Chryſoſt. Henriq. Ang. Manrique &c.*

B. Gelaſius Oculinar Martyr.

Admirabilis ejus Generoſitas.

Floruit & alijs ſub hoc idem tempus in Hibernia Gelaſius Ordinis noſtri Abbas, ob integerrimam vitæ famam, celeberrimus, ſimpliciſſimæ innocentiæ Vir, cujus præſtantiſſima merita, multis & admirandis miraculis, omnibus innotuerunt. Ex quibus illud ſingulare commendatur: Cùm Nobilis quidam opulentus, ut mortuis parentibus bene precaretur, largam eidem eleemoſynam mitteret; & is pecuniæ ſummâ acceptâ illico provolutus in genua, Pſalmum *De profundis* devotiſſimè recitaret; ſubridente, qui miſſus erat, famulo, & ſe millies pro tanta pecunia orationem ejuſmodi recitaturum jactante; Vir ſanctus nequid ſcandali pateretur craſſæ Minervæ homo, pſalmum illum in chartula deſcribens, ex adverſùm pecuniæ, bilanci appendit, & illius pondere prodigioſo, argentum velut ſtipulam elevavit & excuſſit. Incertum quo anno vita exceſſerit, dies tamen ſextus Iduum Martij ejus memoria celebris habetur. *In Menologio Benedictino.*

Ven. Gelaſius alter à ſuperiore.

Floret hoc eodem tempore Reverendiſſimus B. Angelus de Victoria, Generalis ſanctiſſimæ Reformationis & familiæ noſtræ Ciſtercienſis in Hiſpania; non tam nomine, quàm reapſe Angelus, terrenorum omnium contemptor generoſiſſimus, etſi ipſe illuſtriſſimo Genere ortus ſui tamen ipſius contemptu nobiliſſimus, divitias & delicias omnes quibus in ſæculo frui poterat toto animo aſpernatus. Fuit alloquio ſuaviſſimus & gratioſiſſimus, in corrigendo diſcretus, in providendo ſollicitus: in charitate erga infirmos præcipuus, quos quotidie viſitare ſolitus erat & paternè conſolari; ipſe jam Abbas ejſdem inſerviens, lectulos ſternens, & ſordida emundans. Creatus Reformator Generalis, totò corde in id munus incubuit, omnibuſque omnia factus, verè Patrem ſe cunctorum eſſe comprobavit. Negotia omnia mira cum patientia & ſollicitudine tractavit. Officium Divinum, cùm choro intereſſe non poſſet, multa cum devotione, & ferventibus lachrymis, ſemper flectens genua recitavit. Humilitatis ſtudio plurimùm enituit, cujus alia inter inſigne hoc fuit, Ad ipſum familiariùs in omni negotio quidam magni nominis Princeps ſolebat recurrere, inciditque in ipſum tunc fortè famuli inſtar culcitrâ ad egrotum ferendâ occupatum, neſciens Generalem Ordinis eſſe, idque reſciens moxque accurrens rogando enixè ut onus deponeret, ſuiſque miniſtris cederet. Sed ille, vilia officia nunquam Monachum dedecere reſpondit, nec Principi, qui ſe chriſtianum profiteretur, ea debere eſſe contemptui: non paſſurum proinde ab alio juvari in culcitra ferenda pro ægroto, niſi ab ipſo Principe, quod ea re Chriſto Deo ſerviretur. Quo audito Princeps, humilitatem tanti viri admiratus, & ipſe culcitræ partem humeris impoſuit, eamque ad infirmi Monachi cellam portavit, ubi cum ipſo Patre lectulum concinnavit. Multis in Religione annis exactis & pro ea magnis exantla-

Angelus de Victoria Generalis.

Mira ejuſdem pietas.

tis

tis laboribus, in morbum denique incidit, vitæque suæ terminum adesse sentiens SS. Ecclesiæ Sacramentis muniri expetijt, ijsque incredibili devotione perceptis, in lectulo prostratus in genua, psalmum *In Te Domine speravi &c.* exorsus, & ad verba illa *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum* prosequutus, cum dicto felicissimi in manus Creatoris sui expiravit, cœlesti quamprimum lumine cellam mirè illustrante, & stella lucidissima supra domum in qua sic obdormierat, Patribus Augustinianis qui in Vicino habitaverant, apparente. Ejus à morte facies serena admodum & rubicunda ac verè Angelica apparuit, magno quamprimum concursu populi facto, ut sacrum viri corpus contuerentur supremum & venerarentur, omnibus ex vultu ejusdem, de gloria in cœlis facile ominantibus. *Ex Vita ejusdem Msta.*

Mors ejusdem beatissima.

Lambertus Abbas Blandiniensis.

Moritur sub hoc idem tempus Lambertus illustrissimi prope Gandam in monte Blandinio Cænobij Abbas, vir præstantissimus, & eximijs magni animi dotibus præditus, in fornace tribulationis excoctissimus, ab Hæreticis misere exagitatus, qui & pulcherrimum ejusdem Monasterium in cineres redegere, quod tamen deinceps ille, postquam diu profugus & exul, ad sacrum Casini montem se contulisset, inde reversus præclarè restituit, reductisque exulibus filijs, insigni inducta reformatione, immortaliter meritus felicissimè in Domino requievit. *Ex monimentis Blandinienſibus.*

Marcus del Varrio.

Decedit hoc ipso etiam anno Beatæ memoriæ Marcus del Varrio Abbas Palaciolensis, & ipse Ordinis in Hispanijs aliquamdiu meritissimus Reformator, varijs & in vita & à morte signis à Numine illustratus & commendatus; cujus celebrantis ad aram capiti cœlestis aliquando flamma insidere visa est. *Ex Msto. Hiſpanico.*

Claret Pius Casinas ex Illustri Lotheriorum familia Juris Civilis & sacri gnarus creatus à Greg. XIII. Fundanus Episcopus.

IESU CHRISTI ANNUS S. M.D.LXXXI. Sancti Patris Benedicti. M.C.I.

Moritur Ven. Ludovicus d' Estrada.

INgens atque illustrissimum terris sydus hoc anno terris eripitur, cœlis inseritur Sanctæ memoriæ Ludovicus d' Estrada, verum sæculi hujus miraculum, de quo jam sæpius supra, etsi nunquam satis, si libri hujus permitteret intentio. Et verò etiam si conaremur: *Quis* enim, inquit, *Henriquezius, admirabilem concentum Virtutum ejus, pro dignitate commemoret? Quis ineffabiles, ut ita loquar, doctrinæ & sapientiæ opes? quibus eum DEUS locupletavit; cœlestia dona quibus eum ornavit explicet? Quis eximiam animi demissionem, invictam patientiam, amabilem mansuetudinem, prudentiam singularem? Quis mentis robur in his quæ difficilia sunt pro DEI amore suscipiendis? Quis præter DEUM enumerare posset, quot ille animas, ex vitiorum cæno & ex ipsis portis inferis revocârit? Quæ vitia ex tot civitatibus & provincijs, re & nomine Apostolicus Prædicator eradicârit? Quot perditorum hominum animas sacris suis concionibus, ac sanctissimæ Vitæ exemplis, ad æternæ salutis iter reduxerit? Qua quidem tanta virtutum fragrantia, ac rerum Divinarum luce, undique refulgente, quid mirum, si invictissimi Regis Philippi, ac tot virorum Principum animos, voluntatesque adeo sibi devinctas haberet, ut quidquam majoris momenti, eo non annuente peragere, irreligiosum esse putarent, &c.* Hucusque citatus, fuit orationis studio deditissimus, in quam dum ferventius incumberet, Divinis sæpius splendoribus circumfusus, & Angelicis spiritibus cingi visus est. Vita excessit 2. Die Junij, magno bonorum omnium, & Regio luctu, sed & communi omnium Societatis Jesu Patrum, quorum Auctori S. Jgnatio erat charissimus & singularis Societatis præfatæ assertor inconsolabiliter deploratus. *Ex Petro Calzolario, Auberto Miræo, Nicolao Orlandino, Henriquezio &c.*

Ejusdem singulare encomium.

Divinis Splendoribus circumfusus.

Supremus hic etiam annus est Venerandæ & immortalis memoriæ Viro Jacobo Billio Abbati S. Michaelis in Eremo Diœceseos Lucionensis Monasterij, de re litteraria meritissimo. Hic ex Nobilitate Carnutensi trahens originem, Guisiæ natus est, proximo Atrebatum & Hannonum finibus oppido, quod Ludovicus pater ejus homo strenuus & spectatæ in Bello solertiæ & felicitatis tunc temporis nomine Franciſci I. Galliarum Regis gubernabat, A puero litterarum studijs deditus, in omnibus egregiè se exercuit,

Jacobus Billius Abb. S. Michaelis.

cùit, ita ut inexplebili cupiditate ad altiora semper anhelaret atque exardesceret; eò denique progressus, ut & Rempublicam Christianam universam, insigni ingenij fœtu demereretur, & gloriam sibi compararet sempiternam. Plurima enim ex Damasceno, Chrisostomo, Basilio cæterisque sanctissimis Divinæ Legis interpretibus, ac potissimum ex illo singulari Scriptore Gregorio Nazianzeno, qui Theologi nomen est meritus, doctissimè fidelissiméque transtulit, sed & plurima suiipsiusmet ingenij monimenta reliquit. Eo autem in omnibus vigore tanquam ad scopum sua omnia direxit, ut Dei gloriam Catholicæque rei gloriam & firmamentum quæreret, cætera omnia tamquam fluxa & caduca generoso animo despiciens, talentis sibi à Domino creditis, usus est ad Domini intentionem. Familiarissimum habuit miraculum sæculi hujus Jllustrissimum Gilbertum Genebrardum nostrum, Archiepiscopum & Patriarcham Aquensem, apud quem Lutetiæ, dum parùm firma valetudine hospitatur & Gregorianæ versionis nuper à se recognitæ editionem meditatur novam, sub exitum anni 1581. phtisi extinguitur anno ætatis 48. sepultus ad fanum S. Severini. *Ex Mstō. R. P. Antonij de Scela &c.*

Dei gloriæ promovendæ ardens.

Antverpiensis Urbis gloria singularis, cætera splendidissimæ, nitidissima è gemmis Vivis gemma, Joannes de Mechlinia Sancti Salvatoris ibidem Abbas ad supera accersitus. Præsul vitæ integerrimæ, Jmmaculatæ Virginis Dei Matris Mariæ cultui longè addictissimus, hospitalitate & benignitate Benedictina longè celebratus, virtutis pietatisque odore omnibus amabilis, cùm triennium solummodo præfuisset, laboribus eximitur & ad requiem æternam evocatur. *Ex monim. ejusd. Cœnobij.*

Joannes Abbas S. Salvatoris.

Ad gaudia Angelorum sempiterna pro vitæ meritis evocatur, Sanctæ memoriæ P. D. Apollinaris à Bauuco Asceta sacri Montis Casini, qui ab adolescentia sua sub Lauro sive Laurentio Abbate Monasticen professus & sanctè institutus, exin vitam potius Angelicam quàm humanam duxit, per triginta annos & Decanum & Magistrum Novitiorum agens, eruditione non minùs fulgens quàm sancto vitæ exemplo. Obijt denique hoc anno quam felicissimè in Vigilia S. Joannis Baptistæ dum in Missa hymnus Angelicus gloria in excelsis Deo cantaretur. *Ex monim. Casin. per Placidum Rom.*

Nec minor fama & reipsa Joannes alter, inferioris item Germaniæ gemma S. Martini Tornacensis Abbas, familiæ Jllustri de Quesne, ipse longe illustrior omni Virtute cultissimus extitit, ab insigni animi integritate, frugalitate sive sobrietate, & prudentia commendatus. Fuit admirabili erga pauperes misericordia & munificentia, imò in omnis generis homines adeo erat beneficus, ut neminem tota Urbe Tornacensi reperires, qui ejus beneficentiam non expertus, solemniter deprædicaret. Multa à Geusijs expertus & perpessus, patientiæ meritis, & constantiæ Trophæis illustrissimus, felicissima morte carne solutus est, post Majoris Missæ Officium in Choro, & inter Divina officia, à quibus nulla negotiorum mole, abstrahi se patiebatur. *Ex Monimentis ejusdem Cœnobij.*

Joannes Abbas S. Martini Tornacensis.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXXXII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. II.

Res admiranda! quanto deteriore in mala omnia præcipitio prolabitur hoc sæculo solutus in omnem licentiam, exemplo & prædicatione invalescentium Hæresum & Hæreticorum infelix mundus, tanto valentius invalescit apud nostros mundi detestatio & contemptus viris non solùm generis nobilitate præstantibus, sed & juvenibus delicatissimis, Barrerij nostri rigorem ambientibus & amplectentibus; tanto quidem ad ipsum ejusmodi candidatorum confluxu, ut paulo post ducentos in suo Fuliensi Cœnobio Religiosos numeraret; omnes unan miter, absque ulla contradictione, ejdem arctissimæ disciplinæ ultroneè deditos, omnes revera non tam Confessores, quàm Martyres, & quidem gravi & diuturno Martyrio sese Numini immolantes & quotidie consecrantes. Jn quibus manifestè Deus, suæ potentiam dextræ mundo exhibuit, dum, quod alias carni intolerabile videbatur, adeo suis servis, tanta alacritate sibi servientibus dulcoravit,

V. Joan. Barrerius & numerus suorum & meritis adjungetur.

ut

ut in seipsis damnarent, non duriora & acriora pati, ita ut retinendi à Barrerio & subordinatis Superioribus essent, ne nimirum jejunia extraherent, seque totos exhaurirent & conficerent. Et quis imaginetur satis tantos ab hoc rigore in Spiritu profectus? quis solatia illa Divina? quis Virtutum exercitia? ut facile hinc animadvertas; quantas à Numine accipiant gratias, qui ultro & sponte omnem execrantur carnis & propriæ voluntatis licentiam, sanctissimæ Regulæ agnoscunt jugum suavissimum; nulli unquam Religiosorum durum, quam qui post solemniter devotam Numini & Superioribus voluntatem, eamdem audent resumere: eo ipso quamprimum vindicem Numinis gladium experti, & ex Paradyso Voluptatis ejecti; in quo tam dulciter sese versari Fulienses experti; quanto plus abstinuêre à solatijs, potu & escis temporalibus; tanto magis perfusi sunt Paradysi voluptatibus, in ipsum etiam corpus redundantibus; ut etiam quibuscunque contuentibus hilaritas eorumdem, generositas, & vigor, admiranda apparerent. *Ex Philippo Malabayla & monim. Fulienſium.*

Spiritus & sanctitas Fulienſium.

Exempla alia patientiæ Martyrum proximæ hoc ipso producenda ex Ordine infinita essent, quibus DEUS perditissimo hoc & turbatissimo sæculo suos strenuè exercuit, & instar Job in persecutione tot Hæreticorum, in Gallia, Germania, Anglia probavit; unicum unius fœminæ, eo generosius, quo infirmiore in sexu memoremus: Hæc fuit Anna cognomento Toschel, Abbatissa Ordinis nostri Rigensis in Livonia, quæ admiranda prorsus constantia, fide, & patientia cœlo terrisque se probans, inter juratissimos Romanæ fidei hostes, DEO promissam Virginitatem constantissimè servans inviolatam, innumeris tribulationibus exercita, exemplar solidioris patientiæ plusquam virile universis exhibuit, insuperabilis inter tot cerberos infernales animi incomparabili magnanimitate. Quæ cum triumpharet quotidie de insultantibus omnibus, à nemine triumphata, vetula admodum, à Divino procul dubio Spiritu & sancto Zelo vegetata, anno demum ætatis suæ centesimo & trigesimo, ad requiem & præmia vocata æterna, juventute Aquilæ renovari meruit, adscripta felicissimæ æternitati hoc ipso anno die 82. Januarij. *Ex Constant. Caiet. & Vita Typis vulgata.*

Exempla patientiæ in Ordine.

Anna Toschel abb. in Livonia.

Claret sub hoc tempus in Monasterio Casinate Joannes Evangelista Neapolitanus ex Illustri familia Morimiorum, cui revera uti Dilecto Domini Joanni, nihil curæ magis in omni vita fuit, quàm amor & honor Admirabilis Matris Virginis promovendus, cùmque ingenio valeret atque eruditione, illius insignibus relictis monimentis, alia inter scripsit librum sacri fervoris plenum de Laudibus Cœli Imperatricis. Psalterium item ejusdem elegiacè. Item patriâ linguâ de Laudibus Ejusdem DEI Genitricis. Commentarium item in librum Perihermenias Aristotelis. Item in Epistolas Pauli, & plura alia. *Ex libr. 2. Vir. Ill. Caſinatum.*

Moritur hoc ipso etiam anno, vir meritissimus & æternæ memoriæ Abbas Marchianensis Arnoldus Ganthois: inter alia merita, constructo celeberrimo & sumptuosissimo Collegio ad utilitatem studiosorum in universitate Duacena commorantium, verè immortalis, in cujus Collegij templo tanquam Fundator sepultus, in omnium studiosorum animis perennat. Ut mirari satis non possimus, brevissimo tempore in solo Belgio tot à nostris excitata Collegia, tantisque sumptibus & successibus promota litterarum & artium liberalium studia, dignaque referre gratias nostris posteri nunquam sufficienter possint, ob majorum æque ac posterorum totiusque Reipublicæ inde necessario consequentem utilitatem. *Arnoldus Duacenſis &c.*

Obiit Arnoldus Ganthois Abb. Marchia.

Florent in Belgio item inter litteratos Carolus Blendeque Atrebas prædicti Abbatis discipulus, Asceta Marchianensis, qui scripsit Historiam Quinquepartitam de Energumenis, alias item Historias memorabiles, transtulitque ex Latino in Gallicum sermonem Violam Animæ, Raymondi Sebonij, librum exquisitæ utilitatis: & Euticius Cordes Antverpiensis & ipse Belga, sed in Italia degens, Monachus sanctæ Justinæ de Padua, & ejusdem lectissimæ Congregationis Abbas, qui in Concilio Tridentino inter reliquos Patres

Carolus Blendeque M. eruditus.

tres haud minimum gloriæ retulit. Reliquit nonnulla egregij ingenij monimenta, eaque inter:

Commentaria in omnes Epistolas Sancti Pauli.

Commentaria in Symbolum Apostolorum.

Dictionarium Biblicum, & plura alia.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXXXIII. Sancti Patris Benedicti. M. C. III.

V. Placidus Fractensis.

VIvere sub hoc tempus in terris desijt sanctæ memoriæ Frater Conversus Placidus Fractensis ex Urbinate Principatu ortus, Montis Coronæ Monachus, Regularis vitæ observantia acuratiore præcipuus. Is naturali quadam gravitate præditus, statura procerus, corpore robustus, viribus corporis benè usus, eas in opere manuum quotidiano, & ad Cœnobij utilitatem quàm ferventissimè adhibuit. Litterarum rudis licet, ingenio tamen sagax, ac judicio præstans fuit. Silentij observantissimus, obedientiæ studium in præcipuis semper habuit. Oeconomiæ labores subire coactus, summaque alacritate aggressus, de Spiritus cura nihil prorsus remisit, sive iter faciens, sive manibus laborans, domi vel foris agens, Regularia jejunia, Congregationisque noviter susceptas panis & aquæ abstinentias, nunquam prætermisit. Denique in controversijs componendis speciale donum à DEO habuisse, omnes qui eum noverant, certum habuere: ideoque quoties inter paganos illos Fractenses aliqua jurgia nascerentur: *adeamus*, aiebant, *Fratrem* [sic eum per Antonomasiam vocabant] *& quidquid ipse dixerit, sequamur.* Vixit annos 78. in Religione 55. à viris perfectissimis sanctissimæ illius Reformationis maximi habitus, etsi miraculis claruisse non legatur, inter præcipua tamen Ordinis decora numeratus. De hoc Lucas Ruhensis: Quantum iste Religioni profuerit, si plenè ostendere velim; novo ac longo tractatu opus esset. *Ex Hist. Mont. Coronæ, Luca Ruhensi &c.*

Controversiarum felix diremptor.

V. Athanasius de Villa Gomez.

JN Hispanijs magnis efflorescit Virtutibus & signis sanctitatis R. P. F. Athanasius de Villa Gomez Monachus Nucalensis, qui postquam in assidua contemplatione, spiritus puritate, & carnis maceratione ac mortificatione Vitam sanctissimè traduxisset, exultans & laudans, incertum quo anno, animam in manus Creatoris exspiravit: ex cujus postea ossibus, odor suavissimus, omnium aromatum fragrantiam superans, & verè cœlestis erumpens, multis post obitum annis, reserato fortè fortuna ejus sepulchro totam Basilicam implevit, & insigni admiratione, uti & consolatione, universos qui aderant affecit & recreavit. *Ex Menol. nostro & Henriq.*

Grottanarum Reformatio.

Montis Coronæ possessione felices Camaldulenses nostri Reformati, vulgo Grottani, quem ante quinquennium donatione Illustrissimorum de Carrafa Comitum obtinuerunt, exinde Monachorum & Montis Coronæ nomen, ipso primum summo Pontifice Gregorio XIII. illud imponente, usurparunt. Floruitque deinceps novo fervore Ordo, & locus ipse ob sanctitatis famam, toto mox orbe deprædicatus, innumerâ paulo post peregrinorum multitudine frequentatus, imo ab ipsa DEIpara, singulari sua præsentia, honorari visus, quem magnis Gratiarum & Beneficiorum signis, gratissimum se habere comprobavit. Quantum autem inde in Ecclesiam ab exemplo Monachorum tam sancto atque mirabili fructus redundarit, redundetque usque hodie, ijs explicandum relinquimus, qui ad Montem aliquando illum inviserunt, & peregrinati sunt, cùm ad solam ejusdem ære vulgatam imaginem, sacro quodam horore, & Religione intuentium animi illico occupentur, & ad DEI & DEIparentis amorem ac laudes excitentur. Sed de viris sanctissimis & Illustrissimis Ejusdem sacræ Congregationis hoc ipso sæculo viventibus, consulendi *August. Florent. & Lucas Ruhensis.*

Magnus ab ea Fructus.

Hermannus R ve Abb. Laud.

Valedixit mortalibus hoc etiam anno Hermannus cognomento Rave S. Jacobi Leodiensis Abbas, à magnis Virtutibus celebratus, quem monimenta Cœnobij his ipsis Verbis celebrant: Vir admodum Venerabilis, pauperum, peregrinorum & ægrotantium consolator misericordissimus. *Ex monim. ejusdem Cœnobij.*

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXXXIV. Sancti Patris Benedicti. M. C. IV.

Balthasar Abb. Fuldensis pergit mereri.

BAlthasaris à Dernbach Abbatis & Principis Fuldensis, quantumcunque

que & ab Hæreticis impeteretur, & disciplinæ Monachicæ osoribus, ingentia tamen ab ingenti animo merita, dum inter angustas etiam res bono publico mira consuleret industria, & generosissimum animum omni comprobaret posteritati; ex quo facile conijcias, quantum rebus integris præstitisset, qui pro ipsa integritate sua, & sanctis molitionibus omni calumniarum & injuriarum genere impetebatur, ipso sibi ut optimè conscio, sic semper constante, ut haud minore quàm Athanasium animo fuisse, facta ipsa comprobent, & immortalia ipsum merita usque hodie commendent. Allaboravit autem hoc anno plurimum & laudante ac promovente Gregorio XIII. Romano Pontifice effecit, ut in Fuldensi Gymnasio Nobilium adolescentum Seminarium institueretur, qui ex Septentrionibus orti, in spem collapsæ majorum Fidei resuscitandæ, gratis hic alerentur, & in liberalibus disciplinis castè piéque educarentur. Salutare, inquit Browerus, & Germanis utilissimum inventum. Hinc namque fœcunda ingenijs & avita pietate plurima iuventus educta, Saxoniam, Thuringiam, Westphaliam, vicinaque loca, quin & Sueviam, aliasque Germaniæ provincias Fidei Catholicæ, ac elegantioris litteraturæ fama fructuque complevit. *Annal. Fuld.*

Seminarium Nobilium instituit.

Evocatur hoc ipso anno ad æternitatis præmia Beatus Rudolphus sive Rodulphus Montis Virginis Monachus, Discretionis gratia præcipuus, ornamentum sacræ familiæ nostræ Montis Virginis singulare. Hic Veronensis patria liberalibus disciplinis non mediocriter eruditus, Olivetanæ primùm Sanctissimæ Congregationi nostræ nomen dedit. Exin majoris perfectionis studio, ad eam quæ Montis Virginis dicitur, transijt eaque vitæ perfectione enituit, ut Ipsi non multo post sacræ Congregationi Generalis Præsidis titulo præfici meruerit. Solitudinem porro sic adamavit, ut per annos viginti [quo tempore semper fere, aut major, aut Prior extitit] ab eremi ostio egressus non sit. In senectute autem etiam altera vice, Veterum nostrorum more, *Reclusionem* obtinuit, cujus conversatio per omnem vitam non solum sine crimine, sed etiam sine criminatione, seu reprehensione cujusquã mortaliũ transijt. Fuit placido admodũ vultu, ea insuper morum gratia & gravitate, ut ab omnibus unicè diligeretur, juxta etiã tantopere timeretur, ut solius oculi intuitus gravior delinquentibus, quàm gravissima cujusq; alterius Prælati correctio videretur. Ejus in omnibus discretio mirificè extollitur, & in cunctis Religiosis actionibus gratiositas quædã admiranda celebratur. Perpetua ipsi Psalmorũ cũ meditatione prolatio, ita ut quoties extra cellã inveniri contingeret, aliquẽ per susurrũ alloqui cogitares. *Fuit denig.*, inquit Vitæ Author, *Scriniũ quoddã Virtutũ, Regularis Vitæ exemplar, & Solitariæ vitæ Norma*, obijtque plenus dierum ac meritorum, quietè, sine afflictione, & cum manifesto lætitiæ signo, anno ætatis 79. undecimo Cal. Maij. *Ex Monim. Mont. Virg. Luca Ruhensi, &c.*

B. Rudolphus Mon. Montis Virginis.

Reclusorum Institutum subit

Scrinium Virtutum.

Hoc autem perditissimo hoc sæculo vel maximè mirandum: quibusque quæ sua sunt quærentibus, & Cathedralium Ecclesiarum Cunonicis, in Episcoporum electionibus, se solum ipsos circumspicientibus & contuentibus, atque utinam non Simoniacè, seu prece, seu precio sacros honores affectantibus & ambientibus singulari tamen Numinis providentia, Episcopos Monachos Ordini nostro nunquam defuisse, & mirabili quodam modo, semper aliquos è nostris, cellulæ sacrà solitudine utiliter excoctos, ad diversos Episcopatus & honores, invitos plerumque & reluctantes extractos, ijsdem summa dignitate Ordinis, & subjectorum utilitate maxima præstitisse. Alios inter hoc ipso anno evocatus ad Cathedram Stragensem in Dalmatia Basilius Gradi Monachus Melitensis, Congregationis Casinensis, vir doctus & eruditus, eoque honore dignissimus à Gregorio XIII. summi nominis Pontifice judicatus, scriptis etiam egregijs de omni posteritate meritus.

Basilius Episcopus Stragensis.

Pari honore ab eodem Pontifice hoc ipso etiam anno insignitus est Marcus Fedocea Mirandulanus, Monachus S. Benedicti de Mantua, & Abbas S. Vitalis Ravennæ, Congregationis etiam Casinensis, creatus Episcopus Laquedonensis in Apulia, vir doctissimus, & in Mathematicis inprimis instructissimus, Gregorio Pontifici apprime dilectus,

Marcus Fedocea Abb. S. Vitalis Ravenna.

lectus, & commendatus, quorum aliorumque laudibus, compendij intuitu supersedendum duximus.

IESU CHRISTI ANNUS S.M.D.LXXXV.
Sancti Patris Benedicti M. C. V.

BB. Patricius & Malachias Mart.

ITerum ex militanti in triumphantem adscripti Triumphos æternos Martyrum augent, duo insignes Ordinis nostri sacræ Cistercienſis Congregationis in Hibernia Martyres BB. Patricius & Malachias Bullienſis Cænobij Monachi, qui ab Hæreticis tenti, & pro fide Catholica ad mortem condemnati, suspensi, & semivivi, alter quidem in quatuor dissectus est partes, alter ab inferiore corporis parte lancea ad cor usque perfossus gloriosum Martyrij cursum compleverunt decimo tertio Calendas Junij. *Ex Menologio Chrysost. Henriq. & Fasciculo &c.*

Valentinus & Godefridus Episcopi Laudunenses.

Rursus meritissimo ex Ordine nostro Valentino du Gias Laudunensi in Gallijs Episcopo S. Dionysij Parisiensis Monacho succedit eadem in Cathedra Godefridus de Billy Prunæus, & ipse S. Dionysij Religiosus, Abbas S. Vincentij, vir præstantissimus, qui hoc ipso anno interfuit Concilio Remensi, fuitque frater germanus Jacobi Billij Abbatis S. Michaelis de eremo, interpretis operum S. Gregorij Nazianzeni, de quo supra diximus. *Claua. Rob. Joan. Chenu. & monim. Laudunensia.*

V. Joan. Feckenamus moritur.

Meritissimus ille de Ecclesia Universa, incredibilis constantiæ & magnanimitatis exemplo, generosissimus Christi Athleta & Heros imperterritus sanctæ memoriæ Joannes Feckenamus noster, Abbas Westmonasteriensis, contemptis potentissimæ Reginæ Elisabeth familiari amicitia, amplissimis opibus & honoribus, potentissimo Principatu & Archiepiscopatu, insolentissima, sane generositate admirandus hoc demum anno, post longissimi squallores carceris, ad Regiam Regum Regis & triumphos æternos evocatur, alter sui sæculi, absque tamen fuga ulla, Athanasius, longo juxtà martyrio infinitis diversorum carcerum incommodis consumptus. De eo sic Pytsius: Joannes Feckenamus, inquit, Ordinis Sancti Benedicti Monachus Anglus & tandem Abbas Westmonasterienſis creatus, eo tempore, quo in Anglia regnarunt Philippus & Maria Reges Catholici, Vir cui Deus largas Benedictiones, natura egregias contulerat dotes. Erat in eo pietas in Deum insignis, in proximos mira charitas, in majores singularis observantia, in æquales atque etiam inferiores mitis quædã affabilitas, in omnes dulcis humanitas; multiplex doctrina, redundans in concionibus facundia, incredibilis Religionis Catholicæ Zelus. Cum jam non obscuris indicijs cerneret, omnia vergere ad ruinam, & Fidem a vitam omnino periclitari, hostibus Ecclesiæ strenuè se opposuit, & habitis frequentibus concionibus, nonnunquam etiã publicis disputationibus, libris denique etiam scriptis Ecclesiam *DEI* & Catholicam Fidem quantum potuit, propugnavit. Cum denique regnante Elisabetha in Comitijs [Parlamentum vulgo vocant] ageretur de Fide Catholica extirpanda, & Hæresi plantanda: intrepidus publicè prodijt, & apud solemnem illum Principum, Procerum, & populi cœtum, Anglica lingua, eloquentissimam & valde nervosam habuit orationem, de Veteri Patrum Religione retinenda, de nova non excogitanda, nec introducenda. Cum autem res planè collapsa esset, & prævaluisset iniquitas, ille confestim carceribus mancipatus est, primum Londini in carcere Equitis Martij, deinde in castro Wisbicensi (Turris custodiam carceralem hic omisit Pitsius, sed non tacuit Stapletonus) in universum, continuis, plus minus, viginti sex annis. Quo tempore à Catholicis dogmatibus propugnandis, & ab alijs charitatis operibus exercendis, quoad fieri potuit, nunquam cessavit. Inter cætera quæ præstitit charitatis officia, Joanni Storæo Legum Doctori, propter Fidem Catholicam capitis condemnato, per totam noctem adfuit, & ad mortem in crastinam pro Christo fortiter perferendam animavit. Sed ad ea quæ sunt eruditionis veniamus. Multas quidem, easq; eruditas exaravit lucubrationes, quæ pleræque propter temporum iniquitatẽ & Authoris incarcerationem etiam usque ad mortem, cum ipso interciderunt. Servarunt tamen boni viri quædam ejus opuscula, vel operum reliquias: inprimis sermonem

Magnus Viri Animus.

Insignia ejus ingenij monimenta.

quen-

quendam, cujus thema quasi Spiritu Prophetico sumptum fuit ex Ecclesiastici capite quarto: *Laudavi magis mortuos quàm viventes &c.* Cui titulum fecit: *Sermonem funebrem in exequijs Mariæ Reginæ. Orationem habitam in Comitijs Angliæ: Contra Juramentum supremæ authoritatis Regiæ in Ecclesiasticis Lib. I. De Eucharistia contra Hooperū &c.* Scripsit etiam *Commentarios in Psalmos Davidis*, quod opus Londini in manibus Authoris vidisse mihi sanctè affirmavit Ruhardus Stainihurstius, sed & illud perijt, & ejusmodi alia. Jn Vinculis Confessor obijt anno 1585. sub duro in Anglia Elisabethæ Reginæ Regno. *Hucusque Pitsius.*

Moritur V. Bened. de Toco.

Moritur eodem anno Benedictus de Toco, ex Abbate Montserratensi ad diversos Pontificatus, Biquensem Gerundensem, & Jlerdensem, pro eximijs vitæ meritis evectus. *Ex Ant. de Jepes.*

Marcus de Porras Nucalensis ob.

Jn Hispanijs insigni se vitæ exemplo & meritis commendat R. P. Marcus de Porras, Nucalensis celeberrimi Monasterij Monachus. Claruit summæ prudentiæ, rarę humilitatis & admirandæ patientiæ laude. *Omnis ambitionis expers, vilia quæque officia & obsequia, eo magis ambiebat, quod in eis magis præsentem Christum crederet, ubi scilicet minus esset vanitatis & gloriæ. Devotio ejus circa DEI laudes omnibus exemplum fuit. Tanta ejus erat charitas, ut calceos, caputium, scapulare exueret, quibus alios vestiret; & hoc frequenter. Tanta crudelitate corpus suum tractabat, ut tandem verberibus & flagellis continuis, ac ciliciis caro obduresceret, & amplius non sentiret; sed ille in sui corporis castigatione ingeniosus, quamvis caro esset subjecta, se in brachijs, pedibus & pedum calcibus excruciabat, & se in ventre crudeliter virgis cædebat. Viginti & unius annorum spatio, non cœnavit, sobrio, & valde frugali prandio contentus, quo defatigati corporis vires repararet potius quam voluptatem caperet aut levamen. His pœnitentijs attritum miserum ejus corpus, tandem in gravissimas incidit atque continuas infirmitates, quas magna cum animi sui quiete vir pius ferebat, magnum etiam sibi levamen persuadens, quod tot tantosque dolores in hac vita pateretur. Adveniente Christi Natali cùm vehementer cuperet cum cæteris illum devotè celebrare, ac Divinis officijs interesse, nec tamen præ infirmitate posset se in aliud latus vertere, vehementer indoluit, usque ad lachrymas, & suspiria.* *Ad mortem præparat.*

Adveniente autem sanctissima Nocte, de DEI gratia confidens, vocavit fratrem, & ab eo se vestiri postulavit: quod frater ille licet renuens tamen fecit (verba Authoris Ms. sunt) tunc senex scipionem una manu tenens, alteram fratre ejus sustentante, chorum intravit, & petit Duci ad quoddam altare, ubi erat expressa Christi Nativitas. Jbi Marcus Puerum JESUM in palea jacentem sumpsit, & amplectendo plurima blandia verba effatus, ita ut ad devotionem adstantes plurimum moveret. Tandem manus una Pueri JESU corpus ejus tetigit, & ea signum Crucis expressit, quæ postea in eumdem locum, in quo antea fuerat, reposita est. Quo facto, sine ullius personæ aut baculi adminiculo, ambulare cœpit ut sanus chorū transivit, donec ad sedilia perveniret, quæ conscendens, in uno eorum flectens genua, tota ibi nocte perseveravit. Conscientiæ suæ adeo erat sollicitus, ex timore filiali erga DEUM, ut tristitia & mœrore incredibili afficeretur ob minimum veniale. Multis vero post annis in morbum incidit; in quo de morte sua certior factus, horam ipsam fratribus prædixit qua esset moriturus, in facie tamen nec in aliquo signo morti proximus videbatur; erat enim vultu hilari, tanquam jucundum aliquid magna lætitia expectans. Videns præsentes Monachos, cœpit canere Fidei Symbolum toto Conventu prosequente, ipseque cum eis canebat, mensuram manu designans; cumque ventum esset ad illa verba & homo factus est, *expiravit, nullo mutationis vel alterationis edito signo. Quo à Religiosis notato, multum ædificati sunt, quod scirent illum jam DEO frui, qui tanto fervore ei hic servierat:* Hæc ex Authore Ms. pro ipsa simplicissimæ relationis & tanti viri veneratione.

Timor verè filialis.

Sanctus Vitæ terminus.

Eius Vitæ Rigor.

Paulus Abb. Altæich infer.

Jn superiore Germania Paulus Abbas Jnferioris Altaichij magna apud summos imòsque opinione vitæ perfectioris enituit, Regularis disciplinæ Zelator solertissimus, verus pauperum Pater & Monachorum deprædicatus, qui sui regiminis tempore 118. ad professionem fuscepit, è quibus quinque, ob egregiam Cœnobij Reformationem, ad diversa Monasteria Abbates postulati sunt, obijt hoc ipso anno Paulus, magno sui desiderio relicto.

Nasci-

Nascitur hoc anno admirabile prorsus Sydus Ordinis nostri B. Margarita d' Arbous. De qua sæpè suo loco.

IESUCHRISTI ANNUS S. M. LXXXVI. Sancti Patris Benedicti. M.C.VI.

V. Ignatius Morerolensis.

INHispanijs insigne rursum se sydus Sanctorum fulgoribus Jllustrissimum prodit Beatæ memoriæ Ignatius Morerolensis Cænobij Monachus, admirandæ gratiæ, & insolitæ Virtutis ac perfectionis vir, qui in omni Sanctitate vitam exigens, cum in Domino placidissimè sanctam exhalasset animam, & jam sepulturæ mandandus esset, grandi cum Stupore omnium Redivivus, cum linteum quo facies mortui velata erat, removisset, in ejus quam unicè in vita dilexerat Dominæ suæ Antiphonam erumpens, alta voce *Regina Cœli* occinere incœpit, moxque admiranda, quæ in cœlesti patria conspexerat, circumstantibus deprædicare cœpit; subjungens denique: *Heu Patres, Fui inter Angelorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum Choros. Vidi ipsam DEI Matrem stellis coronatam, & lucidissima veste ac pulchritudine circumdatam quæ mihi dixit, se nostram esse Patronam, ijsque qui habitu nostro induuntur* (Cistercienſium nostrorum candidam, ab ipsâmet Reformationi illi mirabiliter datam, imo in Choro prodigiosissimè è nigro colore in album versam intelligit) *adesse & auxiliari. Gaudete Patres & majoribus Vestris obedite, professionem cum perseverantia servate: tantum enim præmium, tanta gloria, tantaq; beatitudo vos manent &c.* Quibus dictis sacrum corpusculum denuo componens, inque manus JESU Christi, Admirabilis Matris, Patrisque sui BENEDICTI, Melliflui Bernardi, ac innumerabilium sanctorum, qui ipsi visibiliter apparuerunt & astiterunt, purissimâ efflavit denuo animâ. Fuit ipsi in templo præparatum sepulchrum, in quod dum jam sacrum corpus ejus immittendum esset, tantum materiei è pariete, cunctis intuentibus & stupentibus prorsus, ut fossam funeri factam prorsum impleret, locum autem sepulchro persimilem in muro relinqueret. Quo viso, Prior ait: *Certum est DEUM hic operari*, nam & in terris servum suum honorari voluit: qui à nativitate sua insigni puritatis & castitatis fulgore resplenduit, ideoque novum illi sepulchrum, & terram Virginem Virgini præparavit. *Ex Anastasio Lovera.*

Revivisit canens.

Quanta præmia vitæ Monachicæ.

Cœlitus præparatum sepulchrum.

Jterum ex Ordine nostro diversis Cathedris maximi Præsules expetiti & impositi, easdem summa cum nostrorum gloria, & maxima subjectorum utilitate, quàm felicissimè gubernaverunt. Eos inter eminet Constantinus de Lannoy Jllustrissimâ natus in Belgio familiâ ex Monacho celeberrimi illius, & florentissimi [ipsâ sanctissimi Patriarchæ nostræ tanto post apparents significatione & attestatione] Cænobij S. Severini in Urbe Neapolitana, Episcopus primùm Vicensis, ac dein Rhegitanus in Apulia Archiepiscopus creatus; & hoc ipso anno mortuus, postquam egregijs meritis nomen suum immortalitati consecravit. Quo eodem tempore ingenti sua totiusque Ordinis gloria floruit Annas Giurius d' Escars, ex Monacho & Abbate S. Benigni Divionensis, Episcopus Lexovienſis postea sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui deinceps Romæ jam grandis natu ipsaque canitie venerandus, cum summa prudentia, eam ipsam omnibus probabat innocentiam, cum qua S. BENEDICTI habitum, non plus octo annos natus susceperat, cujus rei testem habeo Gasparem Scioppium, quo ille perfamiliariter usus est. Sed inprimis comendarunt se meritis gravissimis nostri Ecclesiæ Laudunensi in Gallijs, ex quorum numero quatuor sibi proximè succedentes hoc ipso tempore Episcopi ad eam sedem Cænobio extracti, insigniter claruerunt: Joannes Docœus ex Priore S. Dionysij, Joannes Burseus ex Abbate S. Quintini, Valentinus du Glas & Godefridus de Billy, uterque S. Dionysij Parisiensis Ascetæ, ejusdem sedis Præsules designati. *Exrer. Gall. Script, Chenu. Cl. Rob. &c.*

Constantinus de Lannoij Episcopus Vicensis &c.

Annas Giurius Episc. Lexovien.

Quatuor è nostri Laudunenses Episcopi.

Floruit hoc ipso etiam tempore P. F. Rodericus de Vadillo Monachus Valliſoletanus Congregationis Hispanicæ Episcopus Cephaludensis, ob sapientiæ meritum in Siciliam usque evocatus. Ut videas eodem tempore, Jtaliam, Galliam, Hispaniam, Belgium atque Siciliam, præstantissimos diversis Ecclesijs suis Ascetas, ex Cænobijs nostris postulasse, adeoque de meritis nostrorum

Rodericus Episc. Cephaludensis.

rum opinionem, semper florentissimam extitisse.

Maria de Bellovillari.

Sacrum hoc ipso Anno habitum induit sanctæ memoriæ Maria de Bellovillare Comitissa Sancti Aniani &c. in Monasterio Ordinis nostri de Bello Monte sub Amita sua ejus loci Abbatissa, ab hâc non tam verbis quàm sancto vitæ exemplo ad tantam perfectionem, de qua suo loco, educata. *Ex P. F. Amando Tribout.*

Jacob de Froye Abb. Hasnon.

Moritur eodem ad felicem evocatus immortalitatem Jacobus de Froye, Abbas Hasnonien sis lectissimus, Sanctæ memoriæ Ludovici Blosij discipulus felicissimus, & imitator strenuus, singulare Ordinis in Belgio sydus, præclarè de omni etiam posteritate meritus, dum præfati Magistri sui libros emendatiores edidit, & ipse etiam librum de Sanctis Hannoniæ composuit. *Ex Monim. Hasnonensibus.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXXXVII.
Sancti Patris Benedicti M. C. VII.

Inventio SS. Placidi & sociorum Mart.

MEmorabilis toti Benedictino Ordini, insigni felicitate hic annus, Inventione corporum sanctorum Placidi Archi- & Proto-Martyris nostri, Discipuli S. P. Benedicti & Sociorum triginta trium Monachorum, nec non Fratrum ejusdem germanorum Eutychij & Victorini ac sororis Flaviæ Anicij Augustissimi generis florentissimorum germinum & Illustrissimorum Romanæ Nobilitatis Principum, & Sanctissimi Patriarchæ Nepotum. Eam solemnem admodum & miraculis gravissimis confirmatam annua & solemni memoria dignissimam censuit Sixtus V. Pontifex Maximus, & celebrandam sanxit, atque in Calendarium Romanum reponendam concessis juxta Indulgentijs amplissimis, eamdem Ecclesiam, ubi sacer thesaurus repositus est, visitantibus, quod præceptum aliaque notatu dignissima prolixiùs describit Arnoldus Duacenus ad diem 4. Augusti.

Fulienses Reformatio invalescit.

Hoc ipso anno sparsa longè latèque fama sanctitatis Fulienſium, nostrorum, mirificè accensis admirabili quodam fervore diversis diversorum Ordinis nostri Monasteriorum Religiosis, alijs super inaudita rei novitate attonitis, alijs mirificè erga eosdem & eorum sacros conatus affectis, tantopere excrevit sanctissimæ Reformationis Religio, ut paulo post aliquot Cœnobia omnem illorum rigorem ultro amplecterentur, alij & alij Principes nova ex fundamentis Monasteria molirentur, in quæ tantorum virorum colonias inducerent, Sixto V. Rom. Pont. Ordinem ipsum & solemniter approbante, & in specialem protectionem suscipiente, sed & amplissimis immunitatibus & privilegijs donante. *Ex Mst. Fulienſi, & communicatis R. P. Phil. Malabaylæ.*

Etiam sacræ Virg. rigorem amplexæ.

Sed & Fœminæ Serenissimæ & Illustrissimæ, nequid viris cederent, eumdem paulo post magno numero, & hoc præsenti anno plures exambiere, nulla curiositate ductæ sed amore Numinis Divino impulsæ Spiritu, per quas singulariter factum est manifestum omnibus, DEUM esse, qui ad confusionem fortium potentiam suam etiam in sexu fragili, toti mundo exhiberet, & se magnificum in parvis ac humilibus demonstraret; vanitatem & falsitatem illorum convincens, qui sapientes in oculis suis omnia vel solis viribus humanis metirentur, vel propriæ carnis mollitiei nimium crediti & quæ spiritus sunt minus saperent, DEI gratiam sua propria culpa, nec mererentur, nec nossent, imo eidem non solum in seipsis, sed & in alijs obstaculum nequiter objcerent, &, quod horrendum, qui alijs exemplo & incitamento esse deberent, acuratiora sanctissimæ Regulæ studia, tanquam muliercularum nugaces devotiuncu las & scrupulosorum nugas riderent & damnarent, adeoque Divini Spiritus dictatis illudentes, tanto Dictatori directè resisterent, veræ & solidioris disciplinæ protritrores ad Divinum tribunal comprobandi, gratiæ & Divini Spiritus irrisores judicandi & pro immani hoc scelere irremissibiliter condemnandi. Longè aliter serenissima Beatæ memoriæ Renata Lotharingiæ Ducissa S. Petri Remensis Abbatissa, quæ omne suum studium, in observatione minimorum æquè ac maximorum in Regula præceptorum posuit, quæ etsi ad absolutissimum illum Fulienſium rigorem cum suis se devovisse minimè legatur, tanti tamen sanctissimi Patris sui BENEDICTI mandata, imo illa ipsa omnia Divini Spiri-

Contemptores SS. Regulæ.

V. Renata Duc. Lothar. mentalis.

tus

tus dictata fecit, ut illis revera juxta solemnem suam professionem, tanquam revera DEO ipsi parendum crederet, imo ad omnia ita tanta Princeps componeret, ut viva omnibus suis Regula esset. Fuit Deiparæ Virgini longè devotissima, aliasque inter devotiones quibus inexplicabilem testaretur affectionem, quatuor Capellanos aluit, qui quotidie, memorabili sane exemplo, Officium Missæ, in Sacello ejusdem de Deipara decantarent. Cæterùm quàm negligens ipsa sui, imo jurata tenerrimi corporis hostis fuit, tanto magnificentiora omnia quæ ad cultum DEI essent, esse voluit, & Basilicam ferè à fundamentis magnificè restituit & insigniter adornavit, eamque pretiosissimis ornamentis, tabellis, aulæis, vasis sacris, & potissimum Sanctorum Reliquijs nobilitavit & locupletavit. Longus est in pretiosi thesauri recensione vitæ ejus Auctor apud me Ms. quem sola hæc serenissima Princeps loco huic contulit, partemque etiam à Rege & Regina Galliarum meruit, ipsa omni auro & gemmis pretiosior suæ Basilicæ Margarita, æternum familiæ Lotharingicæ ornamentum. *Ex vita & R. P. Amando Tixbout.*

Ejus Encomium.

Henrici III. Gall. Regis affectio.

Perlata ad Henricum III. Galliarum Regem de admirabili vitæ rigore & sanctitatis exemplis Fuliensium nostrorum fama, haud immerito tantum Principem percelluit, felicissimumque sè duxit, cujus Regiminis temporibus, cœlestium æmula liliorum, tot tantique manipuli cœlis sese, atque etiam Regnum ipsum commendarent, & verè bearent. Jis ut etiam coram frueretur, permagnificum ijsdem in Regina Parisiorum Urbe condendum Cænobium censuit; idque quamprimum opere aggressus, Fundamenta in Suburbio Sancti Honorati jecit, tanta sollicitudine ipsius in structionem incumbens, ut vix expectare posset, præ nimia desiderij impatientia, donec suprema manus structioni imponeretur, adeo rerum satagens, & operarios atque Architectos urgens ac perurgens, ut nec intendentibus se etiam noctis tenebris opus intermitti permitteret, sed accensis etiam faculis, ipsus Rex à tergo laborantium insisteret, excitaret, animaretque felicissimum sese & metropolim suam credens, si paulo post tantos penes se viros haberet, qui sanctissimis vitæ exemplis perditissimos hominum mores, ad saniora studia, melioremque frugem revocarent: proque Rege & Regno dies noctésque apud Numen intercederent. Missa quàm primum ex Archisterio Fulensi Monachorum sexaginta insignis Colonia, & à Rege summo plausu accepta & novo Cænobio immissa. Qui quam rationem tam longi itineris inierint, placet ex Ms. libro Authoris Synchroni & de industria latentis inserere: "*Cum namque inprimis observandum sibi præstituissent, ut pedibus illud conficerent, & Divina officia noctu & interdiu, horis à Regula statutis, omnes simul, & ijsdem planè cæremonijs, quibus in Ecclesia, recitarent. Noctu quidem hora à Regula præscripta, in hospitijs à Regijs ministris Regiaque impensa paratis, Nocturnorum, Laudum & Primæ Divinum pensum persolvebant. Iter deinde ingressi, ubi ex horologio horam Tertiæ instare cognovissent, in ipsa via subsistentes, & in binos Choros protenso Ordine divisi, officium illud canebant, capita inclinantes, genuaque flectentes prout ritus exigebat, eodem prorsus modo ac in Odæo illis usu venerat. Idemque observabant; ubi Sextæ, Nonæ, & Vesperarum hora supervenisset, hoc tamen proviso: ut diebus Jejunij Regularis, Nonæ; cæteris vero sextæ officium, ubi sumendum illis esset prandium, recitaretur. Quo sumpto, rursum itineri se committebant. Hac ratione, iter tam frequenter interrumpentes, vix duobus mensibus illud emetiri potuerunt; & tantæ novitatis vulgata fama, non ex vicinioribus modo, sed ex remotioribus, ad loca per quæ illis transeundum erat, perpetui concursus fiebant, non hominum vulgarium duntaxat, sed & Nobiliorum, tam virorum, quàm Matronarum, qui ad hujusmodi spectaculum, non obstupescebant modo, sed ad vitam piè sanctéque in cæterum instituendam, mirum in modum permovebantur. Quin etiam ex ipsis Calvinistis, plures resipiscebant, cæteris omnino confusis recedentibus.* Huc usque Author prædictus.

Fulienſium Colonia.

Mirum Itinerarium inſtituunt.

Jn Anglia dignissimus Beatæ memoriæ Joannis Feckenami Abbatis Westmonasterienſis Discipulus Sigebertus Buclæus ejusdem Monasteri Monachus, ob egregiam in Fide Roma-

Sigebertus Buclæus.

na

na constantiam carceribus emancipatus, pro eximia magnanimitate, etiam in hac mortali vita singulari à Numine gratia & beneficio honoratur, quippe Monachis Angliæ omnibus sive à Regno profligatis, sive per varios cruciatus interemptis, cum unus ipse superstes esset, accendente DEO Hispanorum atque Italorum Monachorum nostri Ordinis animos, quibus de captivitate generosissimi hujus senis constabat, in ejus licet nomen, pro reverentia tamen Ecclesiæ Anglicanæ à nostris olim primitùs plantatæ, & mille pene annis feliciter administratæ, jurare, & NOVA quâdam CONGREGATIONE instituta, eumdem Buclæum sibi præfectum, sive potius tanquam exemplar Generosissimæ Constantiæ propositum & Præpositum voluere; ut paulo post ingenti spe fructus, imo uberrima prosperante cœpta Numine, cum messe, Illustrissima illa & meritissima CONGREGATIO BENEDICTINORUM Anglicana, pro populi ejusdem ad Ecclesiam Catholicam reductione, consurgeret & mirè Martyrum nostrorum impinguata & Benedicta sanguine efflorescceret. De qua, deinceps, Pontificia auctoritate solemniter approbata & fructu ejusdem suo loco. *Ex Apost. Bened. Clementis Reineri, &c.*

Congregatio Ord. Anglica.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXXXVIII. Sancti Patris Benedicti. M.C.VIII.

MIraculum hominis Angeli sinu nunc fovet suo Hispania & sanctissima nostri Ordinis Congregatio Montserratensis. Illud fuit sanctæ memoriæ Vir P. F. Sebastianus de Villoslada S. Martini Vallisoleti Abbas, Præsul summa cum nominis reverentia æternùm celebrandus. Natus fuit apud Villos-ladam Ducatus Naxeriæ in veteri Castello celebrũ locum, Patre Petro de Naxero, Matre Joanna Lopezia, æternum familiæ decus, parentum gloria, Numini à teneris addictus unguiculis, pietati & devotioni corculum suum puerulus dedit, in litterarum etiam dein studijs eos progressus fecit, ut eruditionis laude celeberrimus evaderet. Alcalæ litteris etiamnum cum operam navaret orta cum condiscipulo rixa, visum rem Monomachia dirimere. Adfuitque præstitutâ certamini horâ Sebastianus: cumque horas quatuor adversarium expectasset, nec quidquam; ad se pia reversus cogitatione, tamquam immanis pœnitens sceleris, statim de ejurando sæculo propositum concepit; idque quamprimum opere exequutus, in Monasterio Sanctæ MARIÆ Vallis Venariæ cucullum & Regulam S. P. N. BENEDICTI complexus, tanto fervore rigori monachico Virtutumque studijs operam dedit, ut perfectissimus paulo post, & sanctissimus haberetur; & mirabilis omnibus appareret. Fuit sanctissimæ Regulæ & Constitutionum Congregationis & Monasterij longè observantissimus, cum apprime adverteret, quanti Religiosorum interesset, minima quævis tam Sancti Jnstituti maximi facere, quantumque damnum Monachi sit & Cænobiorum, levia credere & non maximi facienda, quæ nemo non nosset Spiritus sancti dictata esse. Cæterum supra Regulam & consuetudines loci, abstinentiæ deditissimus studio, carnis esu perpetuo sibi interdixit, cilicioque & carena ferrea carnem maceravit, multis annis, ter in hebdomade solis pane & aqua vixit. Orationis & contemplationis sublimitate totum se cœlo immersit; quibus intentus aliquando, Festo Ascensionis Dominicæ, raptus in extasim, tanti splendoris radios ex ore effudit, ut instar Moysis: nemo in faciem ejus posset intueri. Summa observantia Matrem Admirabilem Virginùm Virginẽ Cœli Jmperatricem coluit, interque cultores ejusdem ex Ordine præcipuos numerari meruit, ejus procul dubio intercessione meritus, ut obscurissimo hoc sæculo, tantopere gratia Numinis illustratus, tantæ sanctitatis facem orbi præferret. Humilitati inprimis studuit, minimusque omnium & videri & esse contendit, multasque Ecclesiasticas dignitates, memorabili hujus temporis exemplo, Abbatiam S. Petri de Montibus, Abbatiam S. Martini Regalis Madriti, Pontificatum amplissimum Palentinum, aliosque honores constantissimè rejecit. Vir omnino talis tantusque, qui merito intuentes omnes in admirationem raperet, sui autem Ordinis Religiosos ipsa gratiositate virtutum cogeret, quasi ad imi-

B. Sebastianus de Villos-lada Mratserom.

Fit Monachus.

Abstinentia.

Radij cælestes.

Aspernatur Episcopatũ Palentinum.

imitationem, uti etiam exemplum ejusdem potentissimum apud suos, ipso effectu mirabiliter comprobavit. *Ex Vita ejusdem & Monim. Montserr.*

Hoc ipso tempore in Galliarum etiam Regno non minus quàm Hispanico admirabile sese lumen prodidit, celeberrimus nimirum ille, & meritissimus de omni Universi posteritate Gilbertus Genebrardus noster, Monachus Mansarensis, & exin Beatæ MARIÆ Virginis Semurienſis Prior, Vir, si quis ullus alius, fama incomparabili Nominis etiam in terris immortalis, qui orbem radijs illuminatissimi capitis & pectoris implens omnes longè latéque mortales in sui convertit admirationem. Js præceptoribus olim usus, in Græcis Turnebo, in Philosophicis Carpentario, in Theologicis Sanctæo, in singulare demum ipsus Ecclesiæ & Orbis Christiani ornamentum adolevit. De eo sic Scævola Sammarthanus : *Arvernia bonis ingenijs fœcunda, cujus è gremio prodiere togati Ordinis tot illustres viri, hunc etiam edidit sacrati Ordinis eruditum virum, qui sanctæ linguæ Regius apud Parisios interpres, Hebraicæ antiquitatis arcana plurima, & ea maximè quæ ad rationes temporum subducendas pertinent, adhibito perspicacis ingenij lumine, perquisivit, ac in lucem protulit. Hoc enim ex fonte ortum est Chronologicum illud opus, & alij qui nunc sunt in manibus hominum similis industriæ fœtus, maximis ab eo vigilijs & laboribus elucubrati. Multa ille ex Hebræis & Græcis accuratè transtulit, multa recognovit, multa commentatus est. Novissimè Musarum penetralia ingressus, amatorium Salomonis Latinè tentavit poëma, molle illud quidem & tenerum, sed pium, quo Servatoris purissimos in Ecclesiam suam amores sapientissimi homines tradidere, nec enim ab instituta versione deterruit, quod alij summæ doctrinæ viri, & hujus ætatis facile principes Poëtæ lepores omnes & gratias in eodem carmine transferendo felicissimè jam impendissent', &c.* Lucubrationum, quarum ad nos pervenit notitia, syllabum atteximus.

Gilbertus Genebrardus.

Miraculum viri eruditi.

Ejus ingenij monimenta.

De Sanctissima Trinitate. . . . . Libri 3.
Contra Jacobum Schogium, Ante-Trinitarium. . . . . Liber I.
Contra Lambertum Danæum Sabellianismo infectum. . . . . Liber I.
Contra Rabbi Josephum Albonem & Rabbi Davidem. . . . . Libri 2.
Psalmi Davidis primo & genuino sensui redditi. . . . . Leber 1.
Psalmi Davidis cum fusioribus Commentarijs.
Canticum Canticorum Salomonis contra Bezam. . . . . Liber 1.
Joel Propheta cum Annotationibus. Lib. 1.
Tabella sumaria cum Annotationibus. Lib. 1.
Chronologia sacra. . . . . Liber 1.
Chronographiæ Universalis. . . Libri 4.
Notarum Chronicarum. . . . . Liber 1.
De Sibyllis & Sibyllarum prænunciationibus. . . . . Liber 1.
Flavij Josephi opera ex Græco sermone in Gallicum versa.
Opuscula aliquot contra Politicos nostri temporis.
Opuscula multa è Græco sermone translata.
Origenis Adamantij Opera notis illustrata.
Jsagoge ad legenda Hebræorum Orientalium sine punctis scripta.
Et plurima alia Hebraico-Latina.

Ejusdem ingenij monimenta.

Sed de Genebrardo plura suo loco: nunc ad alia transeamus.

Floret eodem tempore in Jtalia Jacobus de Graffijs Nobilis Capuanus, in Cœnobio celeberrimo S. Severini Neapolitano Monachum professus, Utriusque Juris Doctor subtilissimus, cujus inter alia Opera Theologica plura celebrantur. è quibus non uno sed pluribus locis typo editi sunt Libri quatuor; *Decisionum Aurearum Casuum Conscientiæ*, qui passim extant.

Jacobus de Graffijs Mon.

Jn Monasterio S. Joannis Evangelistæ Parmensi hoc ipso anno fuit solemniter translatum corpus S. Joannis primi ejusdem loci Abbatis quocum aliorum item ejus loci sanctorũ Translatio facta est, octavo Idum Maij. *Ex Menologio nostro, & Arn. Duac.*

Translatio S. Joan Abb.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXXXIX.
Sancti Patris Benedicti. M. C. IX.

Iterum novum Ordinis in Hispania Sydus, magno fulgore emicat, magno Benedictinæ juventutis solatio, exemplo & incitamento, Beatæ memoriæ Martinus Vallis Ecclesiarum Candidatus Tyro Novitius, qui ut primum sacræ Religioni in sanctissima Reformatione Cistercienſi nomen dedit, totius perfectionis exemplar se omnibus exhibuit. Jn juvenili siquidem ætate, juvenilem exutus penitus levitatem, accinxit fortitudine lumbos su-

Martinus Novitius Vall. Ecl.

os,

os, & superans mundum, Dæmonem, & seipsum, glorioſiſſimas Victorias, poſt varia certamina reportavit: ſiquidem ab infernalibus Spiritibus, & monſtris horrificis viſibiliter & inviſibiliter ſumma contentione pro viribus oppugnatus, alterum ſui ſæculi Antonium referre videbatur. Jlluſit miris modis puriſſimo juveni, impuriſſimus & aſtutiſſimus præſtigiator, amoribus & minis inſolentiſſima ausus, adeo quidem, ut ipſi etiam Fratres Monachi, in ipſo Choro mirè mutati, in puellas transformati formoſiſſimas, ſuperbiſſimo veſtitu, & obſcæniſſima geſticulatione, eidem abblandiri viderentur. Triumphavit nihilominus adjuvante DEO de inſidijs nocturnis diurniſque Novitius miles, & velut veteranus veteratorem, quæcunque moliretur, deluſum pijs artibus avertit & fugavit, ut ſui porro contemptum non ferens, cum in animum nihil proficeret, corpori ejus & vitæ mortali mortem intentaret. Adfuit tamen clienti optimo Angelorum Regina & à cacodæmone penè ſuffocatum, puerum JESUM inter ubera fovens, fugato peſſimo genio, viſibiliter eripuit. Proceſſit multo deinceps confirmatior & alacrior ad pugnam, cum ab impugnando Jnferi nunquam deſiſterent, adeo multoties eidem infeſti, tantaque truculentia ipſum verberibus & flagris concidentes, ut ſæpè ipſum Confratres & Novitiorum Magiſter cicatricibus & livoribus plenum, jacentem ſine omni ſenſu invenirent. Factumque permittente Numine, raro exemplo, ut Novitius hic, ſed emeritus Chriſti miles, non ſub quocunque Tyranno, ſed ab ipſo omnium Tyrannorum Principe crudeliſſimè excruciatus, gloriosè vincens, victor occumberet, & quadam nocte terribiliter flagris à dæmone conciſus, contracto inde ventris fluxu, victricem animam DEO redderet, & coronam acciperet, quam tam continuum prælium & glorioſiſſima victoria merebantur, decimo ſexto Calend. Decembris Triumphanti Eccleſiæ, & Empyrei cœli firmamento inſertus. *Chryſoſt. Henriq. &c.*

Alter S. Antonius

Ipſi adeſt Deipara.

Triumphator Cacodæmon.

Nec minora collucent hoc ipſo tempore quamplurima Congregationis Vallisoletanæ & Montſerratenſis in Hiſpanijs lumina RR. PP. FF. Joannes de Caſtaniza, de quo ſuo loco inferius, Placidus de Salinas Abbas Montſerratenſis, Antonius de Corduba, Laurentius Nietus & plurimi alij, ad ſummos pro meritis honores à ſua Congregatione promoti, ut ſuo fervore omnes accenderent, vitæ exemplo illuminarent. *Ex Chron. Hiſp. Ant. de Jepes &c.*

Joannes de Caſtanizæ & plures.

Sed & Congregatio Montis Syon in eodem Regno plurimum bono publico conſulit, non ſolum ſanctorum virorum copia provincias diverſas beando, & ad meliorem frugem perditos homines invitando, ſed & viros doctiſſimos, Theologos ac Philoſophos præſtantiſſimos educando, & contra hoſtes Eccleſiæ opponendo, & diverſis Univerſitatibus atque Academijs, Profeſſores ſubtiliſsimos commodando; memorabili omnino totius Regni commodo, gloria & ornamento. *Ex diverſis rerum Hiſpanicarum & Ordinis Scriptoribus.*

Viri Jlluſtres plurimi.

Memorabilis admodum ſub hoc tempus Divina Sanctiſſimi Viri Candidi vocatio & electio. Js patriam Erfordiam in Hibernia habuit, parentes inſigni generis Nobilitate, è Furlongiorum ortus familia. Legibus primùm Municipalibus in Anglia ſtuduit, donec cupiditate Religioni Catholicæ liberiùs vacandi, inſulâ excederet, & in Galliam migraret. Magno hic gaudio affectus, quod Sacerdotes & Monachos publicè ſacris operari, & Divinis in Choro ſervitijs inſiſtere conſpiceret. Ex Gallia in Jtaliam abijt, & per aliquot provincias peregrinatus eſt. Jn toto hoc itinere nullum Comitem habuit, quod nunquam ſibi melius comitatus videretur, quàm dum ſolus eſſet, eo quod ſemper ad DEUM omnes cogitationes dirigeret. Per avia incedebat, Divinorum meditatione abſorptus, & quando ſe vel bivium vel trivium offerebat, & ignorabat quam viam ingrederetur, ut ad propoſitum locum perveniret? genibus flexis dicebat: *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.* Et ſurgens clauſis oculis iter ingrediebatur, atque apertis poſtea oculis proſequebatur, perſuaſiſſimum habens ſe verâ & rectâ viam tenere. Mirabile! Hoc modo nunquam à recta deflexit ſemita, rectiſſimâque Romam devenit, unde SS. Apoſtolorum viſi-

B. Candidi Nucalenſis Vocatio.

Electio viarum.

tatis liminibus, ad Lauretanam Deiparæ seſe ædem convertit, inde in Hiſpanias iter direxit, ubi concitante Numine, in feraciſsimo ſanctorum Nucalenſi Cœnobio cucullum exambijt, tantóſque ſtatim ad omnem vitæ ſanctitatem progreſſus fecit, ut nemini non & admirationi eſſet & venerationi. Poſtea ad Collegium Philoſophicum Meyrenſe in Gallecia miſſus, inſignes etiam in litterarum ſtudijs progreſſus fecit. *In litteris progreſſus.* Cœpit jam tunc totus æſtuare Zelo Apoſtolico, & Patriæ ſuæ miſeriam conſiderando & errores, totus ejuſdem juvandæ ferveſcere deſiderio; quod animadvertens cacodæmon, omnibus modis ipſum avertere ſtuduit, imo graviſſimis vexatum tentationibus ad carnis illecebras divertere, cumque apud caſtiſſimum juvenem nihil proficeret, cœpit non aliter atque ſupradictum Martinum Novitium ſummis injurijs afficere, varijs & horrendis larvis terrere, diriſque verberibus afficere, ita ut frequenter Fratres ferè exanimem, & nudum in proprio volutarum ſanguine reperirent. *Mirus vitæ vigor.* Cura ei Monachos ad vigilias excitandi demandata erat: nactus occaſionem hoſtis, nocturnis tenebris orationi intento, & horam ad excitandum Fratres præſtolanti, horrenda monſtra & fœdiſſimas imagines proponebat, & diverſis modis eum terrere conabatur, Quadam nocte horologij ſcalam aſcendenti occurrit Dæmon, & eum ictibus & flagellis acriter cæſum per gradus dejecit. Nihilominus mente fortior perſtat Candidus, & infernales catervas, ſciſcitanti, num eas timeret? aſſeruit ſe Divina fretum Virtute, quas initio aliquantulum formidaverat viſibiliter apparentes jam ut muſcas parvi pendere, atque à ſe abigere. *Cum Cacodæmone lucta.* Decurſo Philoſophico curſu Salmanticam ad ſublimiora ſtudia mittitur, ubi virtutum ſuarum odore, plures à vitiorum præcipitio ad perfectionis ſtudia traxit, ſibi rigidior multo quam antea, cauſam rogatus, ut facilius graviora pro Fide in patria tolerarer, reſpondit. Sed plura de eodem inferius.

Ven. Aloyſij Caraffæ Nativitas. Natalis hic idem annus 1589. fuit, magni revera deinceps noſtrâ ætate ſyderis, Venerabilis viri & Jlluſtriſſimi Principis Scipionis Caraffæ, in religione poſtea Aloyſij dicti, qui hoc ipſo anno in lucem editus parentem habuit Fabricium Caraffam Andriæ Ducem, matrem Mariam Caraffam item, Stigliani Principem, Chriſtianæ perfectionis exemplar à qua pietatem cum lacte ſuxit, editis ab ipſa infantia inſignibus futuræ ſanctitatis ſignis, & ſingularis à Numine benedictionis. *Ex Vita Neapoli impreſſa, Auctore D. Angelo Perfecto, Priore Caſinenſe, &c.*

Moritur eodem anno Romæ Jllmus Thadæus Pepulus è ſacra familia noſtra Olivetana Epiſcopus Carinulæ, vir præſtantiſſimus. *Ex Lancellotto.*

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XC. Sancti Patris Benedicti. M.C.X.

RUurſus, admirandâ prorſum, ac pijſſimâ virorũ, & quidem Religioſiſſimorum æmulatione, conſequutæ proximè, niſi & tranſgreſſæ Generoſitatem eorumdem noſtræ Viragines, quantumcunq; illi nervos vireſq; intenderent, vinci tamen Viragines noſtræ paſſæ non ſunt, ſed extrema conatæ. *Sacrarum Deo Virginum noſtrarum pia æmulatio.* Ex his Sanctæ memoriæ Tereſa ſive Tereſia de Toledo, Marchioniſſa de Velado, Jlluſtriſſimo Ducum, & Principum genere nata, ſed illuſtrior Beatiorque Chriſti ſervitute, Monialis ac dein Abbatiſſa S. Annæ Abulenſis, ſingulariter exſplenduit. *V. Tereſia de Toledo.* Fuit hæc tanto in genere generoſiſſima ſui contemptrix, videri omnium minima & viliſſima geſtiens, unde etiã digniſſima ab omnibus judicata eſt Monaſterio præeſſe & vitam omnium ad ſuam inſtructionem & exemplum vitæ dirigere. Nec minus pietate & devotione, quàm animi demiſſione excelluit, talis per omnia, ut nata ad Regendum videretur, etſi ipſa omnibus parere, & ſubeſſe deligeret. Ejus exemplo plurimæ magni nominis & potentiæ Virgines, jugum Domini amplecti auſæ ſunt, inſigneſque de mundo, carne & dæmone victorias reportarunt: *Ex vita Michaelis Gonzalez, Vaquero, & Vita B. Mariæ Vela &c.*

Pergit ad præmia Beatorum hoc anno Venerabilis Marcus de Villalba Monachus Montis Sion, vir pietate & Religione præcipuus, unde evenit, ut honoribus & dignitatibus quamplurimis ab omnibus honoraretur, fuitque Sacræ familiæ noſtræ Ciſtercienſis in Hiſpanijs Reformator Generalis, qua *V. Marcus de Villalb.*

in

in dignitate verum se omnium patrem comprobans & demonstrans, amorem sibi omnium conciliavit. Magno in honore habitus fuit à Philipo II. Rege Hispaniarum, quod magnam ejus Sanctitatem & in Regendo dexteritatem exploratam haberet; ideoque ei tunc vacantem Fiteri Abbatiam contulit, ut ejus exemplo & industriâ Sancta Regula in domo illa majori cum restrictione servaretur. Tanta erat erga paupe-

In paupe-res benefi-centia.

res charitate, ut ferè totum Cœnobij censum in eorum necessitates impenderet, nulla sui ipsius habita ratione, quod ipse non plus quàm minimus Monachorum, etsi Abbas, insumeret. Reliquit reformatissimum Monasterium, cùm vita excederet, incredibili omnium mœrore tumulatus, tanto etiam majore cum gaudio & plausu, incertum qua de causa exhumatus, cùm

Corpus à morte in-corruptum.

fortè fortuna tumulus ejus aperiretur; repertum siquidem sacrum ejus corpus est Septennio post mortem adeo integrum & incorruptum, quasi ea ipsa Die fuisset sepultũ. Proin denuo terra conditum viva calce addita, ut facilius consumeretur, repertum tamen multo post denuo est, & ut dextra Dei id factum intelligas, uti antea, incorruptũ. *Ex monim. Eiusdem Monast.*

Mõs Mon-tis Syon.

Immortale & Apostolicum sanè meritum Sanctissimæ Congregationis nostræ Montis Sion in Hispania, ex qua hoc ipso tempore plurimi ad conversionem Gentium longè latéque & in Hiberniam inprimis missi Zelum verè Apostolicum per innumera, vitæ pericula & labores ingentes solidè cœlo terris probavere & innumerabiles fere homines cùm in fide confirmavere, tum ad gremium Sacræ Romanæ Ecclesiæ adduxere. *Ex varijs rerum Hispan. Scriptoribus.*

Matthæi Episc. Atre-bat. merita.

Matthæi Mollartij Episcopi Atrebatensis ex Abbate Gisleniano ingens in Episcopatu administrando virtus & gloria enitet, & ipse Apostolico Zelo & exemplo totum se ad purgandum agrum Dominicum convertens, optimè de Ecclesia & inferiore Germania meretur dum serpens longè latéque Hæreseos venenum summa industria avertit, totusque est, in aptissimis huic rei pastoribus efformandis & justituendis. *Ex rer. Belg Script.*

Nec minor fama ex parì virtute & Episcopali industria Ioannis Baptistæ Bertuzuli Cæsenatis, Fanensium in Marchia Anconitana Pontificis, qui ob morum dignissimam gravitatem, & sapientiæ Doctrinam super candelabrum positus orbi, atque Ordini Illustrissimum lumen præbuit, & de sibi subjectis præclarè meruit. *Ang. de Carp. Arnoldus. Duac. Monim. Fanens. &c.*

Didacus de Cespedes.

Claret hoc ipso tempore Venerabilis Pater Didacus de Cespedes Vallis Ecclesiarum in Hispanijs monachus, vir eruditissimus, qui cum miro ferretur in Sanctissimam Dei param affectu, totus in hoc incubuit, ut ejus quoque amorem alijs commendaret, & tantam Virginem & Imperatricem, quantum humanæ vires permitunt, ornaret, atque extolleret. Scripsit proin insignem de Ejusdem Laudibus Librum, & alterum de Miraculis B. M. V. Monasterij Montis Salutis, quo in loco grandibus prodigijs Matrem filius Virginis honorat. *Chrysost. Henriq. Phœnix.*

IESUCHRISTI ANNUS. M.D. XC.I. Sancti Patris Benedicti. M.C.X. I.

Laurentius Gonzalez Abbas.

Supremus hic annus in terris est, primus in cælis & felici immortalitate Sanctæ memoriæ Patri Laurentio Gonzalez, Abbati Vallis Bonæ in Hispania, viri eximia vitæ sanctitate conspicui, qui post egregia atque admiranda pietatis opera, Suam & aliorum trium Seniorum Religiosorum mortem disertè prædicens, in morbum incidit, & cùm jam ad ultimum vitæ perveniret, flexis genibus, oculisque ac manibus ad cœlum erectis, hilari vultu Fratres circũstantes alloquutus: Fratres, inquit, video Gloriã Dei; cumque his ipsis verbis beatum animum Creatori reddidit. quinto iduum Decembris; cujus felicissimo in transitu multa acciderunt, quæ animi puritatem, & egregia pij Patris merita denotarunt. *Ex Fascic. & Menol. Henriq.*

Memorabili prorsus ætatis anteversione, ante annos matura, sagax, prudentula & mirè devota, præter omnem Religiosorum consuetudinẽ, hoc ipso anno millèsimo quingentesimo nonagesimo primo, ætatis suæ sexto, die vigesima tertia Ianuarij, Renata Lotharinga Sanctæ Religionis habitu solẽniter induitur, Nata fuit anno 1585. ipso solemnissimo Pentecostis Festo, fau-

sto

sto planè omine, quippe quam sibi Spiritus Sanctus excellentissimo adventus sui munere consecrare volebat, sibique â teneris hostiam delegerat, quam ardentissimo sui amoris igne, ab infantia oblatam [sextâ enim ab ortu hebdomade, Renatæ cognatæ S. Petri Abbatissæ oblata fuit.] felici incendio tandem absumeret. Fuit filia Henrici Lotharingi Guisiæ Ducis, & Catharinæ Cliviæ Niversi Ducissæ, neptis Francisci I. & Annæ Atestinæ Ferrariæ Ducissæ, Serenissimis sanè Syderibus, ipsa totius generis decus, cum tantilla in ætate admirationi omnibus esset, & revera juxta profectum Verbi incarnati, sapientia & ætate apud DEUM profecisset & homines, qui in puellula, præcoces Virtutum omnium fructus, distinctissimè intuebantur. De hac deinceps plura suo loco, cujus pro rei dignitate, prima Religionis rudimenta memoranda duximus solemni cœpta initio, cui & Legatus Apostolicus, & plurimi Magnates Galliæ interfuere. *Ex vita Ms. & R. P. Amandi Tribout communicatis.*

Renata Lotharingiæ Princeps.

Promotio Congregationis Montis Syon.

Cum sacra Congregatio Montis Sion, de qua superius, & numero Cænobiorum & Monachorum virtute & sanctitate magis magisque quotidie ornaretur & augeretur, eam Pontifices maximi, totis conatibus promovere curaverunt; & insignia eidem Privilegia contulerunt Collegiorum inprimis earundem Universitatum Privilegia augentes & confirmantes; de quibus consulendus Henriquez. Qui ait [ratione reddens, cur tanta multitudo ad nostros confluerit.] experiebantur enim singuli, efficaciam mirabilem, quâ ad reducendos peccatores ad viam salutis homines illi DEO dediti, penitusque mundi vanitatibus Crucifixi pollebant, eorumque salutaribus monitis, plurimi, quasi coacti, semitam amplectantur Virtutis. *Excitatis.*

Ioannes de Bleu Abbas.

In Germania Inferiore augetur Benedictio Numinis in Benedictinis, dum certatim Monasteria de nulla re alia magis contendunt, quam de exactiore inter se disciplina. Certe Ioannes de Blen S. Andreæ prope Brugas Antistes, ita vicinorũ remotorũq; Religiosorũ percellit animos, ut plurima Monasteria inde sibi subsidia, & expertos disciplinæ Magistros expeterent.

Henrici IV. Gall. Reg. in Genebrardum affectio.

HEnricus Magnus Galliarum Rex, alias quartus dictus, etsi necdum Catholicus, Genebrardum tamen nostrum arctè complexus, ob admirabiles animi præstantissimi conceptus, & deprædicatam tota Europa eruditionem mirificè coluit; cumque hoc anno Sedes Metropolitana Aquensis Alexandri Canigiani morte vacaret, eidẽ Archiepiscopum dedit, ejus deinceps opera ibidem benè usus, quod ibidem Provinciæ Senatus, & Parlamentum, unum ex supremis Franciæ Justitiæ tribunalibus à Ludovico XII. recens constitutum esset; ubi & Camera Rationalium seu Computorum sive Finantiarum, ut vulgo vocant, Generalitas, nec non monetæ fabrica erant. Fuit miraculum Archiepiscopi Genebrardus, juratissimus Hæreticorum hostis, quos, uti potentissimus erat, verbo, & sapientiâ incomparabilis, mirâ rationum, argumentorum & demonstrationum vi felicissimè convincebat, sed & scriptis doctissimis confutabat, Apostolico sanè zelo ac merito, minimè abhorrens sui amantissimum & observantissimum Regem hoc ipso offendere, qui, sive hominis eloquentia persuasus, sive auctoritate, majestate & æstimatione profundissimæ doctrinæ captus & revera etiam convictus, tantum abest, ut tantum virum oderit, sed vel maximè suspexerit, deque ejuranda Hæresi serias cogitationes susceperit, donec sequenti anno incredibili Romanæ Ecclesiæ, & Catholicorũ omnium, Christianissimi maximè Regni plausu Catholicum sese publicè profiteretur. Ut ad Gilbertum Genebrardum nostrum, post DEUM Ter Opt. Max. & ad exempla sanctitatis Fulienſium nostrorum, tanti Regis Conversio spectatissimè spectare videatur. Sed de Genebrardi nostri laudibus, nemo satis, quem Rex Henricus ad summos honores promovere statuerat; ita revera meritum, nisi tantum virum præmatura mors tanti Regis expectationi, ut paulo post videbimus, præripuisset. *Ex diversis rer. Gall. Script.*

Ejus Conversio debita Genebrardo.

Fulienſium sancta exempla.

In Hispanijs magna vitæ perfectionis, & eruditionis laude celebratur Franciscus Suarez noster Vallis Paradisi Monachus, ore omnium longè laté-

Franciſcus Suarez Monachus Vallis Parad.

latéque celebratus. De eo sic Henriquezius: *Valde dexter*, inquit, *fuit in negotijs gerendis, exactúsque observator eorum, quæ Regula Monastica requirit. His tantum profecit, ut ad magnas dignitates illi viam sternerent: in quo non plurimorum, sequutus est consuetudinem, qui honoribus raro meliores evadunt, sed ferè ad peiora prolabuntur; sed consuetam secutus est humilitatem & sinceritatem, quam in Religione professus fuerat.* Præfuit diversis Monasterijs, tantáque dexteritate subditos sibi commissos, rexit, ut omnes eum majore dignum honore putarent, & in Generalem Congregationis Reformatorem eligerent. Et quamvis hactenus se diligentem pastorem, pium Patrem, ac Rectorem prudentem exhibuisset, tamen in hac dignitate videtur seipsum superasse; nam ita commodo gregis sui consulebat, ut licet multis exterioribus occupationibus, & maximi ponderis negotijs distraheretur, tamen nihil magis quàm interius animarum commodum promoveret. Venit & Virtutis & eruditionis ejus fama ad Philippi II. Hispaniarum Regis aures, qui eum Oliverani Monasterij in Navarra siti Abbatem elegit. Jn quo aliquot annos summa cum pietate domum illam gubernans transegit. Non tamen ideo litterarum exercitium neglexit, sed perdius & pernox in eo erat, & ut venturo ævo prodesset, reliquit eruditionis suæ monumenta:

Fit Generalis Congreg.

Ejus eruditionis fama.

Ingenij monimenta.

Jn Magistrum Sententiarum Libros quatuor in folio.

Compendium Privilegiorum Congregationis Hispan. Librum I.

De mortis anno nobis non constat. Videtur tamen vitam ulterius, ad nostrum usque sæculum produxisse, & plura alia posteris reliquisse.

Ven. Pius Episcopus Fundanus.

Hoc ipso etiam anno, plucherrimum Ordinis nostri ornamentum Pius, Fundanus in Campania Jtaliæ Episcopus, cœlo asseritur, vir & genere illustris [ex antiqua nimirum Lotteriorum familia, patria Neapolitanus] & Religionis ac naturæ præcipua bonitate, juxta sui nominis Etymologiam singulariter commendandus. Fuit Monachum in Archisterio mundi principe Casinate professus, in S. Severini in Urbe Neapolitana reformatissimi meritissimus Prior, Fundanus deniquePontifex à Gregorio XIII. Pontifice Maximo, æquissimo meritorum ponderatore creatus, & de grege suo optimè meritus, *De quo consul. Ferdin. Ughellus, Plac. Rom. Arn, Duac &c.*

Ven. Anastasius Immolensium Episc.

Pium pietate ac cæteris meritis proxime assequutus est Anastasius Ubertus, Cæsenas patriâ, Monachus & Cellerarius S. Mariæ de Monte, haud procul Cæsena, vir præter innocentiæ & perfectioris vitæ insigne, monili insuper doctrinæ ornatissimus, qui Jmmolensium in Flamminia Pontifex electus, verbo & exemplo, ovibus suis præclarè præluxit, & pastor sedulus ovile Domini fideliter custodivit; atque insuper nonnullis lucubrationibus suis, qualis & quantus fuerit, ostendit, *Ughellus prædictus, & Arnoldus, &c.*

IESU CHRISTI ANNUS S.M.D.XCIII. Sancti Patris Benedicti. M.C.X.III.

Laurentius de Zamora.

REdivivus si uspiam alias, in Bernardo suo & sacra familia sua Cistercienst Benedictus, iterum incomparabili se luce prodit, in Laurentio de Zamora, ingentium meritorum viro. Js in nostro absolutioris Reformationis florentissimo Horto, Hortensi Cænobio Monachum professus, cum ibi florentissima juxta pietatem excellerent litterarum studia, in utroque excelluit ad stuporem exercitio, & mirum, cum in altero vix parem haberet, in Regulari tamen perfectione & virtutum omnium assequutione, omnes longè transgredi visum esse. Factus ex discipulo paulo post Magister & Professor in Sancti Claudij in Galletia, disciplinarum Philosophicarum celeberrimo Emporio, Jbi Aristotelica præcepta, uti laboriosissimè, ita utilissimè & ingeniosissimè explicavit. Jnde in Castellam translatus, congestas ex assidua lectione sacrarum Scripturarum divitias uberrimè in densissimo Auditorio profudit. Accessit profundissimæ eruditioni, tanta oris facundia, verborum gratia, ut vix ulli uspiam Verbi Dei præconum primas cedere videretur. *Clamavit enim,* inquit Henriquezius, *nec cessavit, quasi tuba exaltans vocem suam, & annuncians populo scelera eorum. Nec veremur eum Ecclesiasticæ dictionis Tullium, Theologiæ Homerum, rationum Fidei Aristotelem, & Paulum in pulpito Christiano differentem*

Profundissimè doctus.

Insigne viri Elogium.

tem merito nominare. Sic enim demulcebat, ut vinctos quasi Auditores teneret: ita docebat, ut Divinis sensibus aures impleret; ita exhortabatur, ut virtutum ardoribus animos inflammaret. Quis narrare sufficit, quot sceleratos homines ab ipsis Inferorum faucibus extraxerit? Quot mundi vanitatibus insatiabiliter deditos, ad earum contemptum revocarit? Quot denique cœlitus vocatos, per virtutis iter direxerit? Et cum cæteris floreret virtutibus, gratiam tamen charitatis erga proximorum salutem singulariter obtinebat, quorum Spiritualis vitæ profectum nos ipsi vidimus, & admirati sumus. Cum enim præter incommoda vergentis ætatis, nervorum fluxu, & membrorum destitueretur officio, tanto nihilominus charitatis fervore flagrabat, ut aliorum sublevatus auxilio, constanti animo Cathedram, ad populum admirabili multitudine confluentem verba prædicationis facturus, ascenderet. Quæ tanta Mentis alacritate peregit, ut corpus tot ac tantis infirmitatibus oppressum, membrorum omnium officio fungi visum sit; quo tamen, (mirabile dictu!) peractis concionibus, protinus destituebatur. Tantus ei erat animus victor laborum, & cedere nesciens infirmitati. Et licet cœlestium rerum esset contemplator assiduus, in quo nempe studio spirituali gratiam obtinuerat singularem, omnisque ei ad meditandum hora brevis, locus omnis congruus erat; frequenter tamen Spiritu Divino urgente, studium hoc lucris uberioribus, scilicet animarum postponebat; doctus quærere, non quod sibi utile erat, sed quod multis. Cum tanta igitur vir præclarus Virtutum omnium claritate fulgeret, nihil ei prius fuit, quàm hominum laudes, & transitorios mundanæ gloriæ fucos, totis viribus devitare, & tanquam unum sese agere cæterorum. At prosequebatur gloria fugientem, Abbatialisque dignitatis ei honos & onus imponitur. Quæ vero prudentia suæ curæ commissos tractarit, qua modestia ac lenitate ad pietatis studium perduxerit, quis dignè explicare valeat? Verum neque his angustis sedibus, tam admirabilis doctrina, tam illustris vitæ morumque sanctitas concludi potuit, quin grato longè latéque odore se prodens, primo totius Ordinis Generalis Visitator exposceretur, tandemque Dissinitoris, cogeretur officium capescere. Sed de Laurentio plura suo loco. Cœlos plausu implet hoc anno, felici è terris transitu sanctæ memoriæ Asceta, Hortensis, sæpius jam celebrati hâc felicitate Monasterij, Pater F. Martinus de la Fuente, vir opinione sanctitatis clarissimus, qui in Monasterio S. Claudij morbo præoccupatus, non sine signis Gloriæ, quæ ipsum statim à morte expectabat, ex hac mortalitate decessit. Rapto in extasim multa ostensa fuisse creditum est, cujus â morte vultus Angelicum quid repræsentare visus est. *Manrique, in Compend. observ. Hisp.*

Elevatum hoc ipso anno est Avenione in Gallijs insigni solemnitate corpus Sancti Agricoli, ejusdem Urbis ex Monacho Lirinensi Episcopi, quum sæpè sæpius plurimis sæculis prodigiosissimè defendit, & pro immortalibus meritis Ejusdem Tutelaris eligi meruit, usque hodie in miraculis & beneficijs Redivivus. De quo ita Vitæ scriptor: *Norunt*, inquit, *hujus civitatis cives, quoties cum periclitarentur, & magnis undique circumsepti essent calamitatibus, crexerit, arcendo quidem hostes crudelissimos atque potentissimos ab hujus urbis mœnibus. Norunt cives, quoties ab imminente clade suos defenderit? Norunt quoties tela intenta jugulis civitatis, extorserit. Norunt quoties faces jam accensas ad hujus urbis incendium, protulerit, comprehenderit, extinxerit Sensere cives ejus auxilium, cum pernitiosa quædam lues grassaretur, quacum cædem civibus, interitum patriæ, insidias urbi molirentur hostes, ut à quibus non poterat esse tuta civitas propter nimiam pestis grassationem, ignibus postea* [miraculosis illis] *tuti esse cœpêre cives &c. Cui enim*, pergit, *fructuumque reliquorum perceptio & conservatio debetur? cui gloriosam Caroli III. Victoriam contra Albigensium impetum propulsandum populus detulit? cui salubritas civitatis, aëris moderatio adscribetur? nisi huic Divo Agricolo, &c. Tacebone, quoties cùm terra esset aridissima, cùm in supplicatione sanctissimum illius caput efferretur, maximi imbres è Cœlo demissi sunt, & redditæ sunt segetes uberiores? &c.* Ita citatus scriptor; durantibus usque hodie Beneficijs, ut diximus, ut huic quoque in hodiernam diem plurimum debeat Sedes Romana, ob suum ad hanc urbem singulare diversis sæculis refugium, sæpius in Agricolo suo experta BENEDICTUM reapse REDIVIVUM.

Martinus de la Fuente.

Signa Gloriosa.

S. Agricoli nostri Avenion. Epis. Elevatio.

Quantos Christo lucretur!

Zelus mirabilis ac fervor.

Bonorum fuga.

Jubilæus sancti Pont. Elogium

IESU

IESU CHRISTI ANNUS S. M.D.XCIV.
Sancti Patris Benedicti, M.CXIV.

Congregatio Ordinis Anglicana.

INgenti sacræ Romanæ Ecclesiæ & Anglicanæ bono, Ordinis nostri ornamento sempiterno Congregatio illa Anglicana, de qua superiùs, felicissimo successu, etsi à multis, incertum quo spiritu, impugnata, & quantum poterat, impedita, Divinâ allucente gratiâ, efflorescit, invalescit, & feliciter augmentatur: nomen suum eidem dantibus, illustrissimis hoc ipso tempore in Benedictino Ordine viris, quorum primi atque præcipui fuère sequentes, merito, pro suo Zelo verè Apostolico, & plus quàm generoso & Heroico, ex nomine celebrandi: Dominus Gregorius Sayrus, orbi Catholico in suis doctissimis ac solidè Theologicis lucubrationibus notissimus. Dominus Thomas Prestonus; Dominus Anselmus de Manceistria; D. D. Antonius Martinus, & Augustinus de S. Joanne, vir magni animi, summi Zeli præcipuæque industriæ, & imperterritæ constantiæ; F. Joannes de Mervinia postea Martyrio affectus; ut & F. Marcus Lambertus, F. Maurus Scottus, F. Georgius Gervasius, diversis temporibus beatâ morte, pro Christi fide constanter susceptâ, sæculo erepti, cœlóque inserti. Fuisse vero controversiam non parvam, invidentium gloriæ ab laboribus tam sanctis, & præclaris Benedictinorum, ex litteris quas subijcimus Eminentissimi S. R. E. Cardinalis Alani, ad Athanasium SS. Trinitatis Cavensem Monachum, apparebit; ex quibus quantopere placuerit prædicto maximo Cardinali causa nostrorum, Lectori manifesto constabit.

Primi ejusdem & meritissimi Patres.

Cardinalis Alani littera.

Charissime Frater & Fili: Binas à te litteras, ex quo in illa sancta loca concessisti accepimus: utrasque eleganter & amanter, & quod caput est, religiosè scriptas. Prioribus per meos familiares respondi: his posterioribus aliquid nacti ocij, ipsi rescribere voluimus. Primum ut non ab alijs solum, quantum à nobis diligaris, sed nostris id potius verbis, manuque nostræ scriptis tabulis intelligas. Deinde ut cognoscas, quanti faciamus illos tuos in sancta Religione progressus de quibus te nunc multò magis in Domino, quàm unquam ante in sæculo [licet semper propter præstantes animi dotes charissimus extiteris] amemus & complectamur; postremò ut gaudium hoc nostrum quod de felicissima hujus vitæ sorte planè cœlesti concepimus, tecum communicemus. In quo genere licet mihi Apostolicis uti verbis, majorem horum non habeo gratiam, quàm ut videam filios meos in veritate ambulare. Quod igitur contemptis rebus humanis tanto animi ardore ac impetu, cœlestia consectaris, mundique hujus, & vitæ sæcularis sævissimis, ac periculosissimis sæculi negotijs præstuleris hoc bonum solidum ac summè tibi salutare, fili, ex animo gratulamur, nec à Christo Opt. Max. hujus consilij tui authore aliud continuis precibus, vel à tua charitate, vel à nobis postulandum est, quàm ut opus salutis tuæ, quod ab ipso cœptum est, piè prosequatur & perficiat. Facies autem si tu, postquam manum ad aratrum Domini posueris, retro non respicias, sed ad anteriora totis viribus contendas; si Religionis graves sed suaves labores naviter pertuleris: si tentationes fortiter & constanter repuleris: si ea quæ in sæculo, vel ab Hæreticis, vel malis Catholicis, vel ab æmulis, vel ab invidis ad tui probationem perpessus es, ex animo prorsus ejicias tuo: ac etiam pro te persequentibus ores, quod faciunt omnes Sancti in cœlo, quorum tu nunc vitam, & charitatem cæpisti degere, ac imitari in terra. Quidquid aly de hoc vitæ tuæ sanctissimo instituto sentiant, aut loquantur, tibi persuadeas velim, tuas rationes summæ curæ esse; atque hoc tuum de Religione capessenda consilium, vehementer placere; nosque sperare, te sanctissimo Ordini, in patria nostra florentissimo (NB) restituendo, ac calamo & ingenio adornando, ab hoc sæculo nequam divinitùs ereptum esse. Quantùm ergo in illa sanctissima disciplina proficies, tantò magis te amabimus, tantoque minus te salutaris consilij hujus pœnitebit. Si per epistolarem brevitatem, aut scriptionis laborem liceret, possum pietatis tuæ multa ex historijs nationis nostræ, de istius Ordinis in Anglia celebritate & sanctitate commemorare; nam & Augustinus ipse, & cæteri S. Gregorij discipuli, qui gentem nostram ad fidem converterunt, erant omnes hujus Ordinis, atque omnia primùm instituta Monasteria (de quibus Venerabilis Beda) sicut & ipse Beda erant ejusdem Instituti; & Capitula Cathedralia universa (NB.) quæ posterioribus temporibus erant Canonicorum sæcularium, ab initio erant Ordinis S. BENEDICTI.

Athanasij Cavensis Tyronis pia institutio.

Religionis Commendatio.

Benedictinorum de Anglia celebrantur merita.

Ita erat Cantuariensis Ecclesia tempore Lanfranci, Anselmi, Thomæ Martyris, qui & ipsi fuerunt Monachi ejusdem Instituti. Ut nihil dicamus de nobilissimis Monasterijs S. Albani, S. Edmundi, Glastenburiensi, cujus Abbas, sicut & plurimi alij claro perfuncti sunt Martyrio, tempore Henrici VIII. Horum exempla Te, mi fili, ac cæteros nostrates, ad hanc solidam in Christo & Ecclesia gloriam sectandam animare possunt: nos certè tantorum hominum sola commemoratione summopere delectamur: quæ quoque cogitatio, veterumque rerum nostrarum memoria, nos prolixiores quàm voluimus effecit; sed ad animum utriusque nostrum non malè, nam tecum libenter loquimur. Memineris ergo nostri in orationibus, & Sacrificijs tuis: atque Superioribus loci, & Ordinis istius, à nobis multam dic salutem in Domino, qui & ipsos pro hac in peregrinos & nostros Christianissima charitate abunde beabit. Vale fili mi. Romæ ex ædibus nostris 12. kal. Febr. 1594. Manupropria Tuus in Christo Guilielmus Cardinalis Alanus. De reliquis consul. Cl. Reinerus.

Joachim Abbas S. Galli.

Moritur eodem anno in Germania nostra præclarissimis Abbatibus accensendus Joachimus Sangallensium Archimandrita, vir Religiosissimus & Doctissimus, qui Parisijs & Auernijs olim (ita fluctuante bellis Germania nostri Sangallenses, Weingarttenses, Einsidlenses, &c. ingenti sumptu in exteras provincias, ne Ordini & Ecclesiæ viri doctissimi deessent, ad studia mittebantur) omnes scientias largè imbibit. De viri meritissimi laudibus plura eruditissimus Jodocus Metzlerus libro 8. Rer. Sangall: quæ per multitudinem inferere nec licet, nec libet. Jdem in Coadiutorem Episcopi Curiensis cùm Jure & Decreto succedendi electus, memorabili rursus nostrorum Generositatis exemplo, persuaderi nulla ratione potuit, sed constantissimè Pontificales insulas recusavit, cucullo contentus, & sacrorum filiorum curâ, quos verè paternè dilexit, suoque exemplo ad omnem perfectionem formavit, & excoluit. Jdem Juniores suos, cum domi, tum foris Dilingæ, Romæ, Parisijs; &c. in studijs aluit, Pontifici Maximo, & Galliarum Regibus militem suum crebrò misit, Prælatum quemdam Apostatam doctissimis scriptis ab Hæresi revocavit. Dimissis ad tutiora suis

Curiensem Episcopatum constanter recusat.

Conventualibus (ecce veri Pastoris dignissimum, & S. R. J. Principis exemplum verè admirandum) pestilentissima lue passim grassante, ipsus curam populi suscipit. atque in festo S. Bartholomæi, [insigni planè die, loco, & morte] in ipso suggestu apoplexiâ tactus, post pauculas horas sanctissimè extinguitur, æternâ memoriâ celebrandus, & catalogo Martyrum dignus, ut qui verè animam suam pro ovibus suis obtulerit. Reliquit etiam verè immortalis memoriæ Princeps, præstantissimi ingenij monimenta aliquot, eaque inter librum unum: *De exercitatione veræ Virtutis*, & totam penè summam Divi Thomæ Aquinatis, redegit in tabulas. *Jodocus Metzlerus, Martianus Bucelinus, &c.*

Verus ovium Pastor.

Gloriosa Mors.

V. Maria de Bellovillare fit Abb.

Ipso anno sanctæ memoriæ Maria de Bellovillare S. Aniani Comitissa, Abbatissa Montis Martyrum designatur, quod ubi rescivit, tota in fletus resoluta, tanto dolore correpta est, ut moritura videretur. Verùm recreata paulo post est, quod intelligeret magnâ rerum in Orbe & urbe turbatione, Bullam Confirmationis Romæ non expediri, eo incredibiliter recreata, quo alij Electi vel maximè contristarentur, interim cum Cognata, sub obedientia, qua unicè delectabatur, manens in Monasterio Bellomontensi, *Amand. Tribout, &c.*

IESU CHRISTI ANNUS S. M. D. XCV.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XV.

Iterum gemma pretiosissima ex Ordine nostro Coronæ æternitatis inseritur Venerabilis Bernarda, admirandæ integritatis & puritatis Virgo Abbatissa Monasterij sancti Spiritus de Olmedo, quæ à Divino, & verè Seraphico in Deum amore mirè celebrata fuit. Claruit autem, ut multis Virtutibus, sic & Divinis revelationibus, visa sæpe à Monialibus, è terrâ, in sublime elevata, cùm animus ejus ad sublimia raperetur, ipso quoque corpusculo, omnibus prodente, quantæ sublimitatis anima esset, quâ aliàs vegetaretur. Evolavit denique post multa & mira sanctitatis relicta sororibus & filiabus sacris exempla, ad amplexus æternos Sponsi sui hoc anno, die undecima mensis Aprilis, felicissimam, & diu desideratam, resolutionis suæ horam

Ven. Bernarda Abbat de Olmedo.

horam vigintianteobitum diebus, indicante venerabili Francisco de Jepes nostro, cui Divinitùs id erat revelatum, præsciens & expectans. *Ex Josepho de Valasco &c*

F. Josephus Garzias. mon. Ferrar.

Hispaniam illustrat singulari & integritatis famâ, & summæ eruditionis Venerabilis P.F. Josephus Garzias Monachus celebris Cænobij Ferrariensis, vulgo l'Errera, Philosophus Eximius & Theologus consummatus, qui cùm singulari affectu afficeretur ad studia, ad Theologica tamen totus inclinabat, quod sciret inde erui infinita arcana, & DEI magnalia innotescere. Et quamvis solitudine plurimum delectaretur, ut sibi vacaret & Numini, cujus offensas plurimum dolebat & deplorabat; hoc tamen ipso dolore impulsus, ut vitia in populo passim & palam grassantia pro suo eximio zelo reprimeret, sese concionando exercere cœpit, omnemque movit lapidem, ut graviter exerrantes in viam mandatorum DEI dirigeret. Sed nec hic feruor iste stetit, verùm multos eruditionem & pietatem redolentes libros posteritati reliquit, è quibus præcipui:

Ingenij monimenta.

Concionum de Sanctis. . . . . Liber 1.
Concionum de Tempore. . . . . Liber 1.
Commentaria in aliquot Dævidis Psalmos. Liber 1.
Commentaria in Evangelium Matthæi Lib. 1.

Et plura alia, quorum aliqua Prudentius Plaza evulgavit Pampelonæ in quarto.

Joan. Saracenus Abb. Vedast. de Capucinis opt. meretur.

Eodem anno, quæ nostrorum tot sæculis fuit in novos Ordines benevolentia & munificentia, Joannes Saracenus Illustrissimi Sancti Vedasti apud Atrebates Abbas, eidem Amplissimæ Urbi, pro majore civium solatio inducit primum Seraphici Ordinis Patres Capucinos (quos etiam supra diximus inprimis Sacri instituti incunabulis susceptos & paternè curatos) ijsdemque Cænobium ibidem exstruit; quos & deinceps mirâ dignatione fovit, suisque posteris commendavit, idem ipsus exemplar & speculum virtutum omnium, & dignissimus titulo hoc BENEDICTI redivivi. *Ex Monimentis Vedast. Cl. Rob. &c.*

Paschalis Arbiensis Episcopus.

Clarent eodem tempore Paschalis Venetus ex Monacho Carcerensi prope Ateste um Congregationis nostræ Camaldulensis Arbiensis Episcopus; Augustinus item Fortunius Monachus, celeberrimi & florentissimi Angelorum Monasterij Florentiæ, ingenij monimentis celeber, scriptis octo Historiæ Camaldulensis libris, & diversis alijs: sed & Vitalis Zuccolus Abbas Patavinus relictis præstantis ingenij doctissimis lucubrationibus, quarum sequentes in lucem datas audivimus:

Vitalis Zuccoli Abb. Lucubrationes.

Dialogorum diversorum super Metheor. Lib. 1.
Enarrationum super Con. Tassi. Lib. 1.
Traductio Cambiorum justorum. Lib. 1.
Commentariorum & Quæstionum super Platonem. Lib. 1.
Octoginta Sermones super Cantica Canticorum. Lib. 1.

Hoc primùm anno contenduntur nonnulli ab Henrico IV. Gilbertum Genebrardum nostrum ad Thronum & Cathedram Archiepiscopalem Aquensem evectum, de quo nos jam superius ex aliorum opinione.

Gilbertus Genebrardus.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XCVI.
Sancti Patris Benedicti. M.C.XVI.

NUnc denique post biennij moram venientibus Româ Bullis Confirmationis Pontificijs, missis etiam, qui quibuscunque possent artibus persuaderent, Doctoribus duobus, an tribus Sorbonicis, humillima Virgo nostræ Beatæ memoriæ Maria de Beauvillier, post longam tergiversationem persuadetur acceptare Prælaturam Montis Martyrum, cùm periclitari Monasterium sua causa animadverteret, & suo eripi Patri BENEDICTO ob dissolutissimam disciplinam metueret. Verum hâc jam manus dante, tergiversari sancta ejus Institutrix Bellomontensis Abbatissa Mariæ Amita, quod non ad Monasterium, sed ad lupanar sanctam discipulam rapi diceret, donec & ipsa, quanti interesset, informata, quantumque spei in Maria reponeretur, intelligeret, & Dei gravem offensam, si porro obniteretur, metueret. Et sanè ex Dei ipsius extraordinaria factum fuisse dispositione, ex multis postea signis manifestò apparuit. Erant sorores binæ gemellæ spiritu non minus quàm carne & sanguine ejusdem Monasterij Montis Martyrum Moniales lectissimæ, quæ cùm frequentiùs statum Cænobij & sodalium miseratæ, & detestantes, cum nul-

Ven. Maria de Bellevillare fit Abb. Montis Martyrum.

Passionis ejus Monasterij status.

Duæ carne & spiritu sorores.

nullam sperarent emendationem, locum professionis mutare statuerent, scrupulo nihilominus conscientiæ retentæ DEI priùs enixè rogandam voluntatem concluderent; quod & strenuè fecerunt; venitque in mentem eremitam quendam sanctitatis opinione celebrem, quatuor tantum milliaribus distantem à Parisiorum Urbe conclusum cellulâ, desuper rogare, qui rem cordi habuit, & sollicitato paucis diebus Numine, hoc responsum dedit: (verbis Msti libelli damus) *Nolle DEUM, ut loco Professionis abscederent, reformandæ Domus, futuræ, miserante & opitulante DEO, præcipua instrumenta &c. Brevi visuras Juniorem Abbatissam, quæ superatis Divinâ ope obicibus omnibus tantæ molis opus prudens inchoaret, invicta prosequeretur, fortunata perficeret.* Ita factum, receptisque Bullis Pontificijs Maria non sine ingenti luctu & comploratione Illma Amitæ suæ totiusque Conventus Bellomontensis, itineri se dedit, cujus unicam puellam sociam habere voluit, nullius quidem apud homines nominis, sed gratiarum omnium virtutumque opibus apud Deum commendatissimam, quæ Religionem ingressa, plurimum prudentiâ, consilijs, maximè autem vivo virtutum exemplo Reformationi insigniter præluxit. Cæterum Maria nostra, priusquam solemniter inthronizaretur in Monte-Martyrum, in Palatio amicissimi Henrico Regi, Dynastæ de Fraxino, præter voluntatem retenta, & à diversis Principibus fœminis visitata, vix persuaderi potuit, ut Regem tantopere de se meritum salutaret, quod vel invita debuit, cùm Rex fortè apud prædictum Dominum prandium sumeret, & quid circa Montem Martyrum ageretur? interrogaret; cumque Abbatissam etiamnum secum morari diceret, ipsam evocare jussit, invitam admodum, verecundissimæ mentis Virginem Regi stitit, supra modum super elucescente sanctitatis imagine admirabundo, qui & omnem illi Regiam gratiam, & adminicula pollicitus, seriò postea affirmavit, gloriæ sibi ducere, nec minimum gratulari tantarum virtutum monialem intueri meruisse. Nec multo post possessionem Monasterij & regimen adijt, ab Episcopo Sanctonensi solemniter introducta & benedicta. De cujus sanctis exemplis, conatibus & conatuum successibus suo loco deinceps. *Ex Volum. Ms. & Amando Tribout.*

Revelatio de Successibus Reformationis.

Maria vix persuadetur Regem salutare.

De ejus conatu sibi Rex gratulatur.

Jn Gallijs & Provincia Narbonensi mira se sanctitatis produnt exempla Reverendorum Patrum nostrorum Fulliensium, quos inter eodem absolutissimæ perfectionis titulo exsplendescit Beatæ memoriæ Joannes Marionus, promotor ejusdem sacræ Congregationis, & disciplinæ Monachicæ præcipuus, Verbi autem Divini prædicator, verbo non minus quàm exemplo potentissimus, omni virtutum genere apprimè excultus, humilitatis tamen pulcherrimo in Religiosis omnibus desideratæ studio admirandus, quo honores Ecclesiasticos, & Episcopales dignitates ultro oblatos, dignissimâ generositate animitùs aversatus, constanter rejecit; eo ipso, & quod admirandis sanctitatis excelleret signis, in Catalogo Beatorum Fulliensium, tanquam unus è primarijs ejus Jnstituti syderibus insertus. *Carolus à S. Maria, Manrique, Henriq. &c.*

Ven. Joannes Marionus Fulliensis.

Durantibus bellis civilibus in Francia, Jllustrissimus & Reverendissimus Annas d' Escars noster, ex Monacho & Abbate S. Benigni Divionensis Lexoviensium Pontifex Romam se recipit, summo ibidem in honore habitus, dum nemo non in ipso omnium Virtutum mirabile coagulum, & compositum quodpiam veneraretur, ita ut paulo post, absque ulla alia quàm propriorum meritorũ commendatione, à Clemente Papa VIII. sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Presbyter sub titulo Sanctæ Susannæ renunciaretur; ita quàm primùm Romæ se probans & Ecclesiæ, ut singulare prorsus ornamentum purpuræ, fulcrum Ecclesiæ, celebraretur. *Ex Vita ejusdem & rer. Gall. Script.*

Annas d' Escars Cardinalis creatur

Eodem anno, maxima sua, Cænobij item & Ordinis gloria universi, multa Cathedræ ejusdem cum utilitate & felicitate, creatur Archiepiscopus & Dux Cameracensis Joannes Saracenus Jllustrissimi illius & celeberrimi Archisterij S. Vedasti apud Atrebates Abbas, & Philippi II. Hispaniarum atque Jndiarum Regis Consiliarius in sui sanctioris status Belgici intimo senatu. Jdem litterarum omnium Mecœnas muni-

Joan Saracenus fit Archiepiscopus & Dux Cameracensis.

munificus, de cujus ingenij monumendis consulendus. *Ferreolus Locrius &c.*

Joan. Dorotheus prior Vallisis Episc. Nicopol.

Florentissimum fama nomen Joannis Dorothei nostri Monachi & Prioris S. MARIÆ Vallensis, sive de Valle Congregationis Cluniacensis, U. J. D. & in Universitate Burgundiæ Minoris Dolensi Professoris Primarij, qui ob eximiam virtutem & eruditionem factus Episcopus Nicopolitanus, & suffraganeus Archiepiscopi Bisuntini, exin Eminentissimi & Illustrissimi S. R. E. Cardinalis Granvellani, mox etiam Cardinalis Lotharingi Vicarius, ubivis sese & magna vitæ integritate, & omni consiliorum & operum dexteritate mirificè commendans. *Arnoldus Duacenus &c.*

Christophorus Castelleius.

Inter Illustres sui temporis viros meritò numerandus, Christophorus Castelleius, extinguitur hoc anno, cùm aulas Cæsaris ac Regum triginta annos, totidem & paulo plures Christo Regum Regi utrobique fideliter, huic multo feliciùs & utiliùs, quàm illis serviviſſet. Cæterum etsi delicium olim Aulæ esset, nihil tamen inde quàm laudes & inania promissa retulisse fassus, ubi primum delicias atriorum Domini expertus est, Religiosorum sacra solatia omnibus mundi præstare delicijs seriò affirmavit, & verè agnovit, quàm antea vana multa meditatus & in lucem proferens, tam plena deinceps cœlestium rerum præguſtus scripsit, & multa cum utilitate posteris communicavit, sacra & profana ingenij monimenta celebrantur sequentia:

Magni ingenij monumenta.

Amatoriorum Operum quæ in sæculo vulgavit. . . . . Liber I.
Epistolarum ad diversos. . . . . Liber I.
Historia Pyrami & Thisbes Hispanico carmine, ... Liber I.
De Amoris profani passionibus & affectibus. . . . . Liber I.
Polyphemi Soliloquium.
Joco-Seria, sive rerum facetarum. Lib. I.
De linguæ Hispanicæ affluentia & præstantia. . . . . Liber I.
Fabula Actæonis ex Ovidio, & in hanc Commentaria. . . . . Liber I.
De infelicitatibus quæ supervenerunt anno Domini 1540. . . . . *Liber* I.
Transfiguratio cujusdam Cantabri. Lib. I.
Laudes Civitatis Viennensis in Austria. Liber I.
De moribus, conditionibus, & natura fœminarum Dialogus.
Dialogus inter Calamum & Auctorem.
Contra varietatem & instabilitatem Querimonia. . . . . Liber I.
Levamen afflictionum seu dolorum Lib. I.
Dialogus inter oblivionem & memoriam.
De Aulicorum infelicitate, miserijs & ærumnis. . . . . Liber I.
Dialogus inter Fabricium & Prudentium.
De Principum moribus, religione, prudentia & Virtutibus,
De Aulica prudentia & civilitate.
Colloquium inter fidelitatem & adulationẽ.
De Inventione Sanctissimæ Crucis Dominicæ.
De Beatissimæ Virginis Visitatione, Salutatione & Purificatione.

Quæ simul cum supra scriptis excusa sunt plus quam decies, etiam extra Hispanias.

IESU-CHRISTI ANNUS S. M. DXCVII. Sancti Patris Benedicti. M. C. XVII.

TRistissimus hic annus Ecclesiæ Christianæ, amplissimo Galliarum Regno, & Regum maximo Henrico IV. occasu syderis longè illustrissimi Gilberti Genebrardi Aquensis Archiepiscopi, Hæresum profligatoris acerrimi, Consiliarij Regis & Regni sapientiâ inexhausti, fidelitate præcipui, incomparabilis dexteritate, de quo casu Rex plurimum consternatus, & quæstus summopere, prius sibi & Regno ablatum, quàm pro dignitate evehere, & honorare potuisset, gratumque ipsi animum contestari. De quo sic Claudius Robertus in Gallia sua Christiana, breviter, sed Emphaticè: *Obyt* 1597 16. *Februarij, ut habet inscriptio monumenti in B. MARIÆ Semurienſis Prioratu, quem vivens religiosissimè administraverat, de quo Prioratu nos infra in Episcopis Lingonensibus numero* 49. *At de Genebrardo Possevinus in apparatu sacro, Wion in Ligno vitæ, & plures plura, sed nunquam satis, ubi materia superat opus, inter quos Franciscus de Sales Episcopus Genevensis libro II. de Amore Dei cap. II. cui Genebrardo mortuo, immortuo, ære alieno jam olim parentavimus:*

Gilbertus Genebrardus moritur.

Abstulit una dies ævi Decus, ictaque luctu
Conticuit sacræ tristis facundia linguæ.

Insigne Elogium.

Nec immeritò, præclarum Ecclesiæ literarumque Sydus ab Opmero nuncupatur, Vide R. P. Hilarionis de Coste Elogia Illustrium Galliæ virorum. Et ad marginem, idem Robertus: *Genebrard decedé au grand regret de toute la Chrestienté pour*

pour sa profonde Theologie, & sçavoir universel, Cæsar de Nostre-Dame en son histoire de Provence & Sponde. Epitaphium ipsum mihi exscriptum, & inde missum alium diem mortis indicat. Ita spectatur Semuri Mandubrorum in Prioratu B. M. V. Ordinis S. P. N. BENEDICTI, ubi sepeliri inter Fratres suos elegit, in medio chori ejusdem Ecclesiæ tumulatus, cum hac inscriptione.

Epitaphium ejusdem.

Gilbertus Genebrardus Archiepiscopus Aquensis
Prior hujus Cœnobij. Obijt 13. Martij CIↃ. D. XCVII. ætatis 63.

In medio ejusdem monumenti intra figuram ovalem insculptus legitur hic versus:

Vrna capit cineres, nomen non orbe tenetur.

Subter insignia Archiepiscopali gelero tecta, in capite tres stellæ acuminatæ, cum phœnice flammis insidente. Appensa item 4. chori proximis sepulchro columnis totidem funebria lemmata, è quibus primum Hebraicum penè exesum. 2dũ. Gallicum planè oblitteratum. Tertium, quod apponimus:

D. O. M.

Aliud eidem positum ibidem.

Gilberto Genebrardo Ord. S. BENEDICTI Religioso, Alvernia oriundo, doctrina, usu votoque conspicuo, cum juvenis per doctrinam Sorbonicus Doctor ampliss. honor: in Theologia: per usum ex doctrina Divinarum Hebræarumque litterarum Regius Professor, primam sui sæculi famam in Hebraicis: per votum ex doctrina & usu Reverendus Prior hujus Cœnobij factus, integerrimam vitam, ac morum opinionem consequutus fuisset: Senior Archiepiscopatu Aquensi a summo Pontifice donatus; Catholicam fidem religiosissimè coluisset; sedemque Apostolicam constantissimè adjæviſset, Chronologiâ plurimisque libris in lucem editis. Obijt Semuri Mandubrorum, incredibili omnium mœrore, addictissimorumque Religiosorum luctu anno Sal. CIↃ D. XCVII. Martij XII. fecit annos LXIII. sui amantissimo viro Jacobus Planchot Ad.tus flens mœrensque elogium hoc P. P. D.D.

Quartum ita habet.

P. N. Reverendissimi & dignissimi in Christo Patris & Domini Gilberti Genebrardi Archiepiscopi Aquensis &c.
Creditur hoc Genebrard, contectum marmore? Non est.
Sorbonæ an Decus hoc conderet urna brevis?

Item aliud eodem loco.

Quem vix Europæ aut Asiæ tellus capit: hujus
Cærula vix cineres Thetios undæ tegit.
Ergo pro tumulo totus dum est Orbis in uno
Anne potest Virtus tanta latere loco?

Ad Urbem Semuriorum:

Siste gradum: hic Iustus securæ morte quiescit
Quid Semir? in Christo Vitaque morsque micant.
O Te felicem Urbem: olim neglecta iacebas:
Ossibus at tanti quàm pretiosa viri es?

Hæc pro ipsâ simplicitate sæculi, tanto viro, tam sordidè parentantis. Porro quotannis die Depositionis ejusdem 14. Martij qui pro concione ibidem perorat in Quadragesima, totus in laudes viri inclyti effunditur, peractoque sermone, Anniversarius dies obitus solemni officio ac Missis peragitur.

Ne Gallia solâ in luctu esset, Hispania quoque Eclypsim passa, obscurata mœrore haud minimum, est magno revera sydere suo ad cœlos rapto, sanctæ memoriæ Sebastiano de Villos-lada, viro absolutissimæ perfectionis, qui laboribus pro Dei honore exantlatis optimè meritus, hoc ipso anno, in professo Puritissimæ Conceptionis B. M. V. unicæ Tutelaris suæ VII. Decemb. placidissimè in Domino requievit. Fuit sui ipsius contemptor laudatissimus, & cùm plurimos oblatos sibi honores synceriſſima mente tanquam homo inutilis diu respuisset, eosque inter Palentinum Pontificatum generosè rejecisset, cavere tamen non potuit, quin vel invitus postea Cœnobiorum, plurium curam, & regimen susciperе cogeretur; Prior primùm Cœnobij S. P. BENEDICTI Vallisoleti; inde Abbas nostræ Dominæ de Buesso, mox S. Joannis de Podio, demum S. Martini Madritensis creatus; quo in munere amplissimè, & immortaliter de Ordine nostro meritus, Congregationem Hispanicam, visitator ejusdem Generalis constitutus, sua industria quam scitissimè, ad perfectam, juxta præscriptum Regulæ, normam revocavit. Idem Præco Verbi Divini, summa vi eloquentiæ, elegantia morum, & potentissima exempli efficacia, plurimos à vitiorum

Obijt Ven. Sebastianus de Villos lada Montserrat.

Elogium eiusdem.

rum situ atque pedore extraxit. Confessiones autem piaculares excipiens, pari felicitate multos, eosque inter Nobilissimos nonnullos mirificè convertit, & ad saniora sanctioraque perduxit. Quæpropter Philippo II. Hispaniarum Regi ejusque sorori Mariæ de Austria Jmperatrici, multisque alijs Principibus valde charus fuit, qui dubijs maximè in rebus ejus consilio nitebantur, & vix ab ipso avelli se, sive distrahi patiebantur. Claruit multis & in vita & post mortem miraculis, quam, ut plurima alia, spiritu prophetico disertè & distinctè prænunciavit, mox ut vita excesserat, prodigiosa cœlestis odoris fragrantia, non è corpore solum ejus, sed & imagine sive effigie ejusdem, alicubi asservatâ miraculosè emanante. Vixit annos sexaginta. *Ex libro Inquisitionis super vita & miraculis ejusdem, Ægidio Gonzalez, Davila, Jepes, Perez, Vita Mta, Menardo &c.*

Prophetiâ & miraculis claruit.

In Gallijs celebrantur ab insigni eruditione Lupinus Claræ vallis Abbas vir Religiosissimus, inde ad Carnotensem Cathedram postulatus & Episcopus consecratus, familia de Myrrha; & Claudius Sainctes ibidem Monachus, uterque relictis ingenij monimentis immortalis. Quo ipso tempore floruit etiam P. F. Dionysius Barrahona, qui Philosophiam in Monasterio Meyræ professus, ex unico Cursu suo, ut vocamus, 17. discipulos promovens ad Theologiam, adeo insignes & eruditione & pietate, ut ex ijsdem, tres Congregationis Generales, tres item Episcopi, duo Archiepiscopi, duo Abbates perpetui, duo publici SS. Theologiæ in primis Cathedris Salmanticæ & Compluti Professores, unus qui Regi à Concionibus, unus Calatravæ Magnus Prior, reliqui Triennales ex more Abbates eligerentur. Ut ex una Monasterij schola facilè animadvertas, quantum subinde emolumenti & ornamenti toti Regno eveniat. *Manrique, &c.*

Lupinus abbas Claræ vallis.

Dionysius Barrahona.

Eodem anno miri successus Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominæ Mariæ nostræ de Bellavillier Montis Martyrum Abbatissæ, ope præsenti Consolatricis afflictorum, cum sancta Abbatissa, infanda intueri cogeretur in credito sibi Monasterio, nec sciret quâ ratione tot tantisque malis, unica omnibus, & quidem in pravitate obstinatissimis sese opponeret. Opposuit se ipsus, sanctis Abbatissæ conatibus, qui animabus curandis præfectus, ipse ad omnem carnis licentiam ijsdem & auctor & ductor erat, verum ad preces Mariæ nostræ morbo quàm primùm lethali correptus ac desperatus, mirisque portentis vexatus & territus, donec nocte quadam in somnis Deiparam corona splendida insignem intuitus, mortem minitantem, nisi quàm primùm Monasterium à se tot flagitijs contaminatum desereret, manè facto efferri voluit, munusque resignans, summa in animi contritione vitam abrupit. Maria nostra Cyrillum Anglum quendam intaminatissimæ Vitæ hominem sibi suisque deligente, qui fidelem deinceps operam eidem in reformatione Monasterij impendit, etsi uterque, ut audiemus, magnas etiam deinceps, priusquam DEI gratia evincerent, perpessi fuerint difficultates. *Ex Vita ejusdem.*

Ven. Maria de Bellovillare certamina.

Ejus hostis à Deipara cedere cogitur.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XCVIII.
Sancti Patris Benedicti. M. CX.VIII

MOrtalibus valedicit felici pro magnis meritis assertus immortalitati Reverendissimus & Jllustrissimus Princeps ac Dominus Joannes noster Saracenus, ex Abbate S. Vedasti Cameracensis Archiepiscopus, Bruxellis religiosissimè extinctus, Regi Catholico charissimus, verus Patriæ Pater, fama post se relicta immortali, ob studium & operam Catholicæ Religionis in maxima Belgij parte conservatæ, cui pro meritis, ad S. Vedasti, ubi sepeliri elegit, sequens est positum Epitaphium:

Moritur Joan Sarracenus Archiep. Cameracensis.

Joannis Sarraceni, quod fuit hîc jacet; viri planè incomparabilis, qui ab incunte ætate hujus Cœnobij Monachus, per officiorum illustrium gradus, ad supremum Abbatiale culmen deductus est; quo in munere quinque ferè Olympiades, perseverans, toti Artesiæ veluti Tutelare Numen assicit, interitus per duellium Fidei Catholicæ ac Regis hostium, à quibus proin in tetrum Atrebati carcerem conjectus, inde postea eductus, apud Philippum II. pro motibus Artesiæ componendis legatione perfunctus est. Inde redux à Consilijs status Catholicæ Majestatis & Artesiæ factus;

Ejusdem Epitaphium.

tandem Archiepiscopus Cameracensis obyt anno 1598. 5. *Martij.*

Succedit eodem anno Illustrissimo Saraceno in Abbatia S. Vedasti, haud imparibus deinceps talentis præditus, meritis maximis Philippus Caverellius, Præsul omni laude major, doctrina, genere, & virtute nobilissimus, de quo plura suo tempore.

Philippus Caverellius Abb. Vedast.

Meritissimi sub hoc ipsum tempus Hieronymus Casinensis Abbas, & Victorinus Mansus ejus in honore dignissimus Successor, quorum liberalitate, insigne Seminarium, sic vulgo appellant, ad juventutem Clericali disciplina simul & litteris imbuendam exstructum & instructum fuit. Unde colligas, per nostros, summa cum utilitate Reipublicæ Christianæ, ad Clericorum sustentationem atque educationem, quod sexcentis ejusmodi exemplis edocere possemus, à tot sæculis, nihil unquam desiderari potuisse; etsi sæpius tanta hæc gratia vix agnosceretur, sæpissimè indignissimis modis recompensaretur. Quo eodem anno Victorinus Stabiensis Episcopus, à Clemente VIII. acerrimi judicij ac prudentiæ Romano Pontifice, ad eam Cathedram pro dignitate evectus & creatus est, qui præsens ipsius dum Victorinus Episcopatus pessessionem adiret, prudentibus viri responsis, & reconditiore doctrina usque adeo captus est, ut eo impensiùs collaudato asseruerit: *Cathedræ quidem à se satis consultum esse, Antistiti non item*, quem nimirum longè sublimioribus dignum æstimaret; uti non multo post Arianensi vacante Cathedrâ ad illum pontificatum provexit, altiùs promoturus si per vitam licuisset. *Ferdin. Ughellus, M. Ant. Scipio, Arn. Duac. & plures alij.*

Hieronymus & Victorinus Abbates Casin.

Victorinus fit Stabiensis Episc.

Clementis VIII. de Victorino dictum.

Moriuntur hoc etiam anno duo insignia Ordinis ornamenta, alter Cluniacensis, alter Cisterciensis Reformationum Ordinis nostri singularia sydera: Franciscus Oliverius Oliverensis Comitis verè Illustrissimus filius, sacræ familiæ Cistercensis in Regno Aragonum Generalis Vicarius, ad Philippum II. Regem in causis totius Regni Legatus, tantus omnino vir, ut ipsi non semel, omnium Regni procerum calculis, summi honores & munera decernerentur, alter Joannes Fremiotus Cænobij S. Benigni Divionensis Monachus & Infirmarius, insignis pietate & Nobilitate vir, Andreæ Archiepiscopi Bituricensis patruus, hoc à morte Epitaphio decoratus:

Franciscus Olivier.

Ioan. Fremiotus Mon.

Joanni Fremioto, Patricio Divionensi, Cænobitæ Benigniano sæculo irregulari Regulæ observantissimo, Sanctimonia & bonitate insigni, Mathematicæ & Mechanicæ solerti, ad vitam, quam diligentibus se Christus repromisit, præcoci morte properanti A. D. 1598. 4. *Id. Julij. Ex Historia & Chronologia Divionensi, Cl. Roberto & variis Gall. Script.* Ejus Epitaphium.

Admiranda in omnibus Dei Gratia, sed in sexu inprimis fragili muliebri, tanto semper apertiùs se prodit, quanto etiam virorum etsi rigidissimum vitæ rigorem, excellere gestit, imo suas & virorum supergressa vires, solius Numinis operatione & motione tanta posse in imbecillimis manifestum reddit. Talis hoc ipso tempore, non in uno solum, sed pluribus Monialium Cænobijs, conspicuam sese exhibuit, cum plerisque mortalium ad luxa & fluxa desluentibus, ipsis quoque Religiosis super natura in dies infirmiore quiritantibus, quid sua possit gratia, & potuerit semper, novis exemplis comprobaret, & stupente super rigore Fuliensium nostrorum Galliâ atque Italiâ, delicatissimas etiam Virgines excitaret, & sæpe majora, quàm in viris efficeret, ita ut integra Monialium Monasteria, nullâ ex debillimis exceptâ, Fuliensium sese acerrimo rigori ultro devoverent, &, quod mirabile! omnes singulæque ea qua cœperant generositate, pari quoque constantia, ad finem usque vitæ prosequerentur. Ex his Monasterium Virginum Tolosanum inter prima, si non præcipua fuit, in quo Jacquelina de Dimpatalla Domina de Margastaldo Priorissam omni perfectionis nota illustrissimam agebat, hâc sub hoc ipsum tempus extinctâ, & ad superos translatâ, suffecta in ejusdem locum est Domina Margarita de Polastron, Jacquelinæ quondam secundùm carnem mater, postea filia; utraque tanti rigoris non solum observantissima Fuliensium discipula, sed promotrix, & Magistra cæterarum, imo sanctitatis & Virtutum omnium Regula & Idea, ut usque hodie Viragines istæ, & Amazones, omnem effæminatorum Religioso-

Admiranda in sexu fragili Dei gratia.

Jacquelina de Dimpatalla.

Margarita de Polastron.

glosorum confundant delicatam vitæ rationem. *Ex Philippo Malabayla, Carolo à S. MARIA &c.*

Erminus Francois Abb. Laubienſ.

Mortalitatem exuit hoc eodem anno Erminus Francois Monachus & Abbas Laubienſis vir egregius, rebus Divinis dediticſſimus, arctiſſimæ diſciplinæ obſervator & promotor ſtrenuus, non ſine opinione magnæ perfectionis & ſanctitatis. *Ex Monim. Laubienſ.*

IESU CHRISTI ANNUS S.M. D.XCIX. Sancti Patris Benedicti. M.CXIX.

ITerum memorabili Benedictinorum, conſueto tanto decurſu ſæculorum in diverſos Ordines beneficentiæ & Liberalitatis Benedictinæ ſtudio, ſolemniter ſtabilitur à Matthæo Moullart noſtro Atrebatenſi Epiſcopo, celeberrimum & Magnificentiſſimum Patrum Societatis JESU in prædicta urbe Collegium, maximo ſumptu conſtructum à Reverendiſſimo Domino Joanne Lentailleur Aquiſcinctini Cænobij Abbate laudatiſſimo: cujus Collegij Rhetoribus ſcribens doctiſſimus Lipſius epiſt. 50. Cent. I. *Habetis*, ait, *Doctores fato natos, fas ita loqui, ad optimas artes, & cum eis pietatem excolendam, audite, ſequimini, & militate ſub felici illo ſigno, &c.* Qui poſtea Abbas immortalitate digniſſimus, pro meritis à morte plauſibiliter laudatus fuit ab Univerſitate Duacena eique merito tanquam Mecœnati, & parenti tot virorum eruditorum ſolemniſſimè parentatum. *Claud. Robert. Joan. Eucelinus, Monim. Aquiſcinct.*

Joan. Lentailleur Abb. de Societ. PP. meritum.

Contendit hoc ipſo anno cum Aquiſcinctino Præſule, vix adito Abbatis apud Vedaſtinos honore immortalis memoriæ Antiſtes Philippus Caverellus, & alterum haud impari magnificentia Duaci condit Collegium, vulgo Vedaſtinum dictum, in quo Vedaſtini Ordinis noſtri Religioſi, ab ipſa Univerſitatis fundatione, ad hanc uſque horam, Philoſophiam, Theologiam, cæteraſque liberales artes profitentur, magno cum honore Ordinis & gloria, ſed & fructu maximo juventutis. *Ex Monimentis Vedaſtinis, & inde communicatis*, ſed de Caverelli rebus præclarè geſtis plura deinceps.

Philippus Caverellus de re litteraria meritiſſimus.

Incredibilis labor, cum merito patientiæ, conſtantiæ, & ſolidiſſimæ charitatis incomparabili ſanctæ memoriæ Mariæ noſtræ de Bellovillare Abbatiſſæ Montis Martyrum in obſtinatiſſimis Monialium ſibi creditarum animis evincendis, ipſo etiam Archiepiſcopo Pariſienſi, cujus curæ ſuberant, Petro de Gonde, viro Religioſiſſimo noſtrorumque longè amantiſſimo, oleum & operam perdente, cùm ſua Auctoritate orando, monendo, obſecrando in propria perſona ſæpius occurrens, nil niſi ſubſannationes, opprobria & contumelias referret, Maria tamen noſtra ſuffragijs DEI paræ freta, inexplicabili manſuetudine, ipſoque admirabili vitæ exemplo fluctus omnes feliciter eludente, nova ædificia moliente, & in ijſdem Regularem Clauſuram, ut vocant, inducente, & cum ſupra celebratis ejuſdem Cænobij Profeſſis monialibus, Catharina & Maria d' Alveguin, ſpiritu non minus quàm carne ſororibus eâque quam ſecum duxerat ſanctæ mentis puellâ, animos denique aliquarum lucrantibus, donec, uti deinceps audiemus, propitio Numine, glorioſè triumpharet, & tantum Monaſterium, *Benedicto Patri* in ſuis *Redivivo* aſſereret. *Ex Vita ejuſdem.*

V. Maria de Bellovillare agones.

Succeſſus Reformationis.

Supremum & fatalem hunc [nobis Natalem] habet annum 1599. Reverendiſſimus in Chriſto Pater ac Dominus, Joannes à Plutzel, frugi & antiquæ probitatis Abbas Monaſterij S. Matthiæ Trevirenſis, cujus elogium integrum ex Meſenich tranſcribere placuit:

Joannes Abbas S. Matth. Trevir.

Hic igitur Abbas fuit ſumma in Deum Religione, juſtitiæ & æquitatis ſtudioſiſſimus, carnis ſuæ domitor egregius, Regularis diſciplinæ obſervator exactorque diligentiſſimus, in frequentatione Chori aſſiduus, in celebratione quotidianus, in ſublevandis pauperum neceſſitatibus mira entuit liberalitate. Quo in ſtudio dum temporibus diriſſimæ famis illius quæ circa annum Domini 1580. *totam penè Germaniam miſerrimè depopulabatur, ſedulò verſaretur, accidit mirabile dictu, ut quamvis ad imperium Domini Abbatis, ex paucis, quæ Monaſterio reliqua erant fructibus, quotidie indigentibus copioſiſſimè ſubveniretur: hydria tamen farinulæ (ut cum Scriptura loquamur) Deo utique ſic volente, ſimul ac benedicente, ad oſtendenda tanti viri merita, Diminutionem nequaquam ſenſerit, ſed uſque ad finem tantæ*

Pauperum Mecœnas.

caritatis, in sua semper plenitudine perduraverit. Vestibus utebatur, non pretiosis, aut seculi vanitatem redolentibus, sed vilibus admodum, & vulgaribus. Mores autem suos, sic omnibus attemperabat, ut

Exemplar veri Pastoris.

verissimum esset exemplar illius, quem ad Titum Paulus describit, Episcopi, &c. Rexit Monasterium annis 26. diebus 27. Moritur senio, ac diuturnâ Phthyseos maceratione exhaustus, conditusque in Choro S. Joan. Baptistæ. Ex Mesenich.

Eumdem quoque annum vitæ suæ ultimum habuit Reverendissimus Dominus Fridericus Maricollensis ad Helpram fluvium in finibus Hannoniæ Abbas, vir præstantissimus, & ob insignia animi talenta, ingenij dona ad secretiora Regni consilia experitus, & adhibitus; qui sedulam nihilominus suorum curam habens filiorum, disciplinam Monasticam fovit mirificè & promovit, ab omnibus intimè dilectus, suosque vicissim tantopere diligens, ut cum Abbas Cœnobij opulentissimi S. Petri Gandavensis postularetur, suorum amore, omnino detractaverit. Celebris apud omnes ob eximias Virtutes in Vita & Morte, quâ, ipsâ die

Fredericus Abb. Maricoll.

Felix mors.

Paraseeveos feliciter decessit, ipsam semper in pane & aqua transigere assuetus: ultimamque sibi similiter proponens transigere, cum sollicitos de se Fratres juberet abscedere, ut pium aliquid tam sacra die meditaretur, ab regressis repertus est mortuus A. 1599. *Ex monimentis ejusdem Cœnobij, communicante admodum R. P. Antonio Erckelens, &c.*

Claudit sub hoc ferè etiam tempus cursum vitæ sanctissimum Religiosissima fœmina Catharina Paëz, Abbatissa Monasterij S. Spiritus de Olmedo, orationis studio, & sanctitatis famâ in paucis conspicua, de qua sic Joseph Velasco: *Revelavit DEUS venerabili viro Francisco de Jepes, Animum ipsius rectà cœlum conscendisse, magnamque gloriam obtinuisse, & quod transiens per locum Purgatorium animam cuiusdam Monatis ejusdem Monasterij, quæ ante aliquot dies obierat, à pœnis liberasset, secumque in cœlestem patriam induxisset.* Joseph de Velasco, Chrysost. Henriq.

Verè in plenitudine sanctorum detentionem suam esse demonstrans Virgo Mater Augustissima cœli Imperatrix, ex lectissimo Sanctorum sui Montis Serrati promptuario, rutilantissimum denuo sydus, à se cœlis educatum, corporis solutum ergastulo inter lucidissimas Empyrei cœli stellas inserit hoc anno sanctæ memoriæ virum R. P. Joannem Castanizam, doctissimum æquè ac sanctissimum, Joannis Alphonsi Curielis celeberrimi illius, totoque orbe famosissimi Theologi, alterum animum (qui item Curiel, quamvis Ordinem nostrum professus non sit, merito tamen nostris etiam accensendus, quibuscum & perpetuo ferè vixerit, & sua omnia legaverit, ac denique inter eosdem sepeliri voluerit) in cujus unius laudibus, foret quàm diutissimè immorandum, nisi intenta & promissa brevitas aliud exigeret. Sufficit Epitaphium posuisse.

Ven. Joannes Castaniza.

Venerabili Magistro Frat. Joanni Castaniza Benedictino, Sermone aureo, ore facundo, in dicendo suavi, in persuadendo miro, Apostolo Paulo prædicatione simillimo; ob amabilem Vitæ suæ Sanctitatem, honori & decori omnibus: post oblatas sibi à Philippo II. præclaras dignitates, ac magnificè spretas, charissimi sui D. M. Illefonsi Curiel petitione prope ipsum tumulato. Obijt 18. Oct. Anno 1599. Consulendus Antonius de Jepes & monimenta Montserratensia.

Ejus Epitaphium.

In Hispanijs item ad supera accersitur sub hoc ipsum tempus Venerabilis Pater Magister Andreas de Azitores Monachus S. MARIÆ Vallis Ecclesiarum in Regno Toletano, singularis pietatis & ingenij vir, à conversionis suæ primis initijs, ab eximio Virtutum studio omnibus admirandus. Obedientiæ tamen observantiâ adeo excelluit, ut mira prorsus solertia, ad amussim omnia Superiorum jussa, juxta mentem & Regulam S. P. BENEDICTI & observaret & exequeretur, quod legem sibi inviolabilem crederet, quidquid præciperent. Jta etiam ab ijsdem litterarum adhibitus studijs, tanto acrius contendit, ut in Philosophicis quidem nemini doctissimorum cederet, in Theologicis autem DEUM intellectus sui unicum faciens objectum, Divina ac cœlestia scrutatus, in magnam vitæ perfectionem & ipsus proficeret, & ea insuper proferret, quibus & alios accenderet, & posteritati con-

Andreas de Azitores.

Ingenij monimenta.

consuleret, nec contemnendum Ecclesiæ fructum produceret. Ex his fuere: *Decades decem, Theologiæ Symbolicæ seu Hieroglyphicæ*, Salmanticæ typis mandaræ anno 593. Scripsit etiam *Theologiæ item Symbolicæ, septem alios tomos*, quos tamen morte præventus publicare non potuit. *Ex Chrysost. Henriq. Phœnice, &c.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. C.
Sancti Patris Benedicti, M. C. XX.

IUbilæo hoc anno, admirabili jubilo cœlos implet, felicissimo transitu suo, Miraculum Angeli hominis sanctissimæ memoriæ Abbas, & Fulgensis Congregationis Legumlator & Patriarcha Joannes Barrerius (de la Barriere) cum rigidissimo suo Instituto & sanctissimis filijs, tali vitæ præluxisset exemplo, quo non poterant non excitari atque accendi, ad tormenta quævis pro Crucifixo Amore suo subeunda, cujus gratia concitati viri fœminæque, quotidiano sane Martyrio spontaneo, carnis quasi propriæ obliti & sanguinis, sese victimas mactarunt, & immolarunt, in quibus omnibus & vivens quotidie & moriens Barrerius, ad triumphos Martyrum æternos hoc ipso anno, quarto Cal. Maij assumptus, Romæ pretiosissimas attenuatissimi corporis exuvias deposuit, insignibus miraculis & revelationibus, & in vita & à morte à Numine illustratus, vir dum viveret & Regibus & summis Pontificibus summæ Admirationi & Venerationi: *Cujus Angelicam conversationem*, ait vitæ ejus scriptor, *Vitæ puritatem, morum integritatem, Religionem in Deum, humanitatem in proximos, in seipsum rigorem, admirandum potiùs quàm imitandum, tota Europa miratur & veneratur.* Obijt ætatis 56. cujus sanctæ Reliquiæ per orbem sparsæ, cor quidem in Fulgensi Monasterio, membra alia alibi religiosè asservantur. *Ex Ludovico à S. Malachia, Carolo à S. Maria, Philippo Malabayla, Auberto Miræo, &c.* Sed de prole sacra viri sanctissimi deinceps sæpius pro immortali sæculi nostri, & seræ ætatis monimento.

Sanctissimè moritur B. Joannes de la Barriere.

Angelica sunt ejus Vita.

V. Anna de Villaroel Mon.

Claudit similiter & coronat superius sæculum fine vitæ suæ beatissimo sanctæ memoriæ Monialis Numini dilectissima Domina Anna de Villaroel, Cænobij Sanctæ Annæ Abulensis in Hispania Professa. Fuit hæc omni Virtutum genere cultissima, uti Christi decet sponsam, omni illarum circumamicta varietate; cæterum præter omnem mulierum morem & consuetudinem, sacri Regularis Silentij longè studiosissima; jurata autem tenerrimi corpusculi sui hostis, cum præter acuratissimam sanctissimæ Regulæ nostræ observantiam, & consueta Religionis exercitia sacrumque rigorem, duris asseribus, ijsque nudis pro lectulo uteretur. Singulis diebus vivifico Corporis Dominici Sacramento reficiebatur; quo devotissimè sumpto, in Ecstasim statim rapiebatur; cujus per omnia, Angelica verius quam humana conversatio, uti omnes mirè afficiebat, sic ad Virtutem potenter excitabat. Transijt, ut diximus, ad Regnum æternitatis felicissima hæc sponsa Anno Christi 1600. cùm continuum ad mortem usque silentium observasset, æternùm deinceps pro Fratribus, & Sororibus ad Regem Regum loquutura, & pro nobis, quæ rogat omnia, persuasura. *Michael Vaquerus, Vita B. Mariæ Vola, &.*

Mors ejusdem felicissima.

Jn Gallijs usa occasione anni Jubilæi sanctæ memoriæ Mariâ nostra de Bellavillier efficacissimè movente Libello supplici interpellat Clementem VIII. Pont. Max. suos Reformationis conatus toties frustratos questa, & rogans, ut sibi specialem liceret Visitatorem deligere, quas ejus adeo sollicitas pro suis preces non sine multis præ gaudio fusis lachrymis Pontifex magno animi legit solatio, omnemque ei & opem promisit & Benedictionem Pontificiam largè est impertitus, confirmans ejusdem propositum, & ærumnas piè consolatus. Nec exprimi satis queunt difficultates & injuriæ, quas etiam post hæc impetrata sustinuit, pessimæ denuo notæ sacerdote Confessario in optimorum locum succedente, & multas jam sanctæ Antistitæ manus & animum dantes, gravissimis in Mariam calumnijs, ab omni bono proposito & Religiosiore vita abducente, ita ut nemo absque horrore legat Sacerdotis adversus Reformationē cum perditissimis conspirationem, nemo satis robur animi & invictum S. Abbatissæ patientiam admiraretur. Et

Ven. Mariæ de Bellovillare successus & conatus.

Invictum robur animi Virginei.

sane immisisse hæc omnia, certè permisisse Optumum Numen in sponsam suam, & hæc ad exercitium patientiæ, & meritorum augendum cumulum, non aliter atque Jobo destinasse, dubium esse nemini debet; imo aliquoties veneno jam propinato, desperatam, coronæ Martyrum jam certam, conservasse, ut deinceps majora patereretur, & majora etiam præmia mereretur. Maria sibi constitit semper, semper quieta, humilis, supplex affligentibus, condonans in se peccantibus, deprecans pro DEUM offendentibus, jucundissimum DEO facta spectaculum, Mulierculæ Benedictum & Jobum Redivivos, repræsentantis. *Ex Vita Ms. & monimentis Monast. Montis Martyr.*

Sepe veneno propinato mirè servatur.

Ingenti hoc ipso tempore fructu laborant in Hispanijs nostri, florente inprimis, imo novo semper fervore accensa Congregatione Vallisoletana & Montserratensi, ex qua innumeri quasi doctrina & sanctitate viri Illustrissimi prodiere, quorum plurimi, summa Ordinis nostri gloria & Regnorum Hispaniæ bono, in celeberrimis Universitatibus Complutensi, Salmanticensi & alijs, Philosophiam Thologiamque publicè professi, exemplo juxta sanctioris vitæ, juventutem miris modis ad altiora accendere. Sed in Regulari maximè Cænobio, & præstantissima Benedictinorum Universitate S. MARIÆ de Yrache, ingens nostrorum gloria, hoc ipso tempore præsidentibus, Reverendis Magistris Fratribus Benedicto de Gacaza, & Emmanuele Angles, ejusdem Cænobij Abbatibus (&, qui perpetuus honor ejusdem Abbatis est) Universitatis Rectoribus. *Ex Antonio de Jepes & diversis rerum Hispan. Scriptoribus.*

Nostrorum de Hispanijs merita.

Viri illustres.

Ipso hoc etiam anno, inter præcipuos Religionis, doctrinæ & generis præstantia ex Ordine nostro viros, in isdem Hispaniæ Regnis, Orbe universo, Ipsius sanctissimi Domini Nostri Clementis VIII. ore & publico decreto celebratur P. M. Joannes de Castro noster, filius Ferdinandi de Castro Principis lectissimi Comitis de Lemos, Monachus S. Vincentij Salmanticensis, ob eximiam Virtutem, ad diversos in Congregatione Vallisoletana honores promotus, & hoc denique anno à prædicto Romano Pontifice, pro meritis, Archiepiscopus Tarentinus creatus, de cujus laudibus fusè citatus *Antonius de Jepes noster, tomo 7. cent. 7. Joan. Juvenis. lib. de Antiquit. Tarentinorum. Ferd. Ughellus, &c.*

Joannes Princeps de Castro Mon. S. Vincentij.

Exsplendescit hoc ipso tempore meritis maximis, & splendoribus eximiæ Virtutis atque eruditionis, Illustrissimus Placidus de Tosantes, Concionatorum miraculum, Episcopus primùm Guadixensis, deinde Zamorensis, Regis Catholici ad Summum Pontificem, pro Immaculata Deiparæ Conceptione Legatus, ita ut in hâc Virginum Virginis, uti jam olim, nostri etiam hodie laborare nunquam desinerent, etiam nonnulli, Numine & Numinis Matre probantibus, miraculis confignarent. *Ex diversis rerum Hisp. Script.* Fuit Monachus celeberrimi Monasterij nostri S. Æmiliani, vulgo de la Cogolla, & acerrimè, uti verus Benedictæ Matris & Benedicti Patris filius, coram Pontifice & Cardinalibus Deiparæ immaculatissimam Conceptionem propugnavit. *Ex Msto. Hispan. è Sancti Turibij communicato.*

Placitus de Tosantes.

E sacra Cistercienfi familia celebrantur hoc tempore præcipue M. P. Petrus de Lorca, & Mag. P. Laurentius de Zamora, ille à Dionysio Cucho prolixè in Vita ejus operibus præfixa à summis Virtutibus & eruditione commendatus; hic, de quo jam supra, in omnibus suis mirificus. Petri sequentia opera celebrantur:

Petrus de Lorca.

Ejus ingenij monimenta.

In omnes Divi Thomæ partes, erudita & luculenta Commentaria.

In Primam secundæ. Compluti Tomus 1. in folio.

In Primam Secundæ Compluti item. Tomus alter in fol.

De Fide, Spe & Charitate Madriti in folio Libri 3.

De Notis Ecclesiæ in folio ibidem Lib. 1.

In tertiam partem Divi Thomæ de Incarnatione Tomus 1.

In præfatione ad Tomum de Incarnatione, multo plura ejus opera enumerantur. Laboravit idem, Veteri nostrorum consuetudine, in novis sacris Ordinibus demerendis, scripsitque insigni merito Apologeticum Tractatum doctissimum, contra eos, qui extinguere conabantur. Ordines aliquos noviter apud Hispanos exortos, ut

Propugnat Reformationem.

ut Augustinianos, Recollectos, Trinitarios, Discalceatos, Clericos Minores & Mercenarios Reformatos; quem supremo Consilio exhibuit, quo Ordines defenderet, & adversariorum conatus reprimeret. *Chrysost. Henriq. Ang. Manrique.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. I. Sancti Patris Benedicti. M. C. XXI.

EVincit paulatim obstinationem Montis Martyrum Monialium, non sine præsenti Deiparæ ope, invictissima Virgo nostra Maria de Bellavillier, ulciscente Numine injurias dilectæ suæ iliatas, & dante pœnas horribiles Sacerdote illo, pacis turbatore, Reformationis hoste, tantæ Abbatissæ nequissimo calumniatore, & quidem inter calumniandum, mox emotâ mente, in rabiem acto, nec multo post miserè absque ratione & pœnitentia extincto. Sed & illa senior, quam sibi Abbatissam suis conformem moribus & vitæ impudicissimæ, contumaciss imæ Moniales destinaverant, morbo repente correpta, exertâ horrendum, quâ toties impiè Mariam nostram impetierat, linguâ, & ipsa miserabile omnibus rebellibus spectaculum facta, immanibus torsionibus, & corporis totius agitationibus terrific is omniũ percellit animos, donec immemor injuriarum omnium sancta advolat Abbatissa, & ferventibus precibus pro hoste sollicita in omnem se modum vertit miseræ juvandæ? donec miserante Deo sibi reddita in oscula Mariæ tota lachrymabunda & amplexus concedens, rogaret veniam, totam se ipsi permitteret, & ad omnem Reformationem fore Ducem promitteret, ultro fassa, sed ad terrificum Dei tribunal raptam, vidisse & audisse, quæ ipsa referre nullâ ratione posset. Et sanè Deiparæ & Bellovillarien sis precibus donatam hanc animam esse, dubium nemini est; quam & Maria, uti antea in omnibus sibi reclamantem & adversantem habuit; ita deinceps ad omnia quæ vellet ultroneã, & promptissimam habuit, reliquis eo exemplo territis, & paulatim se accommodantibus, ita ut paulò pòst Monasterium illustrissimum, à Vita Regulari summè celebraretur.

Marie de Bellovillare miri successus.

Pœna rebellis monialis, & pœnitentia.

Quæ viderit & audierit.

Jn Hispania insigni vitæ effulget sanctitate sanctæ memoriæ Frater Didacus Donatus Monasterij Vallis Paradysi, qui ibidem longo tempore conversatus, admiranda sanctæ simplicitatis & humilitatis exempla reliquit; cui Deus inter orandum cœlestia arcana, & Divina Mysteria revelavit, & futurarum rerum eventus gratiosissimè indicavit. Vir fuit in oculis suis humilis, & abjectus, sed in conspectu Dei, & hominum verè magnus, & diabolicis Spiritibus tantopere formidandus, ut solo ejus contuitu territi, illico aufugerent, qui post purissimam vitam sanctâ decedens morte, locum sepulturæ in Clausto obtinuit, ubi per multos annos pernoctare consueverat, divinitùs prævidens, illum tandem futurum locum suæ exspectationis. *Ex Msto. quodam Hispan. & Chrysost. Henriquez.*

Didacus Donatus Vall. Paradysi.

Formidandus Cacodæmoni.

Ne autem ulli sæculo sanguinis gloriosissimi Martyrum nostrorum, preriosissima purpura deesset; primus felici exordio hujus sæculi initium consecravit & beavit, suumque generosum cruorem ad ornandum Sanctissimæ Matris Ecclesiæ vestem, lubens libensq; impendit R. P. F. Marcus Barckwortus, aliàs Lambertus, in Anglia Martyrium pro Fide Catholica passus: qui post diuturni carceris molestias, ex quo cum facile evadere potuisset, & alijs evadentibus, & ad hoc eum impellentibus sese conjungere; maluit tamen constanter ultimam mortis sententiam pro Christi gloria præstolari. Post novem itaque examina, quæ ad judicum tribunalia subijt, tandem vigesima septima Februarij dicto anno Londini Martyrio affectus, coronam monasticam, sibi eo ipso die, quo coronandus Martyrio erat, & occisus fuit, tonderi curavit, habitum etiam Religionis (quem nimirum publicè portare in Anglia non licet) reinduens, in eaque fide mori, & pro ea, protestatus est, quam Ordinis sui Monachi, primi omnium Anglis prædicâssent. *Ex Clemente Reynero, &c.*

V. Marcus Barckwortus Martyr.

Gaudens mortem subit.

Nil tamen territi nostri sive recenti hoc, sive tot aliorum superiori sæculo supplicio, tanto ferventiùs & Apostolatus Anglicani & Martyrij exarsere desiderio, quos inter admirabilis ille Pater Candidus noster Nucalensis Asceta in patriam reversus, ut Hyber-

P. Candidus Nucalensis nostri sæculi miraculum.

bernos suos lucraretur, ad multorum servatus salutem, etsi mille periculis obnoxius, & jam aliquando captus, sed dimissus, nihil sibi magis à Numine expetijt, quam mille modis pro Christi nomine pati, vitamque cum sanguine, per summa & diuturna finire tormenta, illa cum Jgnatio Antiocheno identidem ferventissimo affectu congeminans: *Ignis, Crux, Bestiæ, Confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant, tantam ut Christo fruar, &c.* Talis nimirum Candidus noster fuit, nec Voto solo, sed verè merito suo Martyr, quem tamen ipsa reverita impietas, in homine Dei Angelum respexit; quem Deus hoc ipso tempore, stupendâ prorsus miraculorum gloriâ etiam hostibus fidei Venerabilem reddidit. Illud unicè dolens ipse, honorari, cum pati supplicia & mortem mallet, in seipsum tanto crudelior fuit, ipse suimet carnifex corporis, quod omnis generis tormentis affecit. Lubet ex Synchrono, & rerum ipsius conscio, nocturna solum ejus exercitia (totum enim diem proximorum & animi & corporis saluti dabat) ipsiusmet scriptoris verbis inferre: *Horâ decimâ Vespertinâ in cubiculum secedens, diu satis orationi vacabat; postea parum quiescebat: deinde duodecimâ surgens, orationi iterum intendebat, maximeque Passionis Christi meditationi, quam acerrima disciplina sequebatur, qua totum pavimentum sanguine conspergebat, Tum Matutinas preces recitabat, usque ad secundam horam, deinde usque ad quartam aliquam corpori quietem dabat. Hora decima antemeridiana* (ut etiam aliquid de die memoremus) *summa cum devotione Missam celebrabat, maximâ populi confluente multitudine. Post quam, facta per mediam horam Gratiarum actione, prodibat in publicum, ubi plurimos ad fidem Catholicam sua prædicatione convertebat, multos in corpore sanabat. Cibus ejus & potus cervisia, & panis, ac legumina aliqua, quæ circa Vesperam, perlectis Horis, & tempore in oratione transacto, sumebat.*

Insignis animi generositas.

Ejusdem vita obiter descripta.

Theodorus Abb. Gladbac.

Jn Germania Monasterio Gladbacensi mortalitatem exuit hoc anno Venerabilis ejus loci Abbas Theodorus Hulsen, Dalensis patria, singulare Ordinis, & patriæ suæ ornamentum; de quo brevi elogio monimenta ejusdem Cœnobij: *Vir sanctæ Conversationis, Consolator afflictorum, Solatium pauperum.* Nec video quid porro à nobis annectendum. Obijt Coloniæ 19. Decembr. in Collegio Patrum Societatis Jesu, quibus impensè favit, & ab ipsis merito dilectus plurimum & honoratus fuit.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. II. Sancti Patris Benedicti. M. C. XXII.

SUmmo Regis totiusque Regni Galliæ luctu mortalitati huic valedicit, dignissima pridem felicissimâ immortalitate, sanctæ memoriæ Renata Senior, è Ducibus Lotharingiæ Guisiæ Ducissa, Abbatissa meritissima Sancti Petri Remensis, Princeps verè serenissima, in qua nihil non dignum Principe, imo dignissimum æternitate apparebat, & revera æternorum potius desiderio, & sponsi Christi inflammata amoribus consumi est visa, cum in fine superioris anni, ipso solemnissimo Natalis Christi Festo, Divinis officijs solida pietate operam daret, derepente deliquium passa, sensumque usu protinus destituta, in oratorium deferretur. Jbi cum ad mentem rediret: haud scio, inquit, quo evaserim? verum Angelorum suavissimæ Musicæ jucundissimè interfui. His quippe prælibatæ felicitatis æternæ delicijs, par fuit eam recreari, quæ brevi ad fontem ipsum assumenda, eâdem plane cum ipsis cœlitibus pascenda & potenda erat gaudiorum æternorum voluptate. Debuit etiam particeps fieri sacræ hilaritatis & lætitiæ nati Salvatoris; quæ tanto Divinæ benignitatis Mysterio, cunisque amantissimi pueri, amabilis per totam vitam, tota Religione tenerrimâ, & devotione incredibili adhæsit. Eo superni amoris vulnere saucia, divinis prorsus inhians & terrena omnia illustri contemptu aspernata, languere cœpit ad mortem, cujus ope, solutis mortalitatis vinculis, octogenaria in cœlos evolavit, vigesima tertia Aprilis, anni 1602. Prælaturæ sexagesimi, Sacramentis omnibus munita, & Vitæ sanctimoniâ quàm sanguine Illustrior, funere regijs pompa & splendore, celebrato. *Ex Vita ejusdem.* Succedit, Rege hoc vel maximè probante Renata Junior, neptis

V. Renata Senior Duc. Lothar. & Abbat.

Musicam Angelicam audit.

Mors sanctissima.

tis Senioris, pari omnino Vitæ sanctitate, de qua suo loco inferius.

Thomas Lombardus Monachus Superatensis.

Missus hoc ipso anno Beatæ memoriæ Thomas Lombardus Superatensis in Hispania Monachus, vir illuminatissimus & Fidei propagandæ Zelo ferventissimus, plurimis quamprimum argumentis, & exemplis præstantissimis, cœlo terrisque fervorem suum comprobavit. Admirandum omnino hoc, quod solo accensissimus Numinis Amore, contemptis mille mortis periculis in solemnissima toto Orbe Catholicis Corporis Christi Festivitate, stupentibus non minus Catholicis, quàm Hæreticis, durante etiamnum crudelissimo Jezabelis Anglicæ imperio & Regno est ausus. Cum enim prius pro concione, admirabilem illam & inexplicabilem Christi Domini in Sacrosancto Altaris Eucharistico Sacramento, donationem, impertitionem, & præsentiam, mirifico Spiritus affectu, gratiosissimè depredicasset, omnesque priùs Catholicos, verbis efficacissimis, ad mortem ipsam, pro tanti Mysterij confessione, alacriter subeundam concitasset, stupendâ sanè magnanimitate, totâ fidelium plebe præcedente, & omnibus Religiosorum Ordinibus comitantibus, sacerdotalibus ipse indutus vestibus, magna cum solemnitate, Sacrosanctum Christi Corpus publicè, per præcipuas Urbis Watterfordiensis plateas circumtulit, Hæreticis minantibus, frementibus, simulque obstupescentibus, hærentibus tamen (Divina procul dubio virtute territis ac prohibitis) nihilque contra Monachum nostrum, ejusque Sodales, etsi vellent, attentare audentibus. Ut nihil modo de cæteris ejus generosissimè pro Catholica Religione gestis memoremus; pateatque ex hoc unico exemplo, quanta alacritate nostri, Apostolico succensi Zelo, in conservatione fidelium, infidelium Anglorum conversione laboraverint, suas quotidie animas, non pro Amicis solum suis, sed juratissimis etiam hostibus alacriter ponentes, si quos possent ad viam Veritatis reducere, & Christo lucrari. *Ex vita.*

Admiranda Generositas.

Catholicorum fervor.

Balthasar Abb. Fuldens. restituitur.

Haud minora primævæ Christianorum persecutionis passus Illustrissimus & Celsissimus Princeps noster, Balthasar à Dermbach Abbas & Princeps Fuldensis dum Religioni Catholicæ toto corde consultum cupijt, & disciplinam Monasticam promotam, infinitas calumnias injuriasque tristissimumque ac diuturnum exilium, juxta capivitatis indignissimæ, imo mortis pericula generosissimo animo, omnia patientissimè tolerata, hoc denique anno miserante Deo ipso tandem viri parientiam, Zelum Fidei, & admirabilem constantiam, Sedi suæ, inexplicabili Catholicorum plausu redditur, & jussu Rudolphi II. Cæsaris, & Fuldam & in ditionem suam solemniter introducitur, qua sententiæ latæ fama magni ex Germania proceres, imo ex Italia & Urbe Roma Cardinales, atque adeo ipse Pontifex, honorem ac reducem felicitatem Balthasari gratulati sunt. Pontificis litteras merita viri subindicantes inserere visum est.

CLEMENS PAPA VIII.

Clementis VIII. ad Balthas. Abb. litteræ

Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam Benedictionem, Ex litteris Dilectionis Tuæ extremo Augusto mense datis, tum etiam ex Cæsaret Decreti exemplo, quod illis adjunctum erat, abundè cognovimus, quid actum, quidue definitum sit, in eâ causâ quam in Aula Cæsarea Consiliisque illis agitabas. Nos autem, qui, licet immeriti & indigni, illius vices in terris gerimus, qui diligit Justitiam, & Justitia & Judicium correctio Sedis ejus, sanè semper & ubique voluptatem capimus, ut suus Justitiæ locus tribuatur. Te vero, fili, paternè in Domino amamus; & quem pium Zelum ostendis curæ Pastoralis sedulo exercendæ, Fidei Catholicæ propagandæ, & denique animas Christo, ejus adjutrice gratia, lucrandi, valdè ceriè commendamus. Idque tibi feliciter evenire in Domino optamus, Tibique interea nostram Apostolicam Benedictionem benignè impertimur. Datum Romæ apud SS. Apostolos sub annulo Piscatoris die XII. Octobr. Pontif. nostri anno XI. Atque hæc summi Pastoris vox, non surdis auribus à Balthasare excepta, vel segni studio prætertita, territantibus licet, & frementibus etiam Dynastis, qui antiquos mores, canamque Majorum fidem, hic revirescere nolebant; Præsule nostro non minore quam antea sollicitudine, & majore nunc auctoritate, rei Catholicæ consulente, & impia dogmata profligante. *Ex Annal. Fuld. Christ. Broweri, &c.*

Apprecatio fausta.

Pro-

V. Raphael Sarmientus.

Prodigium sui ævi claret P. F. Raphael Sarmientus noster, Hortensis, sacræ Familiæ nostræ Cistercienſis Monachus, ea dicendi gratia & copia locuples, ut si eum cæteris conferre velis (ait Henriquez) parem vix aliquem invenire, majorem neminem possis. Celebrantur & alij ejusdem Monasterij Religiosi, qui utriusque Regni Castellæ & Galletiæ Scholas, sua doctrina mirè illustrarunt, & magno discipulorum concursu Theologiam & Philosophiam docuerunt; alij Verbi Dei disertissimi Concionatores, Regiam Urbem, cæteraque illius Provinciæ civitates, stupore & admiratione repleverunt. *Ang. Manrique, Chrysost. Henriq., &c.*

Caverellij ingenij monimenta.

Caverellij nostri, Vedastini Abbatis major indies ex magnis meritis gloria; neque ab administrata solum prudenter utiliterque functione Abbatialis officij & in studiosos, Patres Societatis Jesu, alioſque novos Ordines, summæ liberalitatis fama; sed ob magnum ex litteris & commendaris scripto proprij ingenij lucubrationibus, partum decus: cujus floridum stylum in primis celebrat Ferreolus Locrius, & se non pauca pro Chronico suo mutuasse fatetur.

Petrus Rollier Abb. Verus Pauperum Pater,

Jn Monasterio S. Dionysij Hannoniæ extinguitur hoc anno, ingenti sui relicto desiderio Petrus Rollier, eximius Lætiensis sive Blosiensis Reformationis promotor, qui Blosij, & Antecessoris sui Franciſci Debehaut sancta sequutus strenuè exempla, suos omni modo lucrari & ad perfectiora concitare studuit, & celebre ob hoc ipsum fama Cænobium reddidit, ac vicina paribus studijs accendit. Celebratur in monimentis ejusdem Cænobij *Verus Pauperum Pater*, qui famis tempore, non liberalem se solum sed penè prodigum exhibuerit. *Ex cit. monim.*

IESU CHRISTI ANNUS S. M. DC. III. Sancti Patris Benedicti. M. C. XXIII.

V. Bernardus Lubiensis Mon.

Poloniæ sub rigidissimo cœlo frigus, memorabili ferventissimæ charitatis, & devotionis exemplo, ex multorum cordibus ejicit, Venerabilis Vir F. Bernardus noster Frideccenſis, celebris Monasterij Lubienſis Monachus. Js in oppido Frideck natus, cùm Posnaniæ operam studijs litterarum navaret, & die Paraſceveos, ex suburbio ad concionem in Urbe ex more de Passione Dominica habendam, singulari accensus devotionis studio properaret, clausas autem Urbis portas offenderet, moxque in lachrymas resolutus, seipsum accusaret, quod non pridie urbem intrasset: magno prodigio, sibi repente apertas portas deprehendit, & à tergore, nemine mortalium interveniente denuo reclusas. Jntravit autem, dirigente Deo in Monasterium nostrum Lubinense, ubi religiosissimè vivens Presbyter ordinatus, sacra omnia cum lachrymis copiosis peragere est solitus. Scamnum pro lectulo habuit, modicoque usus somno, totum noctis reliquum tempus, vigilijs & sacris precibus dedit. Novitiorum creatus Magister, exemplo magis quam verbo omnes mirè lucratus, sacro fervore utilissimè accendit. Nec diu superfuit, cœlo maturus. Sub agonem supremum Sancti Martini Turonensis exemplo, comparere ausum malignum genium, generosè increpans, & sese Fratrum commendans precibus, accepta à Priore Monasterij Generali absolutione, placidè os componens, & claudens lumina quietissimè obdormivit in Domino, hoc ipso anno 1603. 1. Junij, è cujus tumulo odor cœlestis fragrantissimus continuo exspirat, & ipse Beatus, Fratribus loci illius, crebrius singulari claritate circumamictus, in somnis videndum se præbuit. Sed & litteræ à vivente scriptæ, ægrotantibus duobus applicitæ valetudinem optatam quamprimum restituêre. *Ex vita per Andream Fredecensem & Matthia Ubiszawskyum, &c.*

Mirabilia cælo.

Novitiorum Magister opt.

Obitus felix fragrantia & splendor.

Fulicensium fama & gloria.

Memoranda singulis annis esset sanctissimæ Fulensis Congregationis nostræ gloria & percrebrescens à sanctitate fama celebranda; quod conati Carolus à S. Maria, & familiarissimus nobis R. P. Philippus Malabayla, vix obiter paucula ex innumeris delibavere; cum ipsa sanctissima Congregatio, & quisque Sanctorum illius, celebrari metuens, Divinos sibi exhibitos favores, tanta solertia dissimularent & tegerent, quantâ filij hujus sæculi, suas celebrari laudes industriâ propalarent. Prodidit nonnullos ipsa innocentissima simplicitas, uti hoc

ipso

Jan. Baptista à S. Bernardo.

ipso anno & tempore P. F. Joannem Baptistam à S. Bernardo dictum, ut è sexcentis ejus vitæ memorabilibus, quàm pauciſſima à curiosis ejusmodi rerum adverterentur, & à præfatis obiter describerentur. Fuit Joannes Baptista genere Nobilis, ex Romandiola oriundus, & ex Clerico Jmmolensi sacræ familiæ nostræ Fulensi adscriptus, in qua Angelicam omnino vitam duxit. Cujus humilitas, patientia in infirmitatibus corporis, & varijs eventibus & adversis, insignis præterea ad amussim S. Regulæ obedientia, suique contemptus, summæ admirationi omnibus fuit. Jn nocte obitus sui visionem aliquam è cœlo habuisse, haud obscurè significavit, unde & eadem nocte Mons ille S. Silvestri (locus Monasterij in quo vir sanctus supremum decubuit & obijt) insolito & prodigioso fulgore longè latéque resplenduit (distat viginti ab Urbe Romana milliaribus) adeo, ut etiam peregrini qui ad pedem montis transibant, pergentes ad sacram ædem Lauretanam, magno cum stupore ad Monasterium occurrerent, causam tam novæ media nocte lucis, indagantes; certo nimirum indicio, quantum inde sydus eriperetur cœlisque inferretur. *Philippus Segvin. Carolus à S. Maria.*

Mirificus fub mortem ejus ſplendor.

Jn Hispanijs, non impari sanctimoniæ opinione fulget, sanctæ memoriæ Elisabetha Monialis Monasterij Sanctæ Annæ in Civitate Abulensi, cujus Virtutem & sanctitatem multoties commendat Michael de Vaquero, in Vita B. Mariæ Vola. Fuit insigni generis orta Nobilitate ex familia de Cueto, ejusque habetur memoria in Menologio Benedictino Nonis Novembris.

V. Eliſabetha Mon. Abulenſ.

Congregatio Superioris Germaniæ Suevica, maximo, non Cænobiorum solummodo sed & vicinorum omnium bono, & longè positorum, ex pulcherrimi exempli contuitu, commodo, velut Aquilæ renovata juventute, hortante inprimis Clemente ipso, Romano Pontifice, & succesſum strenuè promovente Joanne Comite de Turri Legato Apostolico, languescentem temporum decursu (quod in rebus humanis omnibus fieri quotidie cernimus & dolemus) primum Monachicæ Religionis fervorem reaccendit. Unde multa statim auctoritas Monachis, & incredibili quasi flore, Ver novum, in Paradyso Religionis sese prodens, maximos Principes & Germaniæ Proceres admiratione percelluit, ut qui novam rerum faciem intuerentur, vix à lachrymis abstinerent, omnes in Dei laudes erumperent, ejusque dexteræ mutationem hanc adscriberent, in ijs maximè Cænobijs, in quibus requisita & probata Majorum nobilitas, exceptiones quasdam à rigore monastico majoremque licentiam deposcere, quasi jure quodam suo videbatur. Jnde, florente disciplina, inque magnum splendorem adducto Divini Numinis in ædificijs & Basilicis Benedictinis cultu, concursus ad Cænobia pœnitentium sine numero quotidianus, & dignissima imitatione, pro conditionis cujusque qualitate & facultate exemplis sese Monachorum conformantium; ut in uno unico horum Cænobiorum (ut sileam cætera, pari, aut majori numero Medicos animorum exponentia sive in majore populorum frequentia occupata) brevissimo paucorum annorum decursu ducenta quinquaginta septem hominum millia maculas conscientiæ suæ in nostrorũ sinu eluerent, quodque mirandum magis Cænobijs ejusmodi neque in civitate aliqua sitis, neque ullam animarum curam profitentibus.

Congregationis Sueviæ initia.

Succeſſus felices ejuſdem.

Fructus.

Jn Jtalia, splendidissimis & eruditionis, & Monasticæ perfectionis radijs effulget Jllmus Dn. Victorinus de Aversa, ex Monacho S. P. N. Monasterij S. Trinitatis Cavensi, ejusdem primùm loci, inde S. Severini apud Neapolim, Casinensis denique Abbas, pro meritis posteaCastrimaris, demum Ariani Episcopus. Præsul summa cum reverentia nominandus. Reliquit plura magni ingenij, sed & solidæ pietatis monimenta, eaque inter librum doctissimum, quem Harmoniam Theologicam inscripsit; Praximludiciariam in causis Religiosorum. Libros aliquot de Vanitate Mundi, & alia diversa. *Ex Alexandro Rudolpho Scriptore Cavensi, & Præposito Sublacensi, Caietano, Marchesio, &c.*

Victorinus de Averſa.

Epiſcopus Ariani.

Ejus ſcripta.

Jn Hispanijs singulari eruditionis nomine celebratus hoc anno fuit Didacus Sanches Carracetensis Monachus

Didacus Sanches.

chus, qui nihil prius habuit, quam Patrum sanctorum scripta evoluere, quo in studio fuit assiduus, eoque sibi magnam scientiam comparavit, nec sibi soli, sed proximis & posteris profuit, miseratus hominum nimiam postremo hoc sæculo in omne præcipitium vitiorum proclivitatem, quos ut majore revocaret auctoritate, suis ipse, innata animo demissione, diffidens & verbis & meritis, varias & ponderosas ex sanctis Patribus collegit sententias, quibus homines ad Virtutem incitaret, & vitij turpitudinem graphicè, & tanquam in tabula ob oculos poneret, atque singulis ejus horrorem incuteret. Ex his magnum omnino volumen extitit; quod *Agriculturam Spiritualem* appellavit.

Agricultura Spiritalis.

Nec minore gloria Gabriel Castellanos, Monachus toties laudati Hortensis in Hispania Cænobij enituit Vir Spiritu Benedictino plenus, & ob hoc ipsum, Novitiorum tantæ Reformationis Magister electus, idem inter doctissimos Ordinis habitus, acer in disputando, subtilis in distinguendo, clarus in exponendo, & in omni Scholastici studij genere versatissimus. Fuit idem & Abbas deinceps, & Visitator Generalis, ac Definitor Congregationis, sibi similis semper, semper humilis, semper omnibus utilis, magnum Hispaniæ ornamentum. *Ex Ang. Manriq. Chrysost. Henriq.*

Gabriel Castellanos.

IESU CHRISTI ANNUS S. M. DC. IV. Sancti Patris Benedicti, M. C. XXIV.

EMINENTISSIMUS Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Annas noster de Escars, Ornamentum Benedictini Ordinis singulare, in quo & Benedictus Pater sanctissimus & omnes Sancti ejusdem Ordinis revixere Cardinales, cum aliquandiu Ecclesiæ suæ Lexovienſi, totique Galliarum Regno, exemplo præluxisset egregiæ sanctitatis, à Rege Henrico IV. ob gravia Regni & Regis negotia, Romam mittitur, ut ibi Vice-Protectoris Regni Franciæ amplissimi officio fungeretur. Ibi tam Ecclesiæ Romanæ & universali, quàm Regno Galliarum, servivit utilissimè, & piè consuluit, magno ab omnibus in honore, ob ipsam sanctitatis opinionem habitus, ipsi Romano Pontifici eo ipso nomine venerandus, à quo in magni momenti rebus fuit occupatus, maximè in Congregatione Sacri Officij & Episcoporum. Constitutus etiam fuit Præfectus Congregationis Conversorum, & electus Protector Cistercienſium nostrorum, quos insigniter coluit, & Reformationis Spiritum primævum conservari, pro virili allaboravit. *Ex Vita, & communicatis R. P. Antonij de Scala, & R. P. Anandi Tribout.*

Annas Cardinalis noster.

Ipsi Rom. Pont. venerandus.

Præsidet Cistercienſium.

Nec minore splendore eluceſcit in Gallijs Renata cognomento Junior, seniori nuper pro meritis succedens, in S. Petri Remensis Prælatura, hæres ut nominis, sic sanctitatis, decus & ipsa immortale Lotharingici & Guisij stemmatis, Jnaugurata solemniter fuit, in præsentia suæ Dominæ Matris Catharinæ sereniſſimæ Cliviæ & Niverſi Ducissæ & Magnorum Galliæ Principum &c. Episcopo Catalaunensi sacris solemniter operante, adstantibus sibi, Sueſſionenſi, Laudunenſi, Bellovacenſi & Silvanectenſi Pontificibus, & à Philippo de Bec, Remenſi Archiepiscopo consecrata, ipsa in Divinarum rerum meditatione piè absorpta, ita ut nihil quàm muneris novi expenderet gravitatem, suamque & erga DEUM & erga subditas sibi moniales obligationem. Talis initio Prælaturæ Renata Junior fuit, nihil jam tunc cedens majori & seniori, cujus uti neptis erat sanguine, sic Virtutum omnium perfectiſſima hæreditate. Vix gustato regiminis honore, *totam se*, inquit Vitæ scriptor, *ad excolendas mentes, tum propriam, tum aliarum omnium dedit: perfecta Regularis disciplinæ observatione, omnibus splendore sanctitatis facem præferens, nunquam nec diu, nec noctu in Choro desiderata. Divinas laudes, elegantissima illa voce, qua à DEO donata fuerat Angelorum more continuo modulari gestiebat. Dono autem orationis eo prædita erat, ut vix invictum ab ea animum relaxaret, nec minus quatuor vel quinque horis, huic sanctissimo operi, jugiter intenta per singulos dies impendebat, DEO mentem purissimam cœlestibus delicijs ita copiosè complente, & affatim cumulante, ut sæpenumero extra se rapi videretur. Interdum intenta in Oratorio contemplationi immota & sensibus planè destituta, crebris motibus, & frequenti strepitu à sacra quiete excitari haud poterat, vel si quando expergiscere-*

Renata Ium. Princ. Lothar. Abbat. Romanſ.

Æmula per omnia Senioris.

Vita ejuſdem.

Absorpta in Divina.

tur,

tur, vultu Angelico, ardentibus oculis, flammis seraphicis inardescens, obvijs quibusque jam jam orationi incubuisse, fortè etiam tum incumbere significabat. Sanctissimæ Eucharistiæ avida, siti mentis æstu Divino flagrantissimæ, continuo inhiabat, & fere quotidie per totam vitam Angelico hocce pane refecta est, unde in dies in Virtutum palæstra, magis magisque roborata, parem Angelis Vitam perpetuò vixit, nihil ipsis Intelligentijs absimilis Renatæ corporis animæque intemerata Virginitas, quam tanta humilitate, tanta sui demissione, tanto morum, Nobilitatis, Dignitatumque contemptu excolebat, ut eodem amictu, ijsdem cibis, eodem lecto semper usa, de cæteris una tantum esse, non Princeps, videretur. Solo Angelici Oris, & Divini vultus Virtutum omnium fulgurantis splendore mirabili à subditis distincta. Nunquam iejunijs communibus, abstinentijs, disciplinis, vigilijs, alijsque id genus mortificationibus, defuit, semper cella vulgari in Dormitorio usa, non nisi gravissimè infirmata alio lecto, quam Conversarum decubuit (nimirum sic quinquennis adhuc ab Amita edocta) silentio & solitudini addictissima; statis horis, abdicatis à se quibusvis alys, in cellam se recipiebat. Præibat prima mirabili vitæ exemplo obedientia subditarum, significans quid vellet, non voce, sed manu, quam impigre operi in omnibus admovebat. Nunquam Principum & Affinium, Regisque ipsius benevolentia aliter usa est, quam ad DEI gloriam. Hucusque scriptor Vitæ ex quo plura suo loco.

Vita verè fuit Angelica.

Exemplar sanctitatis.

Mirum dictu, quanto Fidei Catholicæ restituendæ Zelo, restitutus nuper in sedem & Ditionem suam Abbas & Princeps Fuldensis Balthasar, rerum satageret, nihi non excogitans, quo abreptos in transversum & præcipites in viam salutis revocaret. Ipso hoc anno 1604. Civitas Fuldensis ad Catholicæ Religionis consensionem traducta, missis quaqua versum viris Religiosis & doctis, qui prava dogmata & opiniones solidis argumentis convellerent, & pios agentes medicos Venenum imbibitum à præcordijs miserorum, salutaribus documentorũ pharmacis dissiparent. Inter hæc, cùm jam oppidis, vicis pagisque diversis prisca Religio passim efflorescceret, & Romæ famâ litterisque percrebuisset, ad viginti millia hominum, manus dedisse Veritati; litteras ea de re Octavius Paravicinus Cardinalis, Protector Germanicæ Nationis, ad Balthasarem dedit, queis significabat, *Clementem VIII. Pontificem Maximum exhilaratum eo nuncio, coram amplissimo purpuratorum Collegio Balthasaris studium summamque industriam magnis extulisse laudibus, &c.* Qui tamen summa animi demissione has omnes à se amoliens, Numinis Gratiæ sui miserentis populi, & virorum Religiosorum Societatis aliorumque industriæ retulit, quasi vero ad se nihil pertineret, qui Religionis causa jam penè Martyrem egisset, imo qui agendorum omnium Princeps post Deum causa esset. Ut nemo satis miretur unius hujus Præsulis, de Ecclesia merita, & inter minas tot circumcirca à fide Apostatarum Principum magnanimitatem. *Ex Annal. & Monumentis Fuldens.*

Balthasar Abb. Fuld.

Fulda conversa.

Laudatur Abbas à Clem. VIII.

Jn Anglia nostrorum pietas se ubique insinuat, & veste mutata, non animo, ne aditus impediretur & bonum publicum, Conversioni seu reductioni errantium omni vigilantia atque industria intendunt. Crescit paulatim viris ac viribus laudatissima illa & Generosissima Congregatio Anglicana, reapse Apostolica, & vacillantium plurimorum ea nostrorum charitate, inconstantia roboratur. *Vid. Angliæ Script. Clem. Reinerus, Eduard. Mayhen, &c.*

Nostrorum in Anglia labor.

Montis Syon sub hoc ipsum tempus sacræ Congregationis nostræ, insignia etiam merita, cujus Monachi quamvis strictam admodùm profiteantur Clausuram proximorum tamen utilitati consulere nunquam desistunt. Habeant hac de causa in Regnis Castellæ & Gallitiæ, Philosophiæ & Theologiæ Scholas & Collegia, ex quibus nostra memoria atque etiamnum, eminentissimi doctrinâ atque eruditione prodierunt viri, qui postea publicè professi sunt, non in Ordinis solùm Collegijs, sed Universitatibus celeberrimis, & hi quidem totâ Hispaniâ famosissimi. Eos inter, ut vel pauciissimos memoremus, fuerunt: F. Cyprianus Ruys, F. Jgnatius de Jbero, F. Petrus de Lorca Primarius Professor Complutensis alijque Salmanticensem Universitatem illustrarunt F. Ludovicus Bernardi, F. Angelus Manriquez. Nec minore celebritate clarent F. Bartholo-

Montis Syon Congregatio.

Viri optimè meriti.

tholomæus Gomez, F. Dominicus de Aldave, F. Lucas de Cabanas, F. Alphonsus Perez, F. Chrysostomus Caverus, alijque plurimi, inter decora sæculi nostri summo applausu referendi.

Nec Germaniæ etiam inferiori sua desunt luminaria, è quibus singulis ferè annis & hoc etiam anno, aliqua cœlis digniora quàm terris, illis inseruntur. Ex his Jacobus de Marquais, Abbas S. Martini Tornacensis, hoc ipso anno mortalitatis curriculum absolvit. De eo sic ejus Monasterij monimenta: *Jacobus de Marquais, ex Priore Vedastino hujus loci Abbas meritissimus, toti Ordini verbo & exemplo profuit, non minus ab eruditione, quàm à Religione celebratus. Historicus sui temporis præclarus, compunctionis, ut sacri vocamus, dono à Numine donatus, rigidus sui corporis tortor, Disciplinæ exactissimus promotor, quem viri maximi plurimùm suspexerunt, & commendarunt Illustrissimi Guilielmus Lindanus, Ruræmundensis, & Ioannes Vendevillius, Tornacensis, Episcopi; Jansenius præterea & Cuickius Lovanienses Universitatis columina, Cæsar Baronius, alijque. Fuit decoris Domus DEI diligens admodum, suamque Basilicam insigniter excoluit. Vasa aurea & argentea pro sacris Reliquijs pretiosissima comparavit; Reconditorium Venerabilis Sacramenti admirabili opere exornavit. Vitamque demum stupenda in infirmitatibus patientia coronans, hoc anno; sancto fine complevit.* Ita monimenta cit. & nos tomo 3. Germ. nostræ.

Jacobus de Marquais Abb. Tornacens.

Ejus Elogium.

Comitem itineris ad felicitatem æternam Jacobus Joannem habuit Ursidungi nobilissimum Abbatem, animi demissione maximum. Is jam antea Gerardimontanus electus Abbas pro viribus restitit, Ursidungo ut præesset, invitus abreptus & reclamans coactus est. Erga inopes largissimus, super exspoliatione Monasterij patientissimus, id solum est questus, quod pauperibus pro animi sui voto subvenire non posset. Erga ægrotos similiter. charitate supereffluens Xenodochium (Veteri nostrorum more, mille & amplius exemplis comprobato) in urbe exstruxit, & insigniter dotavit, ægrisque suis ipse manibus inservijt. Sacris eruditus & summè delectatus litteris; opuscula quædam non minimi labo-

Joannes Abbas Ursidungi.

Pauperum Pater.

ris, multi fructus edidit, &c. *Ex Ursidungi monimentis.*

Ipso hoc anno 1604. Non sine singulari Numinis gratia & instinctu ad Monasterium S. Severini Neapolitanum se confert Illustrissimus Juvenis Scipio Caraffa Fabricij Ducis Andriæ filius, & sacram vestem multo fervore exambiens. abjecta purpura in Domo DEI esse abjectus eligit, ea indutus 15. Octobris expleto ætatis anno decimo quinto, Tyro incomparabilis, ea generositate sacram militiam aggressus, quam mirarentur emeriti, summa in durissimis alacritate, in sacris devotione, ita ut consodales omnes, in proposito & studijs perfectionis longè antecelleret, & verè Principem in quatuor Principalibus Religionis Virtutibus, demississima humilitate, modestia, obedientia & silentio ageret, exemplo & admirationi omnibus esset, facileque in ipso ea se proderent, quæ deinceps in omni vita, pro ædificatione omnium & totius Ordinis gloria gesturus esset. *Ex vita per Ang. Persectum Casinatem.*

Ven. Alys. sive Aloysius fa si bonus.

Exemplar sanctitatis.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. V. Sancti Patris Benedicti. M. C. XXV.

MOrtuo hoc anno Clemente VIII. Pontifice Maximo, tanta populi Clerique Romani Cardinaliumque multorum de Eminentissimo Cardinale nostro Anna de Escars æstimatio fuit, ut neminem digniorem summo in terris honore crederent, & ut talem aliquot horarum spacio incredibili tota Romana Urbe plausu præclamarent; aliter volente Numine, & virum adeo charum à tanti periculo muneris & arduitate, gratiosè præservante. Electus proin Italus prodijt, Leo XI. Medicæus, quod suspecta Henrici IV. potentia & ingenium essent? & hoc post quinque & viginti dies, morte sublato, cum totius populi studia in Annam denuo inclinarent, imo nemo eligendum tota Urbe non crederet, &, Vivat vivat Escarsius Sanctissimus noster, nullo non foro & compito diutissimè personaret, hic tamen procul ambitione omni, summa animi consolatione Paulum V. Burghesium cum reliquis Patribus Pontificem salutavit, & adoravit; ea tamen omnium erga ipsum reverentia, ut quo minus mu-

Anna Cardin. noster ad summum honorem expetitus.

Una populi vox, unum Votum iterum ipsum expetens.

nere

nere & officio sanctissimus, reapse taman sanctus ab omnibus coleretur, & suspiceretur. Fuit summa apud sanctissimum ipsum in reverentia, qui in ipso non minus suspexit, quod Vox populi à Numine ipso esse, sua acclamatione prodidit; etsi certus esset Numini aliter placuisse. *Ex Vita ejusdem Cardin. Ms. Ant. de Scala, Amando Tribout, &c.*

Alia rursus reformatio.

Alia rursum reformatio Ordinis & sacræ nostræ Familiæ Cisterciensis in Gottlandia (ut toti obstupescamus super tam admiranda, sive nostrorum Vigilantia, sive potius singulari Numinis erga sanctissimum Ordinem nostrum benevolentia, singulis omnino sæculis non unum, non duo solum, sed plurimos Zelantes pro Domini Domo excitantis, qui diversissimis Regnis ac Provincijs, primævum Benedictinum Spiritum foveant, resuscitentque) Reformatorem agente Pontificis Maximi jussu, magno illo & spectatissimo, meritis sanctitatis & summæ eruditionis viro P. F. Laurentio de Zamora; in quo hoc ipso tempore, tanta vitæ integritas & candor effulsit, ut non modo totius devotæ plebis præconio *Sancti* ac verè *Pij* nomen acceperit, sed & virorum Principum tam Barchinonæ & Cæsaraugustæ, quam Madriti Regia civitate, ita amorem atque animos obstrinxerit, ut eum non aliquem è mortalium cœtu, sed tanquam Numen ab alto lapsum, suspicerent ac venerarentur. Obligavit æternitatem ipsam præter alia summi nominis merita, & Apostolicos labores, immensi laboris ac doctrinæ opere, Laurentius noster, quod *Monarchiam Mysticam* nuncupavit, omni humanarum Divinarumque scientiarum ornamento excultum, atque in diversos libros distinctum:

F. Laurentius de Zamora

De Perfectionibus & Attributis Divinis, & ineffabili Mysterio Sacrosanctæ Trinitatis. . . . . Libri 3.

De cognitione propria, de casu hominis & miseriis naturæ humanæ, deque effectibus peccati. . . . . Libri 4.

Ejus ingenij monimenta.

De Prærogativis, & laudibus Virginis Mariæ. . . . . Libri 10.

De Viris Illustribus sanctæ Christi Ecclesiæ. Tomis 3. Libri 8.

De armis offensivis & defensivis Ecclesiæ. Libri 2.

De fuga Beatissimæ Matris Virginis in Ægyptum. . . . . Liber unus.

Sermonum in Quadragesima habitorum. Tomus unus.

Jn Cantica Canticorum dum scriberet, morte præventus ad immortalitatem felicem & ipsa Canticorum Cantica audienda & concinenda evocatus abijt & obijt. *Villega, Marian. Mor. Henriq. Manriq. &c.*

Magnum iterum lumen Ordinis & sacræ Cistercienſis familiæ extinguitur, Reverendissimus D. Edmundus à Cruce, Trecensis patria, Theologus Parisiensis, Zelator Disciplinæ Regularis & promotor singularis, Reformator præcipuus Ordinis, quem toto plane Orbe, multis cum magno labore atque periculis peragratis remotissimis provincijs, ubivis fervorem suum sanctissimum comprobans, ubique *Benedictum* introducere *Redivivum* allaboravit. Ausus Clementi VIII. indulgentius cum irreformatis compatienti, rem demonstrare clementissimè auditus & exauditus est, Præsul (Cistercio enim ipsi præfuit) nunquam satis celebrandus, qui & opuscula digna æternitate non pauca scripsit. *De quibus Segvinus in Bibliotheca sua Cisterciana.*

Edmundus à Sancta Cruce.

Jnter Pontificalia Ecclesiæ Sydera effulget hoc anno & tempore Reverendissimus Placidus, cognomento Fabius, sanctissimæ Congregationis nostræ Olivetanæ oliva fructifera in domo Dei, & ejusdem Marianæ familiæ Generalis, Castri Episcopus, pro meritis nuper à Clemente octavo promotus. *De cujus laudibus & meritis consulendi ejus Ecclesiæ fasti, & Ferdinandus Ughellus.*

Placidus Castrensis Episcopus.

Moritur hoc ipso etiam anno Venerabilis memoriæ P. F. Athanasius de Lobera SS. Theol. Doctor, Monachus antiquissimi Monasterij in Galletia Montis Ramorum. Ubi eruditionem pietati jungens, miro desiderio juvandi proximum, ne talentum sibi à Domino creditum defoderet, afficiebatur. Multum in Philosophico & Theologico studio profecit, inter ingeniosos & industrios sui temporis, tota Hispania habitus. Jnter omnia tamen quæ coluit studia, nullum promptius amplexus est, quam Historiarum, ac proin magna diligentia, Hispaniarum perscribens Antiquitates, & præclarorum

V. Athanasius de Lobera.

rorum Virorum, quos præterita dederant sæcula, Heroica facta ab interitu vendicans, magnum inde sibi nomen, illis memoriam conciliavit sempiternam, singulari tamen diligentia Regni Galetiæ, antiquitatem, magnitudinem, & Nobilitatem scripto mandavit, quod inter omnia Europæ Regna habeat, quidquid Regnum vel Provinciam reddere beatum possit. Ut tamen Historicum hoc studium Spiritum non suffocaret, aut Monasticum fervorem extingueret, etiam calamum ad sacra convertit, elegantique stylo Vitas SS. Froilani & Attilani, Monachorum Monasterij de Morervela, & Legionis ac Zamoræ Episcoporum luci dedit. Cumque eruditionis ejus fama per Hispanias spargeretur; Philippus II. Hispaniarum Monarcha, ut ejus laboris fructu frueretur, eum Historiographum suum creavit. Unde & liberius suis vacare studijs potuit. Scripsit autem sequentes Tractatus:

Scriptor insignis.

Vitas Sanctorum Froilani Legionensis, & Attilani Zamorensis Episcoporum excusas Vallisoleti. . . . . Lib. 1.

Antiquitatum Urbis Legionensis. Lib. 1.

Epistolam Historialem ad Regem Hispanirum Philippum II. in folio.

Chronologiam Regum Hispaniarum, eidem Philippo inscriptam.

Chronicum Magnum Regni Galletiæ Vallisoleti editum:

Ejus ingenij monimenta.

Ubi & decessit anno Christi 1605

Ex Henriq. Manriq. & Hispan. Scriptorbus

Probat hoc ipso anno 1605. insigniter fervorem suum in Religione Novitium Aloysius noster Princeps Andriæ & à cognato Decio Caraffà S. R. E. Cardinale Archiepiscopo Neapolitano invitatus secum Romam pergere ad electionem Pauli V. ut ibi ad Ecclesiasticam celebrem Prælaturam promoveretur: gratias quidem egit, sed non ideo se factum Monachum dixit, ut honores exambiret sed fugeret & pœnitentiam in cella ageret; quo responso adeo compunctus est Cardinalis, ut desuper uberrimas profunderet lachrymas. Aloysius autem sacra professione emissa tantis paulo post virtutibus emicuit, ut pro exemplari sanctitatis cæteris à Superioribus proponeretur. *Ex Vita, &c.*

Aloysius Caraffa Romam invitatur.

Dignissimum responsum

Cardinalis cognati lachryma.

IESU CHRISTI ANNUS S. M. DC. VI.

Sancti Patris Benedicti. M. C. XXVI.

ILlustrissimum sanè Ordinis Benedictini decus, Germaniæ Universæ singulare ornamentum Balthasar â Dermbach Sacri Romani Jmperij Quatuor-Vir Abbas Fuldensis, Romanorum Augustæ Archi-Cancellarius, Princeps cœlo pridem maturus & dignus, in fornace tribulationis uti aurum longo tempore probatus & bene excoctus, & purificatus, die Martij decima quinta anni præsentis 1606. jam inter Divinam, plenus bonarum cogitationum, & recens ab exomologesi, reumate venis completis, veterno constrictus est; quo ad secundam usque Vigiliam noctis laborans, tota lugente Aula, Deo tandem Spiritum reddidit, ipsa memoria S. P. Benedicti, cujus Regulam verè se sequi profitebatur, quem octiduo præcessit Joachim Hersfeldensis Abbas & Princeps, summo Balthasaris luctu, & qui hunc penè suffocasse visus est, quiritantem gravi cum gemitu, Ecclesiæ illius cuicuimodi reliquas spes, eodem cum Joachimi funere afferri. Tantopere afflixit optimum Principem, quod sagaci animo, an Prophetico providit spiritu, Sancti Benedicti meritissimam de cœlis terrisque hæreditatem sacrilegis manibus obventuram, ut his sanè Principijs & causis, mors non minus glorioſa, quàm Martyrum videatur. *Ex Annalibus & monim. Fuldens.*

Moritur Balthasar Abb. Fuld.

Ob. Joachim abbas Hersfeldensis ultimus.

Hoc ipso etiam anno numerum Cœlitum auget, Beatæ memoriæ Malachias noster Jacensis Episcopus, insignius nostra ætate Episcoporum exemplar & speculum. Js ex Hortensi Hispaniæ non tam Monasterio, quam sacrarum deliciarum horto, sub exactiore sanctissimæ Cistercensis Reformationis nostræ instituto, cucullum amplexus, ab ipsa juventute perfectionis studio insignis effulsit, cujus Vitam & compendium coactum ex Vincentio Blasco libro 4. Hist. Eccl. subijcimus. *Malachias de Asso, in oppido Mucha, quod 4. milliaribus distat à Civitate Cæsarauguſtana, parentibus Christiana Religione & nobilitate claris natus est. Studijs litterarum à juventute deditus, postmodum disciplinam & Religionem S. Bernardi in Hortensi Monasterio suscepit. Multum doctrina, prædicatione & exemplo Virtutum*

Ven. Malachias Iacensis Episcopus.

Fit Episcopus Uticensis.

tutum profecit. quarum intuitu primum Abbas Armenteræ in Gallecia; postea B. M. V. de Rueda in Aragonia creatur. Inde in Episcopum Uticensem assumitur, & tandem sit Episcopus Jacensis, anno 1595. ubi vixit usque ad annum 1606. quo obiit 28. Augusti. Cum tam magno exemplo & rara sanctitate ut (sicut quidam Author ait) fuerit vivum exemplar Episcoporum primitivæ Ecclesiæ, in distributione eleemosynarum, pœnitentijs, humilitate & charitate. Magno cum spiritu concionabatur. Totum tempus quod ab exercitijs, & occupationibus Episcopo injunctis, residuum erat, oratione, & lectione Sanctorum Patrum, in quibus erat versatissimus, occupabat, Magnam partem Scripturæ memoriter recitare solebat. Omnibus abundabat, cum tamen redditus Episcopatus essent tenues, quos inter pauperes distribuebat. Alebat pauperes aliquot studiosos in Universitatibus, ex quibus aliqui hodie superstites sunt, viri docti, & qui bona media obtinent, misericordiâ hujus Sancti Prælati ad talem statum evecti. Beneficijs Ecclesiasticis optimè prævidit, Viros enim doctos & sanctos diligebat. Duabus vicibus Synodum Diœcesanam celebravit & sanctissimas Constitutiones edidit. Multum fuit sollicitus de animarum bono, de rectitudine Justitiæ, de pace & concordia Ecclesiæ suæ & Episcopatus. Ad bonum regimen, & ut cognosceret Sacerdotes & alias personas Diœcesis, habebat librum propria manu scriptum, in quo per Ordinem positum erat, quot in singulis oppidis erant Clerici, cujus professionis, quibus qualitatibus præditi, ad quid eorum scientia se extenderet, quidue ignorarent, quid post susceptos Ordines, vel aliquas facultates, seu Ecclesiasticas Dignitates susceptas faciebant, ut postmodum quando opus esset aliquam personam promovere, in proprio libro ejus informatio reperiretur, & etiam videret quid ab uno ad alterum examen singuli profecissent. Et sic quando aliquis veniebat, ut ipsi loqueretur, vel ad aliquod Beneficium aspirabat, perlectis ijs quæ in libro notaverat, qualitatem viri, & ad quid esset aptus cognoscebat: quo simul cum suis magnis Virtutibus notabiliter omnibus profecit & sanctè rexit. Obiit ætate 64. annorum, & reliquit memoriam operum suorum, sculptam cordibus suorum subditorum. Sepultus est ante summum altare Ecclesiæ Cathedralis, ubi nullus alius Episcopus tumulatus fuerat. Ita Vincentius supra citatus quæ vel pro ipsa styli simplicitate inferenda censuimus.

Tandem Jacensis.

Pauperum virum Mecœnas.

Virus Pastor & Episcopus.

Dignissima Episcopi cognitio.

Gloriosa ejus memoria.

Angliam rursus illustrant & glorioſissimâ sanguinis purpurâ exornant plures éx Ordine Benedictino Martyres, è quibus R. P. F. Bernardus de Treiur, & Eugenius Ogallahure Abbas S. MARIÆ de Samaria, quibus ab Hæreticis in Hybernia capita præciſa sunt, similique gloria effulſit B. Wilhelmus Walchæus, quamvis in carcere post tredecim annorum captivitatem mortuus, haud minoribus, ipso supremo supplicio, calamitatibus exhaustus, ita ut mortem inter desideratissima exspectaret. *Ex diversis rer. Angl. Scriptoribus.*

Angli Martyres.

Pergit eodem anno ad præmia æternitatis sanctæ recordationis Thomas Lombardus Superatensis Monachus, de cujus, superstite etiamnum Regina Angliæ Elisabetha, animi fortitudine supra diximus. Hic illâ morte ablatâ, prædicatione sua tantum effecit, ut palam denuo populus Catholicus, Religionem suam profiteretur, adeo, ut nec unus quidem esset, qui de more, creatis noviter Consulibus, Regi tanquam Ecclesiæ Capiti, juramentum solitum præstare consentiret. Claruit magnis Virtutibus Vir DEO dignus, sæpè visus inter celebrandum è facie splendidissimos radios emittere. Qui tandem multis ad sinum Matris Ecclesiæ reductis, dum pestilens lues grassaretur, pestiferis impulsu charitatis Sacramenta ministrans, & ipse lethali morbo infectus, præmium laborum suorum percepturus, prout ante obitum divinitus ei fuerat revelatum, migravit ad Christum anno 1606. Nonis Augusti. *Ex Menol. Bened. nostro, & Ann.*

Thomas Lombardus.

Splendor faciei ejus.

Jpso hoc etiam anno mortalitatem exuit Venerabilis Pater F. Bernardus de Escobar Abbas Montis Sion in Hispania. Hic Toletanus patria, Juris Canonici & Theologiæ Doctor, Hebræi & Græci idiomatis callentissimus, Arithmeticus insignis alijsque naturæ, & ingenij dotibus instructissimus fuit. Monachum in Regio de Bona Valle Cœnobio professus, omni Virtutum genere, sed mansuetudine inprimis, atque affabilitate adeo enituit, ut charum ejus nomen universis esset, sed ut tantum exemplo ipse efficeret, quantum potentissimus verbo nunquam effeci-

Ven. Bernardus de Escobar.

feciſſet. Abbas Montis Sion & ſanctiſſimæ illius Congregationis Viſitator Generalis creatus, munere ſuo ita eſt functus, ut exemplar perfectionis omnibus haberetur. Exacta ætate ſenex tanto labore exſolvi petens, & Chori onere liberari, ad Bonæ Vallis Monaſterium remiſſus eſt, in quo velut ſolitudine vivens, adeo ſolis animi negotijs totum ſe dedit, ut carnis planè oblitus videretur. Vita exceſſit hoc anno 13. Febr. Viſionibus & ſanctitatis ſignis celeber, cum pridie ad templum deduci, & peccatorum peracta confeſſione ibidem SS. Euchariſtico Sacramento muniri petiiſſet. Apparuit non multo poſt obitum Ven. P. Juſto Matienco, eumque ad cœleſtem gloriam invitavit. *Ex Menol. Henriq. &c.*

Viſitator Generalis.

Mors ſancta & felix.

V. Maria de Chriſto.

Comitata tantos viros eſt hoc eodem anno ſanctæ memoriæ Maria, cognomento de Chriſto, Monialis Abulenſis; Virgo lectiſſima, Vitæ verè Angelicæ, humilitatis, paupertatis, & mortificationis, admirandis exemplis celeberrima, quæ egregiorum meritorum reportans manipulos ad cœleſtes conſcendit nuptias 23. Martij. *Michael Vaquerus, Manriq. Henriq. &c.*

V. Juſtus Matiencus Mon.

Obijt ſimiliter hoc anno evocatus, ut diximus, à B. M. Bernardo de Eſcobar, Ven. P. F. Juſtus Matiencus, è nobili familia de Zorilla apud Legionenſes natus, Monachus Montis Sion, tantis Virtutibus præditus, ut nullus de ejus dubitaret ſanctitate. Fuit profundioris ſapientiæ dono illuſtris, neque eorum ſolum, quæ Spiritum ſpectabant, ſed & quæ Oeconomiam attinebant, intelligens. Laboravit annis plurimis vehementiſſimo podagræ dolore, quo etiam denique exhauſtus 24. Martij deceſſit. Jnvitatus à Collega Bernardo apparente: *Ut quid veniſſet?* ſciſcitatus eſt. Cui ille: *Ut venias mecum.* Subjungente autem Juſto: *Nonne recipiam Sacramenta devotus? Recipies*, inquit, *ſed feſtinanter*, cumque dicto evanuit. Proin Veſpere Cœnæ Domini ſacro refectus Viatico, craſtina Paraſceveos die, quæ erat Vigilia Annunciationis ſumma cordis exultatione Spiritum Deo reddidit. *Ex Faſcic. Chryſoſt. Henr.*

Ad coronam vocatur.

Sed & Fulienſes noſtri hoc etiam anno, inſignem Paradyſo Domini Floſculum intulere, Venerabilem Patrem Petrum à S. Bernardo, ſacræ Congregationis Generalem. Hic Gallus natione ex Alvernia oriundus, totius perfectionis exemplar extitit, ita ut merito Caput tam ſanctæ Religionis adoptaretur: Vir alti & ſublimis Spiritus, verus humanarum, & ſecretiſſimus cogitationum inſpector; cujus ſingulæ actiones, aſpectus, verba, & totus homo exterior, interni decoris indicium, nihil non ſanctum & ſupernaturale ſpirabant. Quinque annis ſanctam Congregationem mirè rexit, obijtque cum magno ſanctitatis odore in hebdomada ſancta. 1606.

Petrus à S. Bernardo.

Cogitationum perſpector.

Jpſo anno memorabili ſeſe mancipatu Deiparæ emancupat Venerabilis Pater noſter Bernardus Catalanus, de quo ſuo loco inferius.

Jterum memorabili afflictione dilectiſſimam ſibi ſponſam Mariam à Bellovillare Abbatiſſam Montis Martyrum afficit bonum Numen, dum ejuſdem pro Reformatione ferventiſſimis conatibus, & deſideratis etiam ſucceſſibus Novitiorum Magiſtram elargitur, ſanctæ memoriæ Mariam à Jeſu dictam, monialem Vitæ puritate & prudentiæ laude perinſignem, quæ tantum fervoris incendium in omnium mentibus, tantum Regularis obſervantiæ Zelum accendit, ut proximam Angelis Vitam ducerent. Nec puellarum imbellium commune aluearium dixiſſes, ſed ſupernarum Jntelligentiarum chorum amœniſſimũ; interim tamen alterum quaſi brachium eidem abſcindit, dum alteram ex germanis ſororibus de Alveguin ſupra dictis, ad cœlos hoc ipſo anno abripit, quam ipſa ſemper pro Matre coluit, ut quæ Virtutum omnium ſpirans exemplar eſſet, unicum Abbatiſſæ in varijs tempeſtatibus futura ſolatium. Hæc licet graviſſimis, in ſua infirmitate dilaniata doloribus, vultu tamen ſemper hilari, fronte ſerena, tranquillo ſemper animo, ſanctum Job imitata, Deo diu noctuq; benedicebat. Siquod vero ſibi vacuum ab intenſiſſimis doloribus, ſuppeteret tempus, caſtigando Virgineo corpori, obſervantiæ colendæ, ægris conſolandis indulgebat, donec ultima hora ipſam tolleret, quam ut magno deſiderio exſpectavit, ita & læta ſubijt, inconſolabili luctu à Bellovillarienſi deplorata.

V. Maria de Bellovillari.

Maria à Jeſu Novit. Magiſtra.

Ven. Anna de Alveguin.

Ex

Ex hujus Vita Msta. & R. P. Amando Tribout.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. VII. Sancti Patris Benedicti. M. C. XXVII.

P. Candidus Nucalensis.

APostolicus sanè Vir Sanctæ memoriæ P. Candidus noster Furlongius excitata rursùm magna à Rege in Catholicos persecutione, in montes & deserta, rogatus & conjuratus à Catholicis aliquamdiu se subducit, nec multo post reversus, dum in ipsius personam Regij acuratius inquirunt, ipso nil magis quàm pro Christo occumbere gestiente, denuo conjuratus tot fidelium solatio se reservare, navim conscendit, quem alia navi conscensa assequi conati persequutores, Divinitus prohibentur, disparente in oculis eorumdem navi qua Candidus vehebatur, ita ut illam submersam crederent, & passim vulgarent. Verum ille mox rursùm exscendens, dum prædicando & sanando prodigiosè infirmos plurimùm meretur, denuo proditur & rursùm solertissimè, sed frustra, perquisitus, in remotiora Hyberniæ se recipit, ubi vis omnes mirabiliter demerendo. Jnde Medici veste regressus, prodigiosum sanè agens medicum, non corporis solum, sed & mentium infirmitates & morbos gravissimos tollit. Missas per domos celebrans & sacrosancta Sacramenta administrans. Jterum detectus & ad Concilium Regium delatus, denuo evadit. Electus Abbas Mellifontani Cœnobij constanter renuit, non ad Dignitates in Patriam sese redijsse testatus, sed ad conversionem animarum, & confirmationem Catholicorum. Jnde plurima rursùm miracula edidit. Mulierem à spiritu molestissimo infestatam liberat. Dœmonem è domo, quam occupabat, fugat. Turlensi Comiti ægroto, qui ad prædicationem ejus hæresim jam abjuraturus erat, & sanitatis promissionem habebat, instante tamen misera uxore, veritus divitias perdere, & regiam incurrere indignationem, obstinatus manserat, miserandam mortem temporalem, & æternam ante triduum prædixit. Quæ & accidit. Gerardum potentem & Nobilem in Hibernia virum, sed Hæreticum & moribus corruptissimum, varijs doloribus corporis afflictum, à se opem postulantem, & Catholicum reddidit, & sanitati integræ restituit. Jnfusam medicinæ scientiam habuit, herbarum vim ex solo olfactu, dignovit, lapidum etiam virtutes Divinitus novit. Observarunt nihilominus viri doctissimi & sapientissimi, ejus remedia Divina potiùs quàm humana extitisse, herbasque & alia similia ad medicandum applicasse, ut sic populo videretur, non per miraculum, sed naturaliter, per remedia morbo oportuna sanitatem ægris reddidisse, ab nulla re magis quàm celebrari abhorrens. Scribit ea de re ipsus ad Abbatem suum Nucalensem; se nimirum, ut scandalum vitaret, cùm offensi pauperes (dum ipse vitando nimium occursum medicinas negaret, asserendo se medicum non esse) & sperni se opinantes scandalizarentur, coactum, ea quæ in usu quotidiano sunt, cinerem, salem, avenam, aquam frigidam, poma & alia hujusmodi applicasse eorum morbis, lepræ, hydropisi, cæcitati & alijs hujusmodi, idque non solum erga pauperes sed erga Nobiliores Regni, quos omnes brevi tempore sanasset hisce remedijs. Plurima alia edidit miracula, quæ brevitas hic non patitur recenseri. Hæc rariora, dum nonnullos solo aspectu, quo in eos intendebat oculos, mirabiliter curavit: alios, qui ipsum nec accedere poterant neque intueri, missis quibuscunque quos benedixerat fructibus, mox ut eos sumpsissent prodigiosè valetudini restituit. Diuulgatâ nimium, ob tanta miracula ejus famâ Concilium Regium Dublinienſe concitavit ad eum in Urbem evocandum, conductu solemni ipsi dato dierum quadraginta, nequid sibi siniſtri imaginaretur. Comparuit promptissimè Vir sanctus, magno cum honore ab Senatu & primoribus urbis exceptus; quod nimirum omnes cogerentur in eo Divini Numinis operationem agnoscere. Multa eâ itineris occasione & magna patravit miracula, multosque ab Hæretica convertit pravitate. Reversus in Hiberniam Watterfordiam divertit, ubi graviter ægrotantem & desperatum à medicis, Hæreticum illius civitatis Episcopum, prodigiosè sanavit, qui tamen ad majorem suam damnationem, obstinatus mansit, etsi Magnam S. Monachi fateretur Virtutẽ.

Prodigiosissimus Medicus.

Abbas eligitur.

Insignia miracula.

Sanctæ simulatio Candidi.

Solo intuitu agros curat.

Vir vere Apostolicus.

A Rege ipso evocatur.

Jnterea Regis ipsius Angliæ Cognata quadam graviſſimè laborante & à medicis deſperata, amantiſſimus ejuſdem Rex, etſi Candidum Edictis Regijs repugnantem oderat peſſimè, conſcius tamen tantæ ejuſdem Virtutis, eumdem ex Hibernia evocat ſalvo conductu Regio Diplomate confirmato. Occurrit promptiſſimè Candidus, & facta ſuper infirmam oratione, manuque impoſita eamdem illico prodigioſiſſimè ſanam rèddidit. Rege mirante quidem, & Candidum benignè habente, verum obcæcato corde, & obſtinato, nil minus, quam de converſione cogitante, idque unum dolente & quiritante, nullum ſuorum Miniſtrorum, talia potuiſſe. *Ex Vita ejuſdem Candidi, fere ad Verbum tranſcripta.*

Ejus cognatam prodigiosè curat.

Victorinus Stabienſis Epiſcopus.

Jnter alia Ordinis ſydera, hoc ipſo etiam anno mirè exſplendeſcit Jlluſtriſſimus & Reverendiſſimus P. F. Prudentius de Sandoval, Monachus S. Mariæ de Najara, & Abbas Sancti Jſidori Chronographus Regius, à Philippo III. Hiſpaniarum Rege ob egregiarum Virtutum præſtantiam, ſed & ſummæ Nobilitatis eminentiam primum ad ſublimem Tudenſis Epiſcopatus ſubvectus Cathedram, inde ad Pampilonenſem promotus Epiſcopatum, partes omnes egregij Pontificis implevit, multaque egregij ingenij monimenta poſteritati reliquit. Quæ inter, duobus tomis Jnvictiſſimi Romanorum & Germaniæ Jmperatoris ſimulque Hiſpaniarum Regis Caroli V. res geſtas curioſè & eleganter deſcripſit, ſed & diverſis duobus libris, Hiſtoriam Tudenſis, & Pampilonenſis Eccleſiarum doctè & diſertè complexus eſt. Multaque alia ſcripſit, quæ ad noſtram notitiam non pervenerunt, etſi multoties ferventer, & pro alijs operibus, & pro hoc ipſo urgeremus.

Prudentius de Sandoval.

Fit Epiſcopus Tudenſis, inde Pampilonenſis.

Dionyſius à S. Bernardo.

Romæ in facie Sedis Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ Cardinum, inſigni effulget vitæ puritate & ſanctitate Frater Dionyſius à Sancto Bernardo cognominatus ſanctiſſimæ Fulienſis Congregationis noſtræ Converſus, ut vocamus, in Monaſterio ſanctæ Potentianæ ibidem ſub humili amictu inter ſervilia munia cœlis ipſis probatiſſimus. Hic Germanus natione ex Helvetia oriundus, Donatorum noſtrorum, qui videlicet ſimplicem obedientiæ promiſſionem emittunt, in Congregatione, ſimplici & prompta ad amuſſim Sanctiſſimæ Regulæ obedientia probatiſſimus, dilectus DEO & hominibus, ſilentij quàm maximè nec non mortificationum omnium amator ferventiſſimus, aliquot annos toti Congregationi & admirationi fuit, & exemplo. Quadam autem die, cum in oratione coram DEO Spiritum totis viribus effunderet; audivit vocem de cœlo dicentem ſibi: *Dionyſi frater, diſpone conſcientiæ tuæ, morieris enim brevi: Dimiſſa tibi ſunt peccata.* Retulit ipſe quod audierat, inter Confeſſiones, Superiori ſuo, qui ſe hæc parvi pendere ſimulavit, ſed octo poſt diebus ægrotavit, & SS. Sacramentis, maxima devotione, & inſolita omnium ædificatione ſumptis, intra paucos dies è vita migravit, in Monaſterio ſupra dicto S. Pudentianæ de Urbe. *Ex monim. ejuſdem Cœnobij.*

Divinitus de morte edocetur.

Viri illuſtres.

Nec minore laude excelluerunt hoc ipſo anno & tempore, etſi ad infulas Pontificales non evecti PP. FF. Franciſcus Ximenez, Monachus Vallisoletanus, Franciſcus de Canſeco Abbas S. Jſidori poſt Sandovallum, Franciſcus de Vega alijque ab Antonio de Jepes, pro dignitate commemorati. *Ex Chronico ejuſdem Magno.*

Jn Jtalia celeberrimus habetur Jluſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Victorinus, quondam Abbas Sacri Montis Caſini, deinde Stabienſis Epiſcopus, mox ad Arianenſis Pontificatus Cathedram à Clemente Papa ejus nominis Octavo, cui probatiſſimus erat & acceptiſſimus, pro meritis promotus, à Paulo V. feliciſſimæ recordationis, haud minoris judicij & ſapientiæ Pontifice, inter Aſſiſtentes Epiſcopos, ſingulari honoris prærogativa cooptatus, Vir ampliſſimis honoribus longè digniſſimus. *Vid. M. Ant. Scipio; Ferdin. Ughellus, &c.*

Dæmonis contra reformationem mirumina.

Laborat infinitis modis impedire progreſſus admirabiles & feliciſſimos Mariæ noſtræ de Bellovillare Cacodæmon intolerabile ſibi ducens, ut quod nuper ex Monaſterio Caſtrum impietatis, ſuo ſibi jure vendicaverat, in Monte Martyrum, unius ſibi fœminæ extortum generoſitate, in Sacrarium

umomnis Virtutis, & promptuarium ſanctioris Reformationis adoleſcere cerneret, & longe jam majora, ſibique intolerabiliora, facile imaginari poſſet. Proinde Maleficam quamdam ſibi devotiſſimam, per potentes quoſdam, ut videbatur, & ſapientes, & Monaſterio optimè conſultum volentes, ſanctiſſimæ obtrudit Abbatiſſæ & Monialibus, adeo ſimulare doctam ut ipſum omnis ſanctitatis exemplar videretur. Soror Maria Pariſienſis dicebatur, eam in omni virtutum genere perfectionem toto Novitiatu præferens, ut omnem cæterarum, & ipſius etiam Abbatiſſæ obſcuraret ſplendorem ſanctitatis. Tenuit annum hunc integrum omnium ſingularumque de ipſa opinio, donec ultroneis omnium votis, ad Profeſſionem admiſſa, ſumma gratulatione omnium profeſſa, illico, ſive cacodæmone coacto, ſive à cacodæmone compulſa ſtatim à profeſſione omne virus evomeret, diem, horam ſui ingreſſus, locum, Ordinem, ſtatuta omnia horrendis clamoribus execraretur, & ſanctam Abbatiſſam, ſociaſque Virgines, maximis terroribus compleret, & incredibili omnes mœrore afficeret. Ex quo ipſo conſtat, quantam ſibi inferi, ab uno hoc Virginum Cænobio metuerent, beneficio tamen Numinis, manifeſtatis mendaciorum patris technis omnibus & inſidijs, & facili deinceps reperto remedio, cum ſceleſtiſſima hæc beſtia, Cænobio ejecta, privatim vivere, & ſuam agnoſcere ſervitutem cogeretur. *Ex Vita Mariæ de Bellovillare Msta.*

Nequiſſima mulieris larva.

Jterum novam Ordinis Reformationem molitur Venerabilis P. F. Adeodatus ab Aſſumptione cognominatus, Vir pius & fervens Zelo Religionis, Abbas Alcobacienſis in Portugallia, qui hoc anno Capitulum congregans in Collegio Conimbricenſi, deputaturus locum, in quo Regula Sanctiſſimi Parentis Benedicti, cum Ciſtertij obſervantjis ad amuſſim obſervaretur. Deſignatum fuit Ceizæ Monaſterium, quod tamen ſequenti mox anno translatum legitur ad Monaſterium Manzanariæ vulgo Mazerada appellatum.

F. Adeodatus ab Aſſumptione.

Moritur hoc anno Vir eruditione & vitæ integritate Jlluſtriſſimus Bernardus Gutierrez, Hortenſis in Hiſpania Monachus, cui ob egregia talenta, varia ab Ordinis Rectoribus munera ſunt delegata, Romam enim miſſus ad procuranda Ordinis negotia, Summo Pontifici, Cardinalibus alijſque Eccleſiæ Primatibus, tam fuit gratus & acceptus, ut inter primos Curiæ Romanæ numeraretur, ubi ſeptendecim fere annis ſubſiſtens, magna apud omnes fuit in exiſtimatione. Jnde Viſitator Generalis conſtitutus, dum muneri ſuo ſtrenuè incumbit, in Nucalenſi ſanctiſſimo Cænobio, morbo & morte præoccupatus, feliciſſimè deceſſit, relictis non paucis præſtantiſſimi ingenij monimentis. *Manrique, Henriquez, &c.*

Bernardus Gutierrez.

IESU CHRISTI ANNUS M.DC.VIII. Sancti Patris Benedicti M.C.XXVIII.

MAximo totius Benedictini Ordinis plauſu ſolemniſſimè Sanctorum Albo à Paulo V. Pont. Maximo adſcribitur, S. Franciſca Romana, Pauli de Buxo & Jacobellæ Roffrandeſcæ filia Novæ Reformationis Montis Oliveti, ſub Regula Sanctiſſimi Patris noſtri Benedicti, Jnſtitutrix, ipſomet tanto Patriarcha è cœlis ad ipſam deſcendente, ipſam informante quotidie, vel loco ejus Magno Gregorio, Jnſtitutorem agente. *Ex actis Canonizat. ejuſdem & Vita.*

Canonizatur S. Franciſca Romana.

Cœlis immigrat hoc anno Venerabilis P. F. Bernardus Eſcuderus, Monachus & Abbas reformatiſſimus Vallis Bonæ in Hiſpania: Vir verè Sanctus & Angelicæ puritatis, qui in carne degens, ſic carnis vitia abhorruit, ſic mundum cum concupiſcentijs ſuis calcavit, ut nunquam peccatum mortale in omni vita commiſerit, & juſtitiam quam in Baptiſmate accepit, uſque ad glorioſum ex hoc mundo deceſſum incontaminatam conſervaverit. Maximam habuit Novitiorum curam, quibus inſigne ſui amoris relinquens monimentum, Meditationum diverſarum ad eoſdem librum unum ſcripſit, neque tunc viventes ſolummodo ſed univerſam ſanctam eorumdem poſteritatem demeruit. Vita exceſſit vir ſanctiſſimus 13. Octobris anni 1608. *Phœnix Revriviſcens Chryſoſt. Henriq. &c.*

Bernardus Eſcuderus.

Inſignis Novitiorum Magiſter.

Haud minori ſplendore ſydus hoc etiam anno ampliſſimum Galliarum Regnum cœlis transmittit ſanctæ memoriæ

V. Marcouſſius Cæleſtinus.

moriæ Patrem Marcouſſium Aſcetam Patrum noſtrorum Cæleſtinorum, eximia vitæ puritate Monachum, Cultorem Deiparentis Virginis ſingularem quæ eidem ſupremum decumbenti, adeſſe, & videri dignata, ſuo inſuper alloquio beavit; diem & horam feliciſſimi tranſitus dilectiſſimo clienti ſuo deſignavit. *Ex monimentis Cæleſtinorum noſtrorum & Hugone Menardo.*

Deipara charus.

Laborat plurimum in agro Dominico & in lucrandâ ſac. Rom. Eccleſiæ Britanniâ Religioſiſſima & Generoſiſſima Patrum noſtrorum Benedictinorum Congregatio, noviter inſtituta, dicta Anglicana, & viros doctiſſimos ſimul ac Religioſiſſimos, Controverſiarum vel maxime ſtudijs optimè informatos, omnes ſerio Martyrij accenſos deſiderio, in Angliam, Scotiam, Hiberniam deſtinat, qui animo invicto, mira animi & præparatione & reſignatione Apoſtolicum aggreſſi opus, incredibili laborum tolerantia, ſummoque fervore ſpiritûs, ſeſe non ſolum Catholicorum confirmandorum gratia, in ſumma vitæ diſcrimina ultro conijciunt, ijſdemque ſacroſancta Eccleſiæ adminiſtrant Sacramenta, ſed & totos ſeſe impendunt in Hæreticorum converſionem. Ex his hoc ipſo anno Apoſtolatum ſuum laureola Martyrij glorioſè coronat & complet, Reverendiſſimus Pater Georgius Gervaſius, ejuſdem Congregationis nobiliſſimus ſurculus, qui ab Jnquiſitoribus Regijs, in laudabili opere interceptus, in carcerem detruſus, rigidè examinatus & ad mortem condemnatus, lætiſſimo animo ſententiam audijt, & ſubijt, glorioſiſſimo Martyrio coronatus. Fuit is primum Duaceni Seminarij Preſbyter; verum comperta noſtrorum, tam inſigni, pro Chriſto & Anglorum animis, fundendi ſanguinis reſolutione, miro erga Ordinem noſtrum affectu concitatus, ad eumdem ſuſcipi inhiantiſſimè exambijt & à Reverendiſſimo Patre noſtro Auguſtino Præpoſito Generali Congregationis ſuſceptus & inſtitutus, non multo poſt, ſumma animi alacritate Apoſtolatum Angliæ aggreſſus, ita, ut diximus, feliciter rem geſſit, coronamque ſimul & Apoſtoli & Martyris meruit. *Clem. Reiner. Edvardus Mayheu.*

Fructus Congreg. Anglicana.

Georg. Gervaſius Martyrio coronatur.

Apoſtolus & Martyr.

Alphonſus Delbene Albigenſis Epiſcopus.

Moritur hoc eodem anno Alphonſus Delbene ex Monacho & Abbate Altæ-Combæ in Sabaudia Albigenſis, vulgo Albienſis in Parlamento Toloſano Epiſcopus, pro eximijs vitæ meritis promotus, Præſul & â vitæ integritate & ab egregia eruditione laudatiſſimus, qui multa eleganter non minus, quam doctè ſcripſit, librum in primis celebrem de Regno Burgundiæ Transjuranæ, nec non alium de origine Familiæ noſtræ Ciſtercienſis. Libros item diverſos, de Altæ-Combæ, Stamedei, & S. Sulpitij Cænobiorum Fundatione, alium item de Comitibus Toloſanis. Edidit item Civitatem Veri, à Bartholomæo avo carmine deſcriptam, cum Theodori Marcillij Annotationibus. Præterea affectam reliquit Hiſtoriam Epiſcoporum ſuæ Eccleſiæ, quam Alphonſo nepoti tunc Archidiacono virtutis & dignitatis poſtea ſucceſſori reliquit. Jpſi dedicavit Petrus Ronſardus, librum de Arte Poetica Francica. Ejus cognatus fuit Petrus Delbenius Abbas Duæ & Bellæ-Villæ, cui Juſtus Lipſius dedicavit Auctarium Veterum Juſcriptionum. Vita exceſſit Alphonſus 8. Februarij Albiæ ſepultus, non minus quam nepos ſucceſſor, in propellendis Hæreticis, propugnandis Catholicis ſedulus & optime meritus. *Ex Claud. Roberto & rer. Gall. Script.*

Ipſius ſemilia.

Eodem anno poſtulatur ad Metenſem poſt Caroli Lotharingi Cardinalis obitum, Epiſcopalem Cathedram, ſanctæ memoriæ Annas de Eſcars noſter, & ipſe Cardinalis Presbyter Tituli S. Suſannæ, moxque à Sede Apoſtolica accipit confirmationem, ſub finem hujus anni Româ diſcedens, & Pariſios occurrens, ut debitum Regi honorem præſtaret, proque inſigni & benevolentia & ad diverſos honores promotione debitas ageret gratiarum actiones, perbenignè à Rege acceptus, coactuſque hyemem ibidem ob adverſam valetudinem tranſigere, Deo procul dubio ſic volente, ut etiam Regia Civitas, & Rex ipſe tam egregio ſanctioris vitæ exemplo fruerentur, cum nemo neſciret, quanto opere ob hoc ipſum ſummo orbis capiti, & S. R. E. Cardinalibus fuiſſet commendatus.

Annas Cardin. Metenſis poſtulatur Epiſcopus.

Jn Hiſpanijs, admirabili etiam ſanctitatis fama exſplendeſcit, Deo dilectiſſima ſponſa Petronilla à Cruce cognomi-

Petronilla à Cruce.

nominata, monialis Sanctæ Annæ, in civitate Abulensi. Fuit Petronilla Virgo verè sancta, rigoris incredibilis in delicatam carnem suam & speculum purissimum, intaminatissimæ Virginitatis. Per viginti annos continuos integras in templo continua vit noctes, duxitque insomnes orationi intenta. Ferrea catena corpus suum arctissimè strinxit, & verè in servitutem spiritus redigens, ut mancipium, imo jumentum habuit. Fuit invisa admodum inferis, à malis Genijs Dei permissione, visibiliter & importunè impugnata, quos tamen mira animi fortitudine, contemnens fugabat, & profligabat. Vita excesit septimo Jduum Julij, incertum nobis quo anno, hoc tamen etiamnum superstes. *Ex Michaele Vaquero, & Chrysostomo Henriquezio.*

Cacodæmoni odiosissima.

Clausit hoc ipso anno mortales oculos in felicissimam obdormitionem Venerabilis P. F. Raphael Sarmiento, Hispanicæ gentis decus & ornamentum ex illustri admodum antiqua & generosa familia apud Ocannam natus, Hortensis Cænobij florentissimus flosculus, in quo tanta perfectionis opinione enituit, ut omnibus pro exemplo esset, in sacris æquè ac profanis litteris eruditissimus, tantus pro Concione orator, ut nulli secundus haberetur. Jngenij monimenta nonnulla posteris reliquit, quæ inter librum unum, quem Promptuarium conceptuum inscripsit, ad formandas totius anni conciones. Libros denique aliquot Concionum Compluti typo excusos. *Ex prædictis Script.*

Raphael Sarmiento.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. IX. Sancti Patris Benedicti. M. C. XXIX.

MEMORABILI ad Benedicti Redivivi gloriam nostra ætate accessione, felicissimo successu proficit, laudatissima & meritissima Congregatio nostra Anglicana, pro conversione Anglorum, Scotorum, & Hibernorum, utilissimè instituta, in quam plurimi pro suo Zelo, ad Apostolicam sanè functionem assumpti, constantiam suam, ac magnanimitatem, Ecclesiæ Romanæ insigniter in hodiernum comprobârunt diem, plurimi suo & sanguine & morte contestati. *De quibus legendus Reinerus in Appendice & alibi, &c.*

Congregatio Anglicana.

Sed ut Zelum hunc animarum in nostris tanto decursu sæculorum laudatissimum, perpetuo conseruatum, & in hoc fine sæculorum reaccensum Lector planius cognoscat, Votum Professionis Monachorum nostrorum, huic Apostolicæ Congregationi nomen dantium adscribendũ duximus, quod ita habet:

Ego N. N. Anglus, Monachus Professus, promitto, spondeo & voveo, coram DEO, Beatissima semper Virgine DEIpara, & Beato P. N. Benedicto, &c. me semper paratum fore, in Angliam Fidei Catholicæ propagationis Causa redire, atque ibi permanere, indeque reverti ad locum mihi destinatum, quando & quoties mihi præceptum fuerit, à Reverendissimo Patre Præside, Missionis & Congregationis Anglicanæ.

Ejusdem solemnis Professionis forma.

Jnviderunt hanc gloriam Nostris nonnulli, mussitatumque passim, eam Professionem Monachis minimè competere, quibus conveniret Contemplationi solum, non prædicationis & docendi laboribus se dare: Unde permoti Congregationis Hispanicæ primates, causam alioquin liquidam, & non semel definitam, gravissimo celeberrimi Salmanticensis Senatus facultatis Theologicæ, judicio & censuræ permittendam censuere. Respexere Judices ad Bonifacij IV. suo tempore prolatum Decretum (quo, ante mille nimirum annos, ejusmodi querelas oppressas & elusas pridem memoravimus) & usu perpetuo ac consuetudine fundatum Jnstitutum tum agnovere, post producta Bonifacij verba sic pergentes, *Nos convicti tam apertâ Pontificis decisione, non potuimus ei non subscribere debita reverentia & observantia, atque ita censemus, Monachos BENEDICTINOS quantum est ex Professione, qua juxta Regulam suam devinciuntur, aut ex instituto seorsum vivendi, à reliquis hominibus, ut liberius possint vacare contemplationi rerum Divinarum, non impediri quo minus possint à suis Superioribus mitti in Angliam, & alias provincias, ut dent operam, reductioni Hæreticorum ad fidem Catholicam, à qua defecerunt: & Conversioni quorumcunque infidelium ad eam. Addimus præterea perpetuo usu & consuetudine fuisse in Ordine Divi Benedicti hoc receptum, summa & evidenti Catholicæ Ecclesiæ utilitate, ut confirmat testimonium, cujus meminit Gratianus* 16. q. 1. *& præ-*

Invidia nonnullorum.

Repressio Collegij Salmantic.

Decretum Bonifacij IV.

ter

ter id sunt plenæ exemplorum Ecclesiasticæ Historiæ, plena fere omnium Catholicorum scripta, quæ hoc nomine hunc Ordinem miris laudibus extollunt. Unde communis pene omnium Christianorum animis inhæsit opinio, innumeros ex hoc Ordine Doctores, Concionatores, Martyres, & Pontifices prodijsse, adeo ut nemo sit, cui hæc ignota esse possint. Ita tenet Schola Theologorum Salmanticensium.

Ordinis nostri antiqua & perennis gloria.

Subscriptio Salmanticensium.

F. Bartholomæus Sanchius, Decanus.
Joannes Alphonsus Curiel Canonicus Salmanticensis.
Fr. Augustinus Antolinez.
Magister Andreas de Leon Canonicus Pœnitentiarius.
Magister Petrus Arrago.
F. Ludovicus Bernardus.
F. Petrus Ledesma.
Magister Sagredo de Porres Canonicus Salmanticensis.
F. Petrus Corneio.
F. Franciscus Corneio.
F. Andreas de Espinosa.
F. Basilius Pontius Legionensis.
F. Dionysius Jubero,
Magister Gelanda Professor Hebraicæ linguæ.
F. Petrus de Herrera.
F. Bernardus Bivanco.

Notarius publicus.

Et ego Antonius Ruano de Medrano publicus Apostolicâ Auctoritate Notarius & Salmanticensis Academiæ Secretarius facio fidem, fuisse hanc resolutionem Collegij Theologici ejusdem Academiæ & Magistrorum ejus, quos novi, facta prius in suo claustro prædictæ difficultatis publica conferentia, cui interfui, & de mandato ejusdem Collegij hoc publicum Instrumentum exhibui, die 27. Mensis Julij 1609. Rogatus.
Antonius Ruano de Medrano.

V. Florentius Conversus Turca.

Ex infideli fidelissimus Christo & Ecclesiæ, magnis Virtutibus se probat in Germania nostra, & Ducatu ejusdem Luxemburgico Beatæ memoriæ Frater Florentius, Conversus celeberrimi Vallis Aureæ haud procul Luxemburgo Cœnobij. Is Turca natione, secta Mahometanus, singulari Numinis gratia ad fidem vocatus, cum infidelium exercitu in Ungaria profligato, à Christianis captus esset, à Sanctis Nicolao & Claudio Episcopis, qui ei vigilanti visibiles apparuerant, conversus, à sanctæ memoriæ Bernardo de Montgayllard, sacris Baptismatis undis ablutus est, & piè instructus, cum sacrum Religionis habitum ferventissimè expeteret, eamdem in Valle Aurea meruit, & Conversorum Ordini adlectus, admirabili innocentissimæ Vitæ exemplo, mirè se omnibus probavit & commendavit, & post multa sanctitatis opera, cum sæculum nostrum plurimum exornasset, migravit ad Christum, cujus res gestas, paulo post in lumen prodituras avidissimè exspectamus. Vita excessit Nonis Julij. *Ex Menologio nostro & Henriq.*

Mira vita ejus sanctitas.

Mortalitatis exuvias deponit hoc anno Reverendissimus Dominus Ludovicus Sombeck celeberrimi Gladbacensis Cœnobij Abbas meritissimus, Congregationis Bursfeldensis incomparabile decus, Zelator & promotor Disciplinæ Regularis Zelosissimus, qui ut de suis non solum, sed & posteris optimè mereretur, creditumque sibi à Numine talentum minimè defoderet, sed in lucra Domini converteret, librum edidit Divini Spiritus dictatis plenissimum, quem Titulo *Funiculi triplicis* inscripsit, in quo Passionis, Mortis & Crucis Dominicæ Mysteria, & documenta Sanctorum Patrum verbis expressa, summa cum voluptate & utilitate legentium doctissimè & accommodatissimè redhibuit. Fuit vir magnæ authoritatis, decessitque anno ætatis septuagesimo sexto, Prælaturæ vigesimo septimo, Sacerdotij quinquagesimo secundo, professionis quinquagesimo septimo, brevi, at ponderoso Elogio à suis in Epitaphio honoratus, *Sanctorum semita morum, Doctrinæ Jubar, & Religionis honor* dignissimis sane Titulis appellatus. *Ex Monimentis ejusdem Cœnobij.*

Ludovicus Sombeck Abbas Gladbacensis.

Insigne encomium

Nunc denique mense Junio valedicens Henrico Regi sui amantissimo Parisijs discedens Metas petit Eminentissimus Cardinalis noster Annas de Escars, possessionem aditurus, & Ecclesiæ recens sibi creditæ consulturus, incredibili omnium plausu exceptus, Decano & Canonicorum præcipuis, ad famosum usque castrum Malatour obviam occurrentibus, reliquis cum Gubernatore Regio, in pagum usque Moulin, in occursum advolantibus, ipsumque splendidissimâ pompâ inter tormentorum bellicorum explosionem in urbem & Cathedralem Ecclesiam

V. Annas Cardinalis Metis solemniter excipitur.

clesiam, atque inde Palatium Episcopale inducentibus.

Plausus omnium. Miraculum illico vigilantissimi Pastoris sese exhibuit, nihilque prius habuit, quàm Clerum reformare, exemplum sanctitatis omnibus præferre, cunctos demereri, admirabili sese prudentia in omni ejus actione, juxta Zelum sanctissimum prodente, nemine non in tanto Principe summam animi demissionem, humanitatem & liberalitatem admirante, & verè paternum affectum agnoscente. *Ex Vita ejusdem Ms.*

Prodigiosè servantur Reformatæ Moniales. Non sine prodigio servatæ hoc anno Moniales nostræ Montis Martyrum, veneno sæpius impetitæ, pane infecto, quem perditissima illa soror Maria Parisiensis dicta ope cacodæmonis pinsere consueverat, Monialibus voto se se Divo Carolo Borromæo obstringentibus, si ea peste, hominis (adeo pestilentis Monasterio) liberarentur, quod hoc etiam anno impetrarunt, & Maria illa, diu ipsâmet & dæmone obluctantibus, pensione annuâ promissâ, procul accommodata fuit, ita ut de ejusdem improba vita nihil porro rescire possent, nedum intueri cogerentur inque tot periculis & anxietate eidem convivere. *Ex Vita Bellovillarienſis.*

Antonius de Conceptione Abb. Alcobatiæ. Eligitur hoc anno Abbas Alcobatiæ Reverendissimus Dominus Antonius à Conceptione, vir præstantissimus, sub quo, ex insigni Doctissimorum virorum Conventu, duo præ alijs celebrati sunt R. P. Bernardus Brito Philippi III. Hispaniarum Regis in Regnis Lusitaniæ Archi-Historiographus; qui *duos Tomos Monarchiæ Lusitanæ* à Lusitanis in admiratione habitos: *effigies item Regum Lusitaniæ, Chronici Cisterciensis Libros sex: Commentaria in Michæam Prophetam*: & alia æquè erudita publicavit; & Franciscus Carreyro Sacræ Theologiæ in Universitate Conimbricensi publicus Antecessor, qui vel docente ibidem Francisco Suarez (nostri sæculi oraculo) inter primarios meruit numerari. *Ex Monimentis Alcobatiæ.*

Leonardus Rubenius Abb. Abdingkhofensis. Moritur hoc anno haud minimum Bursfeldensis Congregationis nostræ decus Leonardus Rubenus sive Rubenius Abdingkhofensis Cænobij Abbas & prædictæ Congregationis Præses Generalis, vir de Ordine meritissimus, & relictis etiam ingenij & pietatis pulcherrimis monimentis clarissimus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. X.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XXX.

RUrsum Benedictino Sanguine sacranda fuit hoc anno, nostrorum infinitis laboribus tanto decursu sæculorum exculta Anglia. Fuit is, qui Anglorum salutem sanguine & vita potiorem habuit Venerabilis P. F. Joannes Robertus de Mervinia, unus ex primis Monachis, qui post Religionis Catholicæ in Anglia suppressionem, ad ejusdem reductionem operandam, à Reverendissimo Præside Apostolicæ Congregationis fuit destinatus, Vir magnæ constantiæ, Zeli præcipui, & charitatis; qui sæviente Londini peste gravissima, infectis & morientibus assistere, & Sacramenta ministrare, fidemque annunciare, pro Christo perseverantissima devotione sustinuit; postquam sæpè sæpius è carceribus in exilium missus fuisset, tandem ob Fidei Catholicæ constantissimam professionem, sententiam capitalem & supplicium hilaris subijt, suoque proprio Sanguine, Christo Regi Regum litavit die 10. Decembris morte felicissima & in oculis cœli ipsius plurimum gloriosâ, infinito populo spectante periculosis laboribus finem imposuit, & felicissimum animum ad triumphos æternitatis dimisit. Ejus agonem fusius describit Antonius de Jepes noster tomo 4. in Chronico Generali Ord. aitque inter omnes Religiosos, qui in Jnsula illa laborarunt, penè Principem reputari posse, quod ad laborem & fructum prædicationis attineret. Fuit autem quinquies captus, semper pro Deo & Religione mori paratissimus, & toties singulari Dei providentia ad multorum salutem dimissus & libertati redditus. Sexta vero vice comprehensus ipsa Dominica I. Adventus, cum in Catholici cujusdam viri domo, sacris operatus esset, octava die Decembris, quæ Conceptionis Jmmaculatæ Deiparæ Virginis honori sacra & solemnis est, in Judicium productus, mira constantia & sapientia coram Judicibus rationem Fidei reddidit. Decimo Decembris ad locum Supplicij deductus, coram toto populo, Sacerdotem sese esse, & Mona-

V. Joan Robertus de Mervinia.

Martyrio Apostolatum coronat.

Insigne cœlis ipsis spectaculum.

Sancti Viri merita.

Monachum Ordinis S.P. Benedicti publicè professus, mox patibulo appensus est, ac postea semivivo exsectis intestinis, in quatuor scissus partes, cum alijs quatuor Catholicis, inter sedecim latrones, quorum unum in ipso Supplicij loco, per breve colloquium convertisse dicitur, glorioso Martyrio suum Apostolatum consecravit. *Vid. Jepes, Reinerus, &c.*

Latronem in ipso supplicij loco convertit.

Ex mortali hac vita ad gaudia transit hoc ipso anno Christi Confessorum, sanctæ memoriæ Venerabilis Pater F. Placidus à S. Mauro, Fuliensis celeberrimi in Regno Galliarum Monasterij Monachus. Hic Italus natione, cognita fama sanctitatis Fuliensis Congregationis Monachorum, quo felicius ad vitam perfectiorem conrenderet, ad ipsum fontem recurrendum ratus, in ipso Congregationis tam sanctæ Archisterio susci pi rogavit & meruit. Ubi cum statim in magnam profecisset vitæ perfectionem, Infirmorum sibi demandatam curam, plurimis annis magno cum solatio ægrotantium gessit; charitate siquidem insigni & pervigili erga Fratres fervens, promptus ad omnia servitia extitit, mansuetudine præterea tanta, tantaque animi demissione ut omnibus in delicijs esset, in tantis tamen occupationibus, ad opus Dei in choro promptissimus. Ita plurimos consumpsit annos, patientia invictus & mirabilis compassione. Pro in veniente remunerationis hora, paucis ante obitum horis agonizans, Fratres sibi adstantes, ad officium Divinum persolvendum invitans, tanquam cygnus quidam moriendo concinens solemne illud: *DEUS in adjutorium meum intende* intonavit; quod persequentes Fratres, officium ejusmodi circa lectum adimpleverunt. Sacrosanctum Eucharisticum Sacramentum, pro Viatico, tremebundus, & blandis sermonibus, Christum præsentem alloquutus, soluisque de repente à lectulo prosiliens cum incredibili humilitate genuflexus adoravit & sumpsit. In primo autem infirmitatis suæ limine, postremam suæ vitæ horam prædixit, scilicet non visurum se mortem, nisi prius videret finem diei Divo Tutelari suo Mauro sacri, uti & contigit, ipso S. Mauri Abbatis 15. Januarij mortuo, imo in Mauro & Benedicto Patre suo felicissimè redivivo. *Carolus à S. Maria Phil. Malabayla, &c.*

V. Placidus à S. Mauro.

Infirmarius Monasterij.

Moribundus, Deus in adjutorium præcinit.

Mortem prædicit.

Memorabile, quod sub hoc fere tempus Venerabili P. F. Leandro à S. Martino juveni etiamnum, nec quo spectaret intelligenti contigit. Erat parentibus editus Hæreticis in Britannia, & cum ingenio esset florentissimo, præmaturè studijs litterarum applicitus, & quod tenui marsupio parentes essent, magnamque de ipso spem Magistri conciperent, ad studia pseudo-Theologica traductus, mira & magna olim, uti Professores ominabantur, contra Catholicos præstiturus. Insignierat ipsum Natura & Naturæ parens ea vultus gratia, formæ elegantia, ut quod Gregorio Magno, primo contuitu Anglorum visum, Angelos appellandos, hoc in Leandro conduplicatum appareret. Accessit ingenij subtilitas, judicij acrimonia, vis tanta eloquentiæ quæ supra penè hominis naturam viderentur. Contigit sæpius ut propter eximiam eruditionem, in Disputationibus publicis, in summa frequentia universitatis, de industria sæpe juveni, & quidem ex tempore disputandi & argumentandi occasio & licentia à Professoribus præberetur, tanta omnium cum admiratione, ut fama dein latius sparsa, magni etiam Principes, tantum ut juvenem hunc audirent, Disputationibus interesse volupe ducerent, & qui audissent vix satiari possent. Verum quam gratum id cæteris, ita deinceps professoribus odiosissimum fuit, cum juvenis dictante procul dubio Numine talia in medium afferret argumenta, & quidem summè Theologica, quibus solvendis nemo omnino professorum sufficeret, & perurgente juvene omnes obmutescerent, obstupescerent, tanto majore Principum plausu, quanto majore Academicorum Doctorum confusione. Evocatus ab his non semel, & graviter objurgatus, quod Catholicus esset, & libris atque Magistris uteretur Catholicis, negavit, & pro virili se purgavit, imo ad sui purgationem testium satis, & quotquot haberet domesticos, omniumque suorum gressuum conscios adduxit. Exarsere in curiositatem majorem, quotquot de hoc juvene audierant Britanniæ Magnates, ita ut quotiescunque disputandum

P. Leandr. à S. Martino.

Forma juvenis incomparabilis.

Ejus mira in disputando subtilitas.

Concursus ad juvenis Disputationes.

dum Theologicè & publicè essent, certàtim & frequentissimi maximi undecunque Proceres concurrerent, & vel ab invitis extorquerent, ut in arenam Leander committeretur, ipso enixè deprecante, donec vel invitus, etiam ab invitis & in speciem simulantibus cogeretur, eodem semper successu, ut hoc triumphante, Doctores omnium sibilo exponerentur. Concluſum proin, secreto consilio, juvenem innocentem Universitate solemniter excludere, imo ut Hæreticum ejicere, frustra illo deprecante & veniam rogante. Jta mœrore absorptum, rubentibus & turgentibus oculis Angelica facie juvenem contuitus & miseratus, quidam Societatis Jesu Theologus, sæcularem indutus vestem, amanter alloquitur, causas tristitiæ scisciratur, nihilque non ut mœrorem solaretur, pollicetur, donec captus ille benevolentia viri, sese totum expectorat. Rogavit argumenta Pater, & mirari satis non potuit, adeo docta, firma, prævalentia. *Et non potuere hæc solvere Tui Professores?* inquit. Ille: *Non potuerunt. Atqui*, ait, *Tu fortè poteris, qui sic argumentabaris. Minimè*, respondit: *nam ideo proposui, ut mihi solverentur. Sed quid, mi Juvenis*, ait Pater, *si reapse insolubilia sint, si Dicta Divina, si meræ Veritates?* Jta attentum, attonitum & benevolentia captum, cum domum reverti præ erubescentia ipse dubitaret, facile ad suum persuasit hospitium, & prolixius informavit, optimè habitum, proprijsque jam suis, imo Divinis captum argumentis, convictumque, ut facile persuaderet insidias & odia Professorum declinare, & quo digitum intenderet, eo verti, asserens in portu proximo navem consistere; quæ prima nocte secundiore vento aspirante in Hispanias vela factura esset, ibi non minus, quam inter navigandum, à se omni modo providendum. Annuit promptissimè juvenis, & Vespere ductus ad navim, altera mox die aspirante cœptis Numine, eo lætior ex Anglia evolavit, quo certior de Vocatione sua Divinitus redditus, primâ quâ in navi consederat nocte, raptus in extasim, animadvertente qui una navigaverat alio Societatis Patre, fassus quidem tunc est, mira quadam visione se recreatum, de cætero prodere prohibitum, donec occasio se certa & causæ recitandi, quæ viderat, offerret. Jta in Hispanijs feliciter appulit, in Collegio Patrum Societ. Vallisoleti optimè accommodatus, perbenignè habitus, & studijs Theologicis adhibitus, in quibus paulo post ad miraculum profecit. Cætera paulo post, ipsius rei narrandæ mirabili occasione, *Rom. Hayus, &c. & Congr. Angl. Script.*

Mira hominis Vocatio.

In Hispanias concedere consentit.

Revelatio Divina.

Jn Gallijs magno nostrorum luctu Henricus IV. Franciæ Rex immani scelere à Sicario quodam in curru geminato lethali ictu vulneratus, nec multo post, sacris ritè munitus extinguitur, hoc ipso loco memorandus, tanquam mirificus Nostrorum fautor & protector; imo Genebrardi nostri in Christo Jesu filius, Fulienſium nostrorum & Reformatorum omnium Patronus singularis.

Henricus IV. Gall. Rex occ. fautor Ord. singularis.

Jn Hispanijs florent plurimi doctissimi simul & perfectionis opinione clarissimi, tam Vallisoletanæ quàm Cistercienſis familiarum nostrarum, è quibus Antonius à Perez noster, æque sanctissimus atque eruditissimus, de quo suo loco plura, & Chrysostomus Ruyz Hortensis Monachus Tyronum director, & Prædicator verè Apostolicus, cujus ingenij monimenta diversa sunt: *Tractatus de Prælatorum onere & curâ*, nec non alius libet *de Præsentia DEI.* Et Hieronymus de Llamas Abbas Carracetanus, qui cum aliquando ægerrimus festo S. Hieronymi, vestibus indui & sellâ gestatoriâ Choro inferri rogaret, nec impetraret, Deo questus tantum oratione potuit, ut à Monachis sub Matutinis, præsens, sanus, robustus & bene valens, ut apparebat, cumque alijs canens videretur, cunctis admirantibus & post Matutinas Laudes ad cellam ejus currentibus & qualiter illum conspexissent recitantibus, cum tamen modo in lecto adeo infirmum intuerentur. Respondit vir humilis: *A Spiritu actum, quod corpori negatum fuerat, & se in Spiritu in Choro fuisse.* Elucubrationibus hujus celebrantur: *Methodus Curationis animarum* sæpius in Hispanijs & Germania typo vulgatus liber, sed & libri Dialogorum duo. Vivere desijt vir præstantissimus hoc ipso anno 1610.

Antonius de Perez.

Hieronymus de Llamas.

Mirabilis absentis in Choro præsentia.

Moritur eodem anno gravibus ex-

Nicolaus le Franc Abb. Latienſis.

coctus infirmitatibus Nicolaus le Franc Abbas Lætienſis meritiſſimus, verè ubivis lætus in adverſis, qui arctis quantumvis rebus ſibi tamen ſuiſque de neceſſarijs quaſi detrahens in pauperes omnia effundebat. Js minima quævis ſtatuta Ordinis ad amuſſim exacta & ſervata voluit, verè ſæculo mortuus, cùm omnia ſæculi conſortia vitaret, cumque ſuis non aliter atque minimus omnium viveret.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XI.
Sancti Patris Benedicti. M. CXXXI.

ILluſtriſſimum Galliæ Sydus hoc anno cœlis inſeritur Beatiſſimæ memoriæ Natalis Mars, Majoris Monaſterij prope Turones Monachus, ſæculi noſtri ſingulare ornamentum. Hic Gallus natione, Aurelianenſis patria, à puero litterarum adhibitus ſtudijs, in alma Pariſiorum Urbe, in Divinis æquè atque humanis litteris excelluit, atque ibidem Gradum Licentiatus in Theologia accepit. Verum inanitatem mundi in tot conſiderans vanitatibus, ſolius Numinis ſervitio conſecrare ſe ſtatuit, & paulo poſt ad Majus ſe conferens Monaſterium, S. P. N. Benedicti complexus Regulam, reddere, quod voverat, firmiter propoſuit. Regulæ proin ejuſdem non in Monaſterio ſolum, ſed & extra cum Pariſijs in Collegio ejuſdem Monaſterij reſideret, obſervantiſſimus, nihil quidquam ſine licentia Superioris dicti Collegij accipiebat, donec ad Monaſterium ſuum ſe reciperèt. Sed cupiens Regulam Sanctiſſimi Patris ſui ad amuſſim obſervare, cum aliquot Monachis ejuſdem Cœnobij, contulit ſe ad Prioratum Sancti Maglorij de Leonio in Minore Britannia, ubi Societatis Britannicæ fundamenta jecit, quæ Auctoritate Urbani VIII. Pontificis Maximi coaluit poſtea in Congregationem Sancti Mauri, in Comitijs Generalibus Ejuſdem Congregationis, quæ habita ſunt in feſto Exaltationis S. Crucis, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octavo, in Cœnobio S. Trinitatis de Vindocino. Fuit Natalis auſterioris vitæ, Carnem macerabat cilicio, quod pene totum ejus corpus tegebat. Fuit ſingularis patientiæ, diutiſſimè acerbiſſima iliorum tormina patientiſſimè ferens, quæ illum etiam à Miſſa celebranda, & Divino officio, non prohibere poterant. Fuit Prior Monaſterij de Troucheto in Minore Britannia; cujus verba nihil niſi DEI amorem ſonabant. Fuit inſignis Verbi Divini præco, quo in munere, ut etiam in Confeſſionibus audiendis, multos è vitiorum ſentina eduxit. Obijt anno 1611. ſatis juvenis, ætatis nimirum ſuæ, trigeſimo quinto. Sepultuſque eſt in Eccleſia dicti Prioratus S. Maglorij. Ad cujus tumulum multus fit populi concurſus, ob ſanitatum gratiam, quam DEUS, eum invocantibus conferre ſolet. Ejus corpus poſt aliquot annos effoſſum integrum & ſine ulla corruptione inventum eſt. Jta ut hoc etiam noviſſimo tempore, in hoc novæ Congregationis Jnſtitutore, ſanctiſſimum Legis latorem noſtrum, in ſuis reſtituto cui ipſe ſervierat Spiritu, intueamus, in Natali autem *Benedictus* verè *Redivivus* comprobetur. *Ex Vita per Hug. Menardū.*

B. Natalis Mars mon. Turonenſis.

Regulæ ad amuſſim ſtudioſiſſimus.

Initia Congreg. S. Mauri.

Miraculorum gloria celebr.

Corpus in. corruptum.

Piè vita functus eſt hoc ipſo anno 1611. Venerabilis Pater Bernardus Colnagus celeberrimæ Societatis JESU Preſbyter ſanctimoniæ & doctrina laude celeber, qui à Benedictinis, ut ipſus fatebatur, non uno in loco beneficia memoratu digniſſima acceperat. Specimen è multis memorabile hoc inprimis: Cognoverat in Sylva quadam ſolitarium degere ſanctimoniæ fama clarum ex Divi Benedicti Patris familia, qui Chriſti patientis in corde pœnas expertus immenſis laniaretur doloribus: quem familiarius ſibi lucrandum ratus, convenire non diſtulit & amiciſſimum nactus, remque plenius edoctus tantæ gratiæ admiratione accenſus inſtantiſſimis precibus pulſare non deſijt, donec idem ſibi prædictus Pater à Numine impetraret. Jmpetravit, & ita quidem ut & ipſe, tantorum particeps fieret dolorum, adeoque & meritorum. Quotieſcunque proin ipſi concionanti de Paſſione Domini ſermo fuit, ſexta quaque feria acerbiſſimum in latere cruciatum, & lethiferos in corde dolores perſenſit, haud ſecus ac ſi lancea perfoſſus, immane vulnus accepiſſet. Creſcebat autem dolor præ magnitudine fervoris. Neque tunc ſolùm ſed quoties etiam Sacris operatus eſſet, cor ſibi comprimi findique ſentiebat. Jnde quoties ab altari

Ven. Bernardus Colnagus Soc. JJ.

Mira gratia Benedictus.

Mira ſuſcitatio.

Conceſſa rata.

altari digressus est, ad mortem usque torqueri sentiens, amicorum fidissimo persæpe dixit: *Dissimulo ego quidem, sed sentio me mori.* Deinde ad DEUM conversus: *Si mori me vis Domine* inquit, *moriar.* Negabant Medici eum dolorem doloriſque Principia naturæ adscribenda, ipse verò non nescius, unde originem traherent, non quærebat medicinam, pro medicamine illi erat, liquidissima voluptas quæ dolore abscedente, animum non minore gaudio implebat, quàm doloris tormento confixerat. *Ita Paulinus in Vita Bernardi.*

Transijt hoc eodem anno, & anni initio, Tertio Nonas Januarij, ad sedes & gloriam Beatorum Venerabilis Pater F. Godiferus, à S. Mauro cognominatus, verè florentissimum Galliarum Regni lilium, in Paradyso Empyreo inserendum. Js Gallus natione, professione Monachus, Magni illius Barrerij Fulienſium institutoris in florentissimo illo Reformationis Archisterio discipulus, imo sacri rigoris pijssimus & ferventissimus æmulus, incredibili severitate corpus excrucians, in illud solidioris pœnitentiæ studio ita sæviebat, ut ad multam usque sanguinis effusionem disciplinas protraheret. Sacris prius operari non consuevit, quàm horam integram & amplius ante Crucifixi imaginem, prostratus, in contemplatione tanti Mysterij affectum accendisset. Ut autem rigidus sibi, sic in proximos humanus & beneficus existens, ægrotos maximè & agonizantes, maxima charitate, & ferventissimis exhortationibus erexit; quibus omnibus desiderium vitæ æternæ & dissolutionis è corpore altius impressit. Vita excessit hoc anno, &, quem diximus, die, Burdigalæ Biturigum Vibiscorum ad Garumnam metropoli; cujus ibidem sacrum corpus requiescit. *Ex R. P. Philippo Malabayla & Carolo à S. MARIA.*

F. Godiferus à S. Mauro.

Ægrorum consolator insignis.

Jnvalescit viris ac viribus Generosissima, Apostolicæ functionis, Prædicationisque in gentibus, Congregatio Benedictina Anglica, æternaturo de Regno Angliæ merito & studio Monachorum æternis sæculis commendando, eademque hoc anno legibus optimis fulcitur, atque sequente anno solemniter à Paulo V. Pontifice Maximo approbatur, confirmatur & commendatur. Celebrantur ex diversis Hispaniæ atque Jtaliæ Congregationis Monachis, viri Religiosissimi & doctissimi, qui Spiritu DEI impulsi certatim eidem sanctissimæ Missioni nomen dantes, se veras & ultroneas Christi victimas pro gloria Numinis & salute populi atque Regni Anglicani, ultro & sponte in Sacrificium obtulere. Jllos inter, non minimi nominis fuere Reverendi Patres ac Fratres: Anselmus de Manceſtria Casinensis; Augustinus de S. Joanne Hispanus; Robertus Sadlerus; Thomas Præstonus, Hillus Hispanus, &c. *Legendus fusè omnia persequens Reinerus noster in App. p.* 1.

Legibus roboratur Congregatio Anglica.

Viri illustres.

Etiam Germania nostra frigidissimo hoc sæculo & solo flosculum insignem transmittit Paradyso Domini, præsenti anno, Elisabetham de Castello, Prænobili & antiquo genere, Mayrongensis haud procul Fryburgo Vchtlandiæ, Cænobij Profeſſam; quæ ut Virginitatem suam non solum, sed se totam Numini devoveret, juvenili ætate jugum Domini amplexa sacrum, Tyrocinium mira alacritate subijt, & vero etiam virili certamine Victrix, cum eam præstanti nobilitate Vir conjugem exambiret, & ante Monachicæ vitæ professionem, varijs modis & artibus tentaret, constantissimè respuit, ad unum sese toto corde convertens, à quo sanctissimis amoris illicijs castissimè rapiebatur. Jnde Votis solemniter emissis, omnibus sese sanctitatis exercitijs dedit, humilitate, patientia, obedientia, orationis studio, & rigida Vitæ austeritate, cæteris sororibus omnibus facem illustrem præferens. Tandem, plurimis attrita infirmitatibus, easdem ad mortem usque patientissimè tolerans, mira spiritus alacritate, in amplexus Christi sponsi felicem animam exhalavit, quarto Jduum Januarij. Numine quàm primum merita ejus declarante, cùm positum in feretro Virgineum corpusculum, suavissimum odorem, non solum per templum & Monasterium, sed etiam extra terminos Monasterij latè effunderet, summa omnium cum admiratione; Referente hæc præsentissimo teste Reverendissimo Wilhelmo Altæ-Ripæ Abbate, qui ejus vitam descripsit, ipseque eam inhumavit.

V. Elisabetha de Castello monialis.

Varièe tentata ut Deo adiaret.

Prodigiosa à morte fragrantia.

Ne absque purpura etiam gloriosissimi Martyrij hic annus esset, nobilitarunt eundem generosissimo agone duo spectatissimi ex Ordine Benedictino pugiles, viri venerandi Nicolaus Sadierus & Nicolaus Huttonus, quos Rex immemor fideliũ monitorum vitæque atque exempli sanctissimæ Martyris & Matris suæ, in eâdem, etsi alio falsissimo prætextu, decapitatæ causâ, ob constantissimam unicè salvantis Fidei defensionem, in vincula rapi, arctè haberi, rigidè examinari, & capitali sententia ad mortem condemnari jussit. De his *Joannes Molanus Corcagensis in Epitome de Martyribus Angliæ.*

Jacobus Del-Rio Abbas de Bodeloo.

Superiore anno decesserat Præsul eximijs meritis, & unus tomo integro dignus Jacobus Delrio Abbas de Bodeloo incomparabilis, quem celebrantes exspectavimus oculatorum testimonium, donec Epitaphium ponerent, ne nos multum dixisse videremur. Sequens posuère:

Abbatum Exemplum, Specimen Venerabile morum,
Spes inopum, Fidei splendor, honoris honor
Et Patriæ communis Amor, verè aurea prisci
Vena boni, & Rivus perpetuæ uber opis.
Quæ Delrio tibi simul omnia confluxère.
Omnia nunc tecum, tot periere bona.
Aut potius cœlum tecum subière petente
Omnia, ut Oceanum flumina prona petunt.

Epitaphium ejusdem.

Jta laudasse satis duximus, simul & parentasse. *Ex Monimentis Bodclocnsibus.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XXXII.

Ven. Annas d'Escars S. R. E. Card. moritur.

SUmmo Romanæ Ecclesiæ totiusque Regni Gallici luctu, valedicit hoc anno mortalibus, Eminentissimus sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, nec non Lexoviensis & Metensis Cathedralium Ecclesiarum Episcopus Dominus Annas ab Escars, sacræ purpuræ ornamentum singulare, Princeps omni laude major, verus ovium suarum pastor, pauperum omnium pater, afflictorum consolator, tantus omnino talisque vir, qui propter evidentia sanctitatis signa, pro miraculo omnino & ab omnibus haberetur. Decessit religiosissimè in Castro suo Principali, cognomine Vic; post sumptionem omnium SS. Ecclesiæ Sacramentorum, & post Benedictionem tanquam alter Patriarcha Jacob omnibus domesticis suis datam, in felicissimum somnum sanctè resolutus die 19. Aprilis hujus anni, hora octava Matutina, inexplicabili omnium luctu deploratus, à puero, ad supremam usque ætatem, omnibus amabilis, de cujus jam grandævi senecta, ipso perfamiliariter usus illustrissimus Gaspar Scioppius *cum summa prudentia*, inquit, *eam ipsam omnibus probabat innocentiam, in qua S. BENEDICTI habitum, non plus octo annos natus susceperat.* Laudatus fuit oratione funebri ab Andrea Valoderio, postea S. Arnulphi Abbate, cujus mortis annus hoc numerali carmine indicatur:

Insigne encomium.

LaVs pIa pVrpVrel CætVs CLaVstrIqVe CoLVMna
Anno hIC eXpresso GIVrIVs astra petIt.

Demeruit plurimum, nostrorum antiqua consuetudine, novum in Gallijs Sancti Francisci de Paula Minimorum Ordinem, cujus Alumnos paternè fovit, quique sub ejus auspicijs insigne Metis Cœnobium condiderunt. Corpus ejus fuit Metas allatum 26. dicti mensis Aprilis, & depositum in Ecclesia S. Maximini, postera vero die 27. scilicet, fuit à toto clero inde translatum quàm solemnissimè, & in ea sepultum. Magnificentia sepulturæ, respondit magnificentiæ receptionis & introductionis. Mausoleum spectatur in Sacello, quod est retro altare majus, è præstantissimi generis marmore, cum repræsentatione sculpta ipsius personæ, & sequenti Epitaphio:

S. Pauli Minimorum Ordo ab ipso promotus.

PIIS MANIBUS ÆTERNÆ MEmoriæ plorabili busto, Antistitis desideratissimi, omni ævo retro dolendi

Epitaphium tanti Cardinalis.

Annæ d' Escars Tit. S. Susannæ S. R. E. Presbyteri Cardinalis de Giury nuncupati, qui paterna indole, clara familia d' Escars, materna prosapia primæ Longoviorum Nobilitatis, egregia Principum Aurelianensium consanguinitate, infelicissimo seculo, felicitèr Ecclesiæ datus, Parisijs editus, Divione in antiquissimo Divi Benigni Cœnobio, Sancti BENEDICTI disciplina institutus, professusque, indidem Abbas, tum Lexoviorum Antistes electus, tota

ta Gallia præclarus, Romæ perquam illustris, Metis amabilis, ubique stupenda lenitate, spectabili senio, rara pietate innata gravitate, mirabilis ac venerandus, Regi percharus, Pontifici Maximo jucundissimus, omnibus æternum lamentabilis, Ecclesiæ Metensis Pontificatu, simul & castissima vita perfunctus, Vitam immortali gloria deproperatam oppetijt XIII. Cal. Majas, anno ætatis 68. sæculi vero Christiani supra millesimum sexcentesimum duodecimo.

Leander à S. Martino.

Leander, à S. Martino dein cognominatus, de quo supra, in Collegio interea Societatis Jesu Patribus credito sive seminario quodam commodè accommodatus, admirationi omnibus ab tanto in studijs progressu fuit, optimis se juxta moribus, non minus quàm Angelica vultus gratia commendans; cum fortè à Patre aliquo Societatis in Urbem propter negotia egresso, socius adhibitus, in foro publico circumferens oculos, eminus contuitus, cum socio Religioso Sancti Martini Abbatem, pedes modestè incedentem, mirabili quodam Spiritu raptus (neque enim antea ullum viderat Benedictino in habitu amplis ex more manicis cucullatum) præcoci cursu, non tam pedibus, quàm animo volans, quem volebat illico assequutus, spectante magna multitudine hominum ad ejus se pedes abijcit, tenet, rogat, supplex efflagitat, in contubernium suscipi, contuente procul Patre, & erubescente, super juvenis cæteroquin gravissimi, & verecundissimi tam insolenti cursu, & ad pedes ignoti hominis abjectione. Animadvertisse statim Vocationis gratiam, vimque ac impulsum vocantis Abbas visus est; præsul cæteroquin fama sanctitatis clarus; & incertum quo responso dimissum, an sequi jussum, constantissimum sane in proposito juvenem deprehendit. Suspecta Patribus Societatis res fuit, ne sive per litteras, sive per intermedias personas, commendata tota urbe & cognita juvenis Virtus, etiam Religiosorum S. Martini animos concitasset, ad hominem quibusounque artibus sibi vendicandum: cujus saluti & ipsi consultum cupierant, & ad magna natum, magnis etiam rebus, in multi sequuturi fructus spem, destinaverant; cùm ille obfirmatissimo animo, omnes alias conditiones à se juxta promissa amplissima reijceret, & à suo, cujus amplexus pedes esset, Domino Abbate abstrahi nulla ratione permitteret; donec delata re ad Episcopum, ipse adesse cum Abbate jussus, attonito super primo intuitu cœleste quid præferenti s Leandri Episcopo, hic in genua provolutus, Vocationem suam, nullo interveniente homine à Numine factam, Pontifici disertè recenseret, & suam in navi extasim, inque hac visionem detegeret. Ita, ut & Episcopus, & Societatis Patres, non minus quam Abbas, Dei in juvene gratiam agnoscerent, & Dei magnalia celebrarent. Ut hinc facilè videas, Numen optimumm hoc vas Electionis Congregationi nostræ Anglicæ, in specialem Apostolatus gratiam, jam tunc designasse & destinasse, quod suo loco dabimus. *Ex relatione ejusdem Congreg. Patrum, & R. P. Rom. Hayo.*

Mirè ad Abbatem S. Martini rapitur.

Suscipitur.

Ad Episcopum defertur.

Vocationis gratiam recitat.

Sic Leandrum (quo enim ante Monachismum dictus sit nomine, ignoramus) Divina disponente, ad Angliæ subsidium providentia, hoc iterum anno, alius è Nostris Præfatæ Congregationis Monachus, Britanniam gloriosâ confessione & pretiosissimi Sanguinis purpura condecorat, Reverendus P. F. Guilelmus Scotus, Nobilitatem Generis, solidissima Generositate, meritis gravissimis, & dignissimâ in asserenda Catholicæ Fidei Veritate constantiâ comprobans, & æternum commendans, post crebros carceres & exilia, ad munus suum Apostolicum, haud impari alacritate, contempto omni vitæ periculo reversus, Londini denique Nonis Junij, in magna corona spectantis populi glorioso Martyrio consummatus. *Ex Hist. Mart. Angl.*

Ven. P. Guilelmus Scotus.

Martyrio coronatur.

Moritur hoc etiam anno insigne Ordinis nostri decus Reverendissimus Pater F. Victorinus, quondam Casinensis Abbas meritissimus, exin Stabiensis, tum Arianensis Ecclesiæ Episcopus, denique inter Assessores Summi Pontificis Episcopos cooptatus, Clementi VIII. & Paulo V. charissimus, cujus superesse, ait Marcus Antonius Scipio noster, quæ scripsit, litteratorum judicio, & confessione, plena doctrinæ, plena sapientiæ & magni ingenij volumina. *Videatur Scipio cit.*

Obijt Victorinus Stabiensis.

Jn Hispanijs claret R. P. F. Ludovicus de Mendoza S. Mariæ de Spina

Ludovicus de Mendoza Mon.

na Monachus ab egregia Vitæ integritate non minus, quàm accuratiore eruditione celebratus, qui tamen ad studia sacrarum litterarum animũ quàm maximè appulit, & Sanctorum Doctorum libris perlegendis se exercuit; ita ut in omnibus perfectus evaderet, erat enim acri ingenio, & ad quidvis apto, quo quascunque quæstiones capiebat. Hic ne posteritas laboris sui fructu fraudaretur, reliquit sequentia:

Vitas Sanctorum, per ordinem mensium, in proprios eorum dies Natalitios distributas. . . . . Tomis 6.

Ingenij monumenta. *Summam Theologiæ Moralis septem arboribus comprehensam.*

Epistolam Symbolicis Characteribus & ingenio plenam ad Philipp. III.

Petrus de Lorca obijt. Moritur hoc eodem anno Petrus de Lorca Congregationis Hispaniæ Reformator Generalis, de quo supra; & Ignatius Firminus de Hibero Nucalensis Cænobij Asceta, Abbas Viteri, Philosophus & Theologus præstantissimus, Mathematicus curiosissimus, imo quasi omniscius, cum nulla ferè esset Liberalium artium, cujus cognitionem non teneret; ita ut omnibus admirationi esset, in uno homine tot, tamque perfectas gratias cùm acquisitas, tùm naturales reperiri. Fuit celebre ejus nomen in Complutensi Universitate, ubi Theologiam publicè professus est, & Durandi Cathedram moderatus. Reliquit præstantia aliquot nobilis ingenij in suis voluminibus specimina, inter magnos magni operis conceptus conatusque, ad præmia æternitatis hoc anno vocatus. *Ex Ang. Manrique Chrysost. Henriq. &c.*

Translatio S. Agricoli. Hoc ipso anno, memorabili plausu Avenionensium summa cum Ordinis gloria & gratulatione solemnissimè elevatur & transfertur corpus sacratissimum S. Agricoli nostri Avenionensis Episcopi & Urbis ejusdem celeberrimi Tutelaris, facta per Reverendissimum & Illustrissimum Dominum Stephanum ejusdem loci Archiepiscopum translatione ad altare majus Metropolitanæ Ecclesiæ, ubi in arcam inclusum argenteam, religiosissimè asservatur & colitur.

IESU CHRISTI ANNUS M.DC.XIII.
Sancti Patris Benedicti M.C.XXXIII.

ITerum stella insignis cœlo Empyreo inseritur magno Cælitum plausu transumpta ex Monasterio Ferrariensi in Hispanijs P. Ambrosius de Herrera. Fuit iste exemplar perfectionis perinsigne, magnis Virtutibus illustrissimus, charitatis in primis in Deum atque proximum, humilitatis de in atque Obedientiæ perfectioris exemplis celeber, cœlestes consolationes inter orandum experiri meritus, easque inter, gravi aliquando morbo oppressus; & lectulo affixus, *Speciosum præ filijs hominum* cœlesti splendore circumdatum, & candidissimo Cisterciensium nostrorum cucullo indutum conspiciens, mirificè recreatus ac prodigiosè restitutus convaluit, postque aliquot dein annos sancto fine, pridiè Calendarum Maij decessit. *Ex Thesauro Mon. Perfect. Chrysost. Henriq. & Menol. nostro.*

Ambrosius de Herrera &c. obijt.

Christus ipsi apparet.

Extinguitur & aliud præstantissimum Regni Galliarum totiusque Ordinis Sydus Maria Senior S. Aniani Comitissa, Junioris Bellovillariensis sanctissima amita, Bellomontensis juxta Turones splendidissimi Virginum Benedictinarum Cænobij dignissima Abbatissa; exemplar absolutissimum omnis perfectionis, ad quod se Junior toties commendata à nobis, per omnia composuit, ita à seniore formata, ut tenellula etiamnum in pœnitentiæ palestram suam ultro devoveret innocentiam, in qua nihil tam arduum, nihil in humilitatis pulvere abjectum & tenue, nihil in obedientiæ aliarumque virtutum schola, adeo præstans & perfectum, quin eadem tenellula Virgo, non exemplo potius Amitæ docta, quam verbis liberrimè amplecteretur. Ad seniorem, etiam jam Abbatissa, Montis creata, in omni necessitate, in omni dubietate animi & anxietate, tanquam ad Oraculum suum confugit, & semper consilium & auxilium, imo solatium animi maximum retulit. Fuit Bellovillariensis Senior Zelatrix Ordinis mirifica, virili prorsus animo fœmina, talis omnino, ut ejus Monasterium, absque exemplo, exemplar alijs Cænobijs fieret, ipsa vivum simulachrum sanctitatis haberetur. Decessit Antistita felicissima hoc anno mense Novembri, cum jam providè Monasterio suo consuluisset, neptim suam vere Illustrissimam Coadiutricem assumendo, quæ etiam tanto promptius

Maria Senior Bellovillariensis Abbat. moritur, junioris amita.

Zelatrix Ordinis mirifica.

in

in sanctissimæ non tam Amitæ, quam veræ Matris locum successit, post longam cum viris sapientissimis & Religiosissimis deliberationem, quod à mortua immortua, quam lugebat inconsolabiliter, non minus quam antea juvandam se crederet, & in hoc quoque mœrore suo consolandam. *Ex Vita Mariæ Bellovillar.*

Succedit Junior.

Floret hoc etiam anno sanctæ memoriæ Venerabilis P. F. Chrysostomus dictus à Conceptione, Vallis Ecclesiarum Monachus, vir omnium scientiarum doctrina instructus, sed super omnia humilitate & patientia probatissimus, qui post longos & multos labores in Ordine fortiter exantlatos, cum aliquando horas Canonicas legeret, & ad eum Versiculum perveniret: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce Hereditas Domini, &c.* se illam intra mensem obtenturum, voce è cœlo lapsâ, apertè, disertè & distinctè audire meruit, & infra terminum prædictum, mira animi dispositione præparatissimus, feliciter in Domino obdormiens, in Regni æterni amplissimam & Augustissimam hæreditatem est introductus decimo sexto Calendas Novembris, quo die anniversaria ejus memoria in Menologio nostro, & Henriquezij habetur.

Chrysost. à Conceptione.

E cœlo edocetur de vitæ termino.

Ipso anno cum Serenissimæ Principes de Longaville & Bouteville, in suum à se superiore anno constructum in Suburbio Parisiensi ad proprias ædes in Villa Episcopi dicta, Monasterium, coloniam Monialium enixè efflagitarent à Mariâ nostrâ Montis Martyrum Abbatissâ, ipsa diu multumque reluctans, etsi jam abundaret eâ functione dignissimis, eo tamen quod incrementum Ordinis & Reformationis concerneret, Dei offensâm verita, certum earumdem numerum concessit, optimis antea monitionibus instructarum, quibus sanctæ memoriæ Margaritam de Arbouse Superiorem præfecit. Margaritam verè incomparabilem, cujus vita universa miraculum Gratiæ Dei fuerit, taliter in ea operantis, ut merito, si saperet, omnis mundi sapientia obstupesceret simul & obmutesceret. Quantis modis detrectarit humillima Virgo, nemo satis explicaverit, effecit tamen Mariæ Bellovillariensis, tantæ auctoritas Abbatissæ, tantaque vis Obedientiæ apud Margaritam, ut sibi factu necessarium crederet, quidquid, etiam impossibile, sua Antistita imperaret. Et verè Margarita erat, quod ipsi ipsimet nomen sæpius arrisit, ut sæpè (non tam suiipsius intuitu, quàm Dei erga pauperculam, & omne miserrimum hominis genus æstimando ultroneum amorem) diceret: Etsi cætera indignissimam, secundùm animam tamen, eam se esse Margaritam, quam ut compararet, Mercator Evangelicus, ipse Christus Dominus, vitam, sanguinem, denique omnia sua non dederit modo, sed benevolentissimè profuderit. Deinde, inquiebat; Margarita flos est humilis, pedibus incedentium attritus, vereque *flos campi*, quo symbolo ei omnimodæ humilitatis studium singulare significabatur. Præterea in margarita candor purpuræ immixtus est: *& talis est*, aiebat, *Dilectus meus candidus & rubicundus electus ex millibus.* Porro caret proprio odore margarita; sed facilè alios omnes concipit, & afflat suavissimè: *ita*, inquiebat, *si amore proprio planè destituar, Virtutibus Sponsi quibuslibet imbui potero, Christique bonus odor esse in omni loco & statu.*

B. Margarita d' Arbous.

Qualis æstimatione Margarita.

Denique quæ semel in Baptismate protestata fuerat ore & voce susceptorum seu Patrinorum, ea ipsa, tanquam à se facta, quotidie per semetipsam repetebat. Sed de miraculo miraculosissimo hujus Christi Sponsæ deinceps sæpius, donec ipsam sepeliamus, quam tamen in mentibus omnium, redivivam, desideramus. *Ex Vita ejusdem Mst. & alia typo expressa, P. F. Amando Tribout, &c*

Miraculum Christi Sponsæ.

In Hibernia miris sanctitatis fulgoribus eluceſcit sanctæ memoriæ P. F. Nicolaus Fagan, Ferrariensis Monachus, inde Monasterij S. Mariæ de Sutrio Abbas, electus demum Episcopus Watterfordiensis, Vir vere Apostolicus, gravissimisque laboribus pro Fide Catholica, & Romanæ Ecclesiæ auctoritate perfunctus. Hic primus ex Hibernia, post oppressam Religionem Catholicam, in Hispaniam veniens Reformatissimæ tunc Cisterciensium nostrorum Congregationi ibidem nomen dedit, eidemque postrema ætate nostra alios inter præstantissimos viros, decus æternum peperit.

Ven. Nicolaus Fagan Mon. Ferrar.

Fit Episcopus Watterfordiensis.

Post

Post annos autem aliquot, denuo missus in patriam Apostolico labore strenue desudavit, pernicioſissimoſque Hæreticorum errores retegere & confutare non desijt. Et vero licet graviſſimis ob id ipſum calamitatibus magis ac magis semper opprimeretur, & infenſiſſimo ab ijſdem exagitaretur odio, Dei tamen Verbum prædicare, SS. Sacramenta administrare, multoſque ad Religionem Catholicam pertrahere, magno animo vir nunquam deſtitit, imo alacrior semper proceſſit, fidelemque Chriſto Domino ſuo, ſanctæque Matri Eccleſiæ comprobavit. Unde multis difficultatibus, multiſque & evidentiſſimis vitæ periculis ſeſe expoſuit, licet semper Dei gratia ad multorum ſalutem conſervatus. In quem aliquando Hæretici, furore & rabie plus quàm diabolicis irruentes, fuſtibus ipſum egregiè dedolarunt. Iterum dum pro Concione aliquando diceret & efficaciſſimis Verbis Fidem Catholicam aſtrueret, Hæreticus quidam ſclopum in eum exploſit, & humerum ejus trajecit, quo licet vulnere pro Voto impiorum non interjerit, magnos tamen inde deinceps dolores ſenſit, & periculosè aliquamdiu decubuit. Quæ omnia ſancto viro magno commodo erant, quod hæc omnia lætus ſufferret, & in Sacrificium Deo conſecraret, & non aliter atque ſumma Dei Beneficia æſtimaret atque acceptaret, intentioniſque ac deſiderij ſui, ad Martyrium pro Chriſto tolerandum, fervorem concitaret. Ut nemo ſatis, ſive ex labore ejuſdem fructum, ſive ex tanta patientia, ſanctâque intentione meritum unius hujus viri Apoſtolici poſſit æſtimare. *Ex Angl. rer. Script.*

Plurima ab Hæreticis patitur.

Verè Martyr habendus.

Verè Vir Apoſtolicus.

Extinguitur hoc anno magnum Ordinis & Superioris Auſtriæ ornamentum Reverendiſſimus Dominus Alexander à Lacu, Hilarienſis primũ, dein Garſtenſis, Cremiphanenſis denique Monaſterij pulcherrimi Abbas de re Catholica optimè meritus, qui magno Religionis Zelo, ſubditos Monaſterij in Hæreſim prolapſos feliciter revocavit, idemque faciendi multis alijs auctor fuit. Idem ſumma rerum gerundarum pollens dexteritate, ad maximorum Principum expetitus Aulas, graviſſimis Legationibus, inſigni boni publici emolumento, feliciſſimè eſt perfunctus. Romæ Paulum V. Pont. Max. ipſe convenit, & graviſſima cum ipſo negotia tractavit. Varia exſtruxit, multa excoluit, magnaſque à Cæſare gratias retulit, immunitates impetravit, ſuis denique omnibus Religioſo vitæ exemplo inſigniter præluxit. Mortuus immortale ſui deſiderium ſuis dereliquit. 19. Maij anni præſentis. *Ex monim. ejuſdem Monaſt. Cremiphan.*

Alexander à Lacu Cremiphan. Abb.

Ejus merita.

Obijt eodem anno ſingulare Sacræ Burſfeldenſis Congregationis Oraculum Reverendiſſimus in Chriſto Pater ac Dominus Joannes Atræus à Kettich celebris Monaſterij de Lacu dicti Diœceſeos Trevirenſis Monachus & Abbas meritiſsimus, Præfatæ Congregationis Præſes doctiſsimus, eruditionis, eloquentiæ & Virtutum omnium laude decantatiſsimus, incredibili totius Monachici Ordinis luctu 26. Maij extinctus. *Ex Monim. ejuſdem Monaſt.*

Joan. Atræus Præſes Burſfeld.

IESU CHRISTI ANNUS S. M. DC.XIV.
Sancti Patris Benedicti. M. C.XXXIV.

ITerum Triumphis Martyrum in cœleſti Hieruſalem inſignem ſubmittit Heroem Ordo noſter, Beatum Thomam Helmium ſive Dunſtallum, poſt rem generoſiſsimè in Anglia geſtam, ad præmia æternitatis vocatum. Hic ex illuſtri Duaceno Apoſtolicæ Confœderationis prodiens Collegio Candidatus in laboribus, anguſtijs & periculis Apoſtolicis, ſexennium ferè in patria exegit, majorem partem perpetua & conſtantiſsima Chriſti, è vinculis & carceribus, confeſsione. Pronunciata demum in eum mortis ſententia, ſigno ſe Sanctæ Crucis communiens: *Benedicta ſit*, inquit, *Sancta Trinitas, atque indiviſa Unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiſcum Miſericordiam ſuam.* Utque adſtabat coram Tribunali, in genua procidens, aliquod temporis ſpatium orationi impendit. Juſſus ad patibulum uſque ad equorum caudas raptari, tum ſuſpendi, mox funè reciſo Semivivus è patibulo deturbari, virilibus, corde, & viſceribus evulſis, ac in accenſum rogum projectis, tum demum capite truncari, & in quatuor partes diſcerpi, *DEO gratias*, reſpondit, *Atqui omnia iſta*, alloquitur Judicem, *Perilluſtris Domine*,

B. Thomas Dunſtallus.

Capitur Deum benedicens pro grata.

mors

mors sunt tantummodo unica, eaque non admodum pertimescenda, quam ego amplector libentissime. Rogatus sub mortem, Jesuita, an Sacerdos esset sæcularis? *Sacerdotem se esse professus est, votum tamen emisisse, modo posset, de nomine in familiam Divi BENEDICTI adscribendo: Cujus*, inquit, *Monachi primi omnium invexerunt in hoc Regnum lumen Fidei; & cujus vos Nomine habetis insignitam* (in urbe scilicet Nordvicensi) *vestræ civitatis portam: illic, quæso vos, resisum à cervicibus caput suspendite.* Quod ut expetierat, postea factum est, tamque illustre Trophæum ac tam charum caput, sanctissimo Patriarchæ nostro, in ejusdem porta suspensum. Spectavit adeo hilariter supplicij instrumenta, & rogum Thomas noster, ut recreari plurimum inde videretur; fuitque ab ipso certaminis tam acris exordio, ad ultimum vitæ spiritum, non modo horror in ipso nullus, sed nec pallor, seu ulla coloris aut vultus immutatio, non manus, non pes, non ulla pars corporis intremuit, nullum nec minimum timoris indicium, sed eamdem constantiam, eamdem oris alacritatem, toto illo tam difficili agone perpetuo conservavit, quod certè stupebant spectatores omnes, frequentissimo numero ad id spectaculi confluentes, minimè bis mille equestris & militaris dignitatis, aut Generosi & Nobiles. Deplorarunt omnes mortem illius, plurimi etiam collachrymati sunt. Neque inventus est, ullus vir, fœmina, aut puer (ita Martyrij ejusdem scriptor asseverat) qui, ut aliàs frequenter Hæreticorum acerbitate factum, verbum ad illum turpe, aut ignominiosum diceret. Passus est, verè generosus, & invictus Christi Martyr, & Sanctissimi Patris nostri & Anglicanæ Congregationis Candidatus octavo Jduum Julij Anni 1614. & sacra ejus membra ad diversas Urbis portas, caput autem, ut supra dictum, ad S. P. N. Benedicti suspensa: cujus indelebilis, in multorum cordibus memoria perseverat. *Ex authentica relatione Martyrij ejusdem, &c.*

Votum ejus de Ord. S. P. N. suscipiendo.

Generositas in extremis.

Martyrio afficitur.

Claruit sub hoc tempus eximia vitæ sanctitate, in Monasterio S. Jacobi Herbipolensi R. F. Gabriel ejusdem loci professus; qui consuetis Religiosæ Vitæ exercitijs ac demandatis sibi functionibus, inusitatum & hoc ævi studium rigorem adjunxerat. Solitus enim fuit integras ferè noctes vigilando, precando, sacrisque meditationibus vacando traducere, ita ut somno nunquam ultra tres horas indulgeret. Abstinentia fuit admirabili, quotidie flagris se acriter cædendo copiosum sanguinem fundebat, ingentis ponderis catena ferrea brachij ferè crassitiem æquante corpus incinxit, quæ catena ad mortem usque gestata ita in carnis interiora, sese immisit, ut profundis immersa sulcis, dimidia ferè sui parte carne obducta fuerit, nemine ejus rei gnaro, nisi solo Antistite, cujus è nutu Gabriel totus pendebat. Asservaturque etiamnum hoc cingulum, tantæ virtutis in testimonium in omnem ætatem futurum. Ipse vero DEI famulus miris cœli favoribus recreatus, dum noctu precibus de more fundendis incumbit, eo loco quo sanctus Macarius Monasterij ejusdem primus Abbas humatus olim fuit, sæpe numero suavissimam Angelorum Musicam percipere meruit, quam rem vehementer admiratus, facile sibi ipsi persuasit altioris negocij indicium esse, ac proinde Abbati detexit, qui quærere ac fodere Gabrielem jussit, spe bona nixus ab ipso S. Macarij corpus reperiundum esse, quod & factum, nam vir pientissimus diligenter observato loco cœpit levare lapides, moxque sacras Macarij reperit exuvias, una cum indubitatæ fidei litteris & testimonijs, elevatione deinceps majori cum auctoritate & reverentia susceptæ sequenti anno, DEO ipso corpus magnis miraculis honorante. *Ex Mich. Haim.*

Ven. Gabriel Asceta Herbipol.

Ipso hoc anno splendoribus Sanctitatis Gallias Italiamque illustrat, *Redivivus Joannes Barrerius*, an potius, alter in altero *BENEDICTUS* sanctæ memoriæ Joannes à sancto Mauro, secundus Admirabilis Fulienſium, nostrorum Vicarius Generalis; vir mortificatissimus; & verè mundo atque carni mortuus, & merito magni à magnis factus, sub quo, ejusdem sanctissimo vitæ exempio, tantopere sese sanctissima Fulienſium Reformatio exporrexit, ut ad confusionem sempiternam delicatorum carnis propriæ servorum & mancipiorum, numerus ultra septuaginta Monasteria sese exporrexerit, eaque inter solum Fulienſe longe

Ven. Joannes à S. Mauro.

longe supra trecentos Religiosos, imo Martyres ultroneos, numeraverit, omnibus singulisque, etiam complexione & natura debillimis, tantum vitæ rigorem, famem, sitim, algorem aliosque cruciatus, tanta patientia, imo animi alacritate sufferentibus, ut nemo non advertere cogeretur, solatia spiritus, & DEI gratiam, majora etiam corporis fulcra & firmamentum esse, quam quidquid ingluvies hominum & luxus, ad robur simul & delicium excogitat usurpatque. *Ex Fuliensium monimentis, Malabayla, &c.*

Rigor vitæ salutaris.

Contemptor horrendæ mortis.

Prodigiosè resuscitat.

Ne vero putes in Europa solum nostra Redivivum sese in suis filijs Redhibere sanctissimum Patrem nostrum BENEDICTUM & in Catholicis tantum & Christianæ fidei addictis regionibus, exemplum mirabile viri sanctissimi ex Ordine nostro afferamus, qui hoc ipso anno glorioſissima morte vitam sanctissimam, inter juratissimos Christi hostes, Turcas nimirum concluſit, illis ipsis & dum viveret, & à morte venerandus. Fuit is Reverendissimus P. D. Joannes Baptista, Abbas Monasterij Van, haud procul ab Alexandria Ægypti siti, Benedictini Ordinis ibidem Abbas ab accolis vulgo Zak, sive Kak (hoc est, Vitulinus) cognominatus; inde nimirum, quod quatriduanum fœrentē vitulū à morte revocasset, cum Turcæ nostris varia contemptum exprobrarent, & pro signo probatæ cœlis & Numini Fidei Christianæ hoc signum exigerent. Non recusavit DEI dilectus, pro Christiani nominis & Numinis gloria: Revixit quàm primum, eo preces fundente, vitulus, in pedes constitit, & ad vaccæ matris ubera cucurrit, stupentibus, qui viderant & audierant, universis & Christianos, maximè Monachos exinde nostros plurimum reverentibus. Nec minus à morte deinceps magnis miraculis & virtutum operatione ac signis claruit in suo supra memorato Cœnobio sepultus, magnis beneficijs non solum Christianorum fruens & accendens pietatem, sed & infidelium necessitatibus condolens quasi, & prodigiosè succurrens. Mirabile illud, quod, dum alijs Turcis DEI magnalia in servo hoc suo deprædicantibus, alius ejusdem sectæ, non tantum calumniari præsumit, sed, salva legentium reverentia, etiam ventris sordes exonerare in tumulum, viscera insimul ejecerit omnia, horrendâ illico morte extinctus: quod scelus detestati ipsi contemptoris parentes & cognati, cum supplices, nescio quid, sancto voverent, in oculis omnium restitutus vitæ est mortuus, integramque illico consequutus sanitatem. Nec unius solummodo viri eo ipso loco, sed pluribus, cum in Ægypto, tum in Arabia, Benedicti Redivivi exemplaria se produnt, uti alias innuemus, & memorabimns, atque utinam in tam remota indaganda sufficeremus. *Ex Arachiale Beglierio Abb. S. Steph. prope Urbem Spaanensem, Constant. Cayet, &c.*

Etiam Ægyptus Benedicto Redivivo animatur.

B. Joannes Bapt. Abbas Vanensis.

Vitulum quatriduo mortuum resuscitat.

Miraculorum gloria.

Secedit hoc anno Bellmontium Maria nostra de Bellavillier, nequid per mortem Amitæ sanctissimæ & vacationem longiorem, siniſtri Cœnobium Illustrissimum pateretur. Incredibile penè est, quo plausu à Monialibus excepta, gaudio non diu duraturo, cum paulo post intelligeret, Mariam Medicæam Galliæ Reginam, ad instantiam Magnatis alicujus Gallici annuisse, ut alterutra Abbatiarum Bellovillarienſi relicta, sive Montis Martyrum, sive Belli-Montis, relicta, alteri crederetur Abbatissæ. Cum autem præfici (inquit Vitæ Auctor, alijs, eâ tantum lege vellet, ut DEO ipsi prodesse magis magisque posset, Abbatiâ Bellmontanâ, jussu & consilio Confessarij cessit, in gratiam neptis suæ, cum ei se vadem prius integritatis morum, prudentiæ & perfectæ observantiæ studij indefessi ejusdem neptis suæ, iterato etiam idem Confessarius præstitisset. Abscessit igitur mœrentibus omnibus & communem parentem deflentibus Bello-Monte Bellvillarienſis, comitante nova Abbatissa nepte sua, quam secum ad Montem Martyrum duxit, ut oculis ipsis testibus intelligens, quomodo Legislatori nostro sanctissimo parendum esset, *redivivæ Sacræ Regulæ* observatione, idemque per biennium experta facilius mores eosdem in Cœnobium suum induceret; quod & efficacissimè intrepida præstitit. *Ex Vita ejusdem Bellvill.*

Ven. Maria de Bellavillare.

Bellum Montem deserit.

Juvanda iterum, more nostrorum Veteri, sacra aliqua familia, & fovenda, memorabili omnino, nunc primum dictæ Bellvillarienſis nostræ merito,

rito, verbis ejusdem Authoris refero: "Vix autè domi consederat, cum mul-"tis rogata precibus, maximè Celsissi-"mi Principis Archiepiscopi Parisiensis, *Sororibus de Pœnitentia eadem est.* "compellitur, ut suppetias Sororibus de "Pœnitentia nuncupatis, Lutetiæ com-"morantibus ferret. Js porro erat ha-"rum Virginum status, ij perditi mo-"res, & publica scandala, ut sola tan-"to vulneri par esset medicina Mont-"martana mater. Concessit igitur in "Reformationem famosæ Domus, de-"lectas in tam arduum & lubricum o-"pus, Moniales aliquot, quas sanctis suis "adhortationibus ita roboravit, ut Du-"ce altera Matre d' Alvaguin (supra "laudata) quam omnibus præfecerat, "innumeris laboribus exantlatis, sola "Dei opitulantis gratia secundante, pe-"riculis omnibus, injurijs, convitijs, in-"sidijs fortiores factæ, antrum illud im-"mane in omnimodè sanctitatis & per-"fectioris observantiæ aram commuta-*Insignis Medicina.* "rent. Jta ut pene incredibile videa-"tur, ab una Christi ancilla tantum præ-"stari potuisse ita, ut quod anteà reper-"erat impurissimum stabulum, serpen-"tibus & aspidibus plenum Monasteri-"um, inde nunc diversissimis locis mit-"teret incomparabilem omni Veneno "tollendo medicinam.

Jn Hispanijs æquè potentem in de-billimis sese ostentat sub hoc tempus Magni gratia Numinis, ut confundat fortia. Verbis Henriquezij de industria *Nova demum Reformatio.* "placet promere. Eodem tempore, in-"quit, Deus mentes Monialium, quæ "Deo dicatæ in Monasterio dicto *Pe-"rales*, Christo inserviebant, excitat, ut "majori fervore suavi Christi jugo "sumpto, S. P. N. Benedicti Regu-"lam, secundum Veterem Cistercien-"sium Patrum rigorem, observarent. "Jncipiebat paulatim Divini Amoris "ignis ille, in Monialiũ cordibus se pro-"dere, ut jam amplius celari non pos-"set, sed illæ mentem Superioribus ex-"ponerent, dicerentq; sibi propositum "esse, quàm maxima possent austerita-"te Regulam, quam professæ erant, re-"jectis superfluis & trepiditate, quam "tempus & fragilitas induxerant, ser-"vare. Patribus visum ante omnia in-*Dei digitus comprobatus.* "quirere, si Spiritus hic verus esset, & "non à muliebri varietate procederet. "Quo facto, reipsa didicerunt, Dei di-"gitum hic esse, & Sanctum Spiritum operari, qui earum Voluntates dirige-ret. Et nolentes tam pias intentiones" remorari, sed potius promovere, om-"nem moverunt lapidem, ut hujusmo-"di Reformatio deduceretur in actum." Utque hoc certius fieret, aliquas Le-"ges dixerunt, quo rigor ille, quem" amplexuræ erant, stabiliretur. Cum-"que undique circumspicerent, cui op-"timè hoc tanti momenti opus comit-"teretur, quique inter tot Congregatio-"nis insignes viros pietate, Zelo, & in-"dustria, idem promoveret; nullus se" potior, quàm R. P. Augustinus Lope-" *Augustinus de Lopez.* "zius, Vallis Bonæ, in Castella Mona-"chus obtulit, quod ejus eruditio, & pru-"dentia omnibus nota essent. Huic er-"go in mandatis datum, ut novas Chri-"sti Discipulas instrueret, & Leges No-"væ Reformationi daret. Obedit ergo," & Deo suggerente, tam abunde Su-"periorum Voluntati, & Sponsarum" Christi menti satisfecit, ut impetrata à" Summo Pontifice earumdem constitu-"tionum confirmatione, novæ hujus vi-"tæ Fundamenta & initia, in Vallisole-"tana primum Urbe (unde & Virorum" Antiquior orta & cognominata Reformatio) & quidem in S. Annæ Cæno-"bio jacerentur. Jn quo nostra ætate" revixit antiquus ille fervor & zelus," quo S. Umbelina Virginum Cisterci-" *S. Umbelinæ imitatio.* "ensium Jnstitutum inchoarat. Earum" habitus, ex viliore materia, quæ in ve-"niri potest, secundum Regulam, clau-"sura incredibilis, silentium perpetuũ," jejunia & mortificationes tales, ut vix" credi queant; & ut paucis multa com-"plectar, Vita Angelica est. Utque to-"ta Hispania hoc fructu potiretur, per-"mittente Deo hoc Jnstitutum proro-"gatur, & per Urbes celebriores, hu-"jus Reformationis excitata Monaste-" *Prolatata amplè Reformatio.* "ria, in quibus plurimæ hujus Jnstituti" Virgines sanctissimæ degunt, quæ Au-"gustini Lopezij nostri Regulas, mag-"na austeritate observant. Hic vero" summæ perfectionis opinione vir ce-"leber, admirabile patientiæ in calcu-"li, ad usque defectum animi, alijsque" infirmitatibus, speculum & exemplar," paulo post, hoc ipso nimirum anno," ad præmia tam utiliter laborantium" vocatus, excessit. *Ex Phœnice revivi-"scente Chrysost. Henriq.*

Moritur eodem ipso anno Vene-rabilis P. F. Laurentius de Zamora, ne- *Laurentius de Zamora moritur.*

scias, Sanctior an Doctior; relictis ingenij summi magnis monimentis, quæ inter magnum omnino & mirificum opus, quod *Monarchiam Mysticam Ecclesiæ*, inscripsit, Epitaphium sequens ipsi positum:

Sermonis sacri conscripta Volumina dicunt:
Non latet in modio, qui latet hoc tumulo.

Conradus Alopitius Mon. Garstensis.

Moritur hoc ipso etiam anno R. P. Conradus Alopitius, celeberrimi Garstensis in Superiore Austria Cœnobij Monachus, Vir Religiosissimus, à Magna Numinis gratia, maxime in liberandis energumenis, & profligandis Cacodæmonibus plurimum celebratus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XV. Sancti Patris Benedicti. M. C. XXXV.

ETiam Romæ in tanto sanctissimi, tanto Eminentissimorum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, tanto Principum Romanorum totiusque Italiæ præsentia, concursu & respectu, Optimum tamen Numen, in minimis æque excellens, ac magnis, quos diligit & à quibus diligitur solidius, major maximis non solum videri vult, (uti est ubivis) sed in suis quoque humillimis servulis, ita se probat omnibus, & conspicuum reddit, ut ima summis non æquiparentur solum, sed absque comparatione ulla, etiam cœli totius contestatione præferantur. Talis hoc ipso anno in oculis DEI, in oculis Romæ, & omnium, qui æqui rerum æstimatores sunt, fuit humillimus, & in oculis suis abjectissimus P. F. Joseph à S. Germano Siculus, vir plane extaticus simulque Angelicus, ex Angelica sodalitate Fuliensium nostrorum. De hoc ita Carolus à S. MARIA: Joseph à S. Germano, Siculus, ab ipso sæculo, doctrina jam, & sanctitate singulari, toti Urbi notus, ad sanctæ Obedientiæ bonum comparandum Congregationem nostram ingressus, plus juvit, quam adjutus est. Obedientiæ silentijque Regularis, cultor præcipuus, paucos annos, in extrema carnis maceratione vixit, continuâ verè Extasi DEO adhærens, reali mortis extasi in DEUM perrexit. Post mortem plurimi de plebe concurrentes, de veste, pilis, unguibus abscissum aliquid detraxerunt, admirantes omnes, quod mortua ipsius caro non rigebat, sed ut viva mollis semper remanebat. *Ex P. Phil. Malabayla, Carolo à S. MARIA, &c.*

F. Joseph à S. Germano.

Totus extaticus.

Vixisse supremum sub hoc ipsum tempus in terris creditur, ut in cœlis viveret, Venerabilis P. F. Bernardus Catalanus, sacrum Institutum nostrum sub Regula S. P. Benedicti, de Calatrava Professus, Admirabilis Matris, Virginis BENEDICTÆ cultu & devotione, verè singularis, qui quo affectu eamdem Cœli imperatricem, Angelorum Reginam coleret, illustri argumento testatum, posteris reliquit, quando nimirum, pro auctoritate majori, & obligatione testatiori, Instrumento publico erecto, exoratis certis Patronis, ejsdem testibus, sese Eidem Virgini perpetuo devovit, & emancupavit. Cujus devotionis Copias, multorum fortè usui salubriter futuras hîc subjcimus:

V. Bernardus Catalanus.

Emancupatio facta Deiparæ.

MARIA Virgo sanctissima, Mater Domini nostri JESU Christi, veri DEI & hominis, Advocata & Protectrix peccatorum: Ego illorum major, & qui magis tuo indiget favore, O pietatis & Misericordiæ Regina, ad pedes tuos provolutus me in perpetuum Tuæ Majestatis servum offero, & humiliter peto, in talem admittas, obtineasque à Filio tuo eam gratiam, quæ ad tibi placendum in omnibus meis cogitationibus, verbis & operibus requiritur, diligendo ex toto corde Divinam Majestatem, quæ cogitavero, locutus vel operatus fuero, vel omisero cogitare, dicere aut operari, ad supremum honoris & gloriæ SS. Trinitatis dirigantur: cui meæ actiones gratæ erunt, si tu Virgo immaculata hanc donationem & oblationem, qua me in perfectum servum tuum offero, digneris admittere. Et precor S. Josephum Sponsum Tuum, Angelum Custodem, S. Bernardum, S. Benedictum, Sanctos Joannem Baptistam & Evangelicum, Vincentium Martyrem & Vincentium Confessorem, Sanctos Guilelmum & Honoratum, Sanctam Annam felicem Matrem tuam, S. Magdalenam, sanctos Apostolos, & omnem Curiam cœlestem, Angelos & Spiritus beatos, velint pro me intercedere, quatenus Tu dignissima DEI Mater, me in perpetuum servum recipias, possimque Te imitari in Voluntatis propriæ resignatione, & profunda humilitate cæterisque Virtutibus, quibus ornata fuisti. Et ut omni tempore constet me tibi ipsum tradidisse, & ad ejus rei per-

Suffragia sanctorum.

perpetuam memoriam, & ut omnes, qui præsentes litteras viderint, sciant me Tuum esse perpetuum famulum, ac Lucifer & omnes Inferni ministri desperent, nullamque partem se in me habituros esse intelligant, hanc chartam propria manu scripsi, meo nomine subsignavi, & armorum meorum sigillo communivi, in Regia Aula Legionensis Urbis, ipsa die Nativitatis Salvatoris nostri, recepto prius ejus Sacratissimo Corpore, Anno 1606. *ætatis meæ* 38. *& omnes Creaturas, ad quas hujus oblationis notitia devenerit, contestor & provoco, ut si (quod DEUS avertat) gravibus meis peccatis id exigentibus à rectâ Virtutum via deviarem, indicent mihi, & memoriæ repræsentent, me non esse meum, idque solum facere, loqui, & cogitare posse, quod gratum sit Angelorum Reginæ Dominæ meæ.*

Contestatio.

Perpetuus MARIÆ Virg. Dominæ meæ Servus F. Bernardus Catalanus
Et Ego indignissimus F. Gabriel tuus.

Subscriptio.

Vitam Bernardus hic, secundùm Ordinis Regulam instituit sanctissimam, sicque sæcularia quibus ex officio intendere debuit, peregit, ut spiritualia, quibus toto animo deditus erat, non omitteret. Puritatem mentis & corporis, quo magis ad Angelicam naturam accederet, summa cura servavit: & post multa pietatis opera ad extrema deveniens, dum jam ultimum traheret spiritum, Beatos Patres BENEDICTUM & Bernardum, sibi adstantes, unum à dextris, alterum à sinistris, ejus manus suaviter sustentantes, eique animum addentes conspexit, quibus ducentibus, corpore solutus in æternam emigravit patriam. *Franciscus de Bivar, Chrysost. Henriq. &c.*

Felicissima mors.

Michael Perez de Heredia.

Extinguitur hoc etiam anno Michael Perez de Heredia, vir multæ experientiæ & eruditionis, Monachum professus in Valle Paradysi, in quo pro meritis etiam Abbas electus fuit, summaque & diligentiâ & prudentiâ locum gubernavit. Eximius fuit Theologus, tantumque concionando profecit, ut inter præcipuos sui temporis Ecclesiastes numeraretur, atque efficacissimè sua eloquentia populum ad Virtutum exercitia & vitiorum fugam excitâret. Utque laboris sui sequutura etiam fruerentur sæcula, scripsit eleganti stylo

Ingenij monimenta.

Quadragesimalium Concionum, Librum 1. *in quarto, apud Viduam de Cusio.*

Concionum de Sanctis Tomum alterum, in quarto Salmanticæ excusum apud Antoniam Ramirez.

De fuga Beatæ MARIÆ Virginis in Ægyptum Librum unum in octava Madriti, & Cæsar-Augustæ.

Jn superiore Germania nostra rursùm insignis flosculus, in Hortos Elysios transponitur die 15. Junij hujus anni, corpusculi deposita sarcina. Hæc Fryburgi Helvetiorum patre senatore nata, Mariæ nomen ex Baptismate tulit, imbecillis natura, ita ut puella etiamnum jam defuncta crederetur, & mensæ cum funeralibus imposita pro funere haberetur, ad sternutationem ancillæ, salutem apprecari audita, vivere deprehensa est. Oculis cum non minus debilis quàm reliquo corpore esset, matri aliquando asseruit, quod si intrare Monasterium permitteretur, & oculorum aciem & integram valetudinem certo esset receptura. Dimissa proin ad Monasterium haud procul Fryburgo Cisterciensium Virginum, paulo post alia difficultate laborare cœpit, cum in cantu addiscendo tardior esset, ita ut ob hoc ipsum dimitti è Monasterio metueret. Quæ cum anxietas aliquando misellam plurimum affligeret, ad imaginem quandam [*Ecce Homo* vocant] sollicite conversa, gratiam Cantus addiscendi confidenter rogavit, audire quam primum sibi visa est, Christum ad se dicentem: *Ita fiet filia & facilè cantum addisces*: quod etiam experta est. Priusquam habitu Novitiarum indueretur, ad parentes pro necessarijs quibusdam dimissa, intepuit in proposito, imo amore tentata sæculi, cùm animadverteret, cum lachrymis Christum affata præsentem quamprimum vidit, & quidem Crucem bajulantem sibique ad portam usque Cænobij præeuntem, monitamque Crucem suam æque ac ipse ferat, ferre. Jn oratione posita, sensit quandoque se per vestem trahi, & circumspiciens, puerulum vidit, toga violacea, manus sibi extendentem, qua expauescente & exclamante, puer disparuit, & ipsa magna se perfundi consolatione sensit. Jnter Officium

V. Maria Fryburg. Monial.

Ecce homo, mirè colit & opem experitur.

Christus ipsi apparet.

Aliotempore iterum.

Divi-

Divinum ferè semper Angelum suum Custodem intueri meruit, adeo præsentem & propinquum, ut ipsi partem sedilis in Choro (stallum vulgò vocant) cederet. Jn Festo Sanctissimæ Trinitatis Regulam S. P. BENEDICTI professa, incredibili animi sui tripudio ipsam SS. Trinitatem Professioni interesse vidit. Bonis & Sanctis Colloquijs ita dedita fuit, ut si profana immiscerentur, nec attenderet, nec audiret. Jn Colloquio aliquando de Beatissima Virgine, ita exarsit, ut secedere in cellulam coacta sit, ubi in extasim rapta Divinam Matrem cum puero in sinu videre meruit. Jejunijs corpus multum attrivit, maximè quando sacram Synaxim erat receptura.

SS. Trinitatis Præsentia.

Per Adventum, & à septuagesima usque ad Pascha, continuo cilicio, & quotidiana disciplina corpus castigabat. Similiter ab Ascensione usque ad Pentecosten. A Paschate autem usque ad Ascensionem, ter solummodo in hebdomade. Nullus præteribat dies, quin speciali aliqua mortificatione se affligeret. Donum lachrymarum quasi continuum habuit. Sanctissimæ Regulæ observantissimam, semper sese comprobavit. Contemplationis studio ita excelluit, ut vix vocaliter orare posset, quin statim in contemplationem reperetur. Tandem per decem menses hectica laborans febri & exhausta, brevi se morituram sentiens, vestibus indui petijt, in quibus esset sepelienda, & in agonia posita voluit in cinere reclinari, super quibus etiam feliciter in Domino requievit hoc ipso anno, juxta Ven. Elisabetham de Castello à Wilelmo Abbate Altæ Ripæ tumulata. Miraculis deinde aliquot ad sepulchrum se prodentibus. Maria etiam soror germana, à Dæmone obsessa solo sororis Rosario collo injecto, brevi est liberata. *Ex Vita per Guilhelmum Abbatem, &c.*

Ejus exercitia per annum.

Mors sanctissima & felicissima.

Miraculis commendatur.

Cùm, ut anno superiore dictum, S. Macarij Abbatis S. Jacobi in Urbe Herbipolitana sacrum corpus ubi requiesceret, Divina revelatione detectum, omnium jam ore celebraretur, Jllmus ac Revmus Princeps Julius Echter à Mespelbruno ejusdem Urbis Episcopus impulsu Numinis hoc anno sacrosancta lipsana è priori tumulo elevata, digniorem in locum, hoc est in templi Chorum maxima cum solemnitate transferenda curavit, ipseque cum incredibili concursu Canonicorum, cleri, populique interfuit, dicente pro concione Eucharo Sangio tunc suffraganeo, populique devotionem mirè concitante, quo factum, ut deinceps singulari omnes ad tantum cœlitem ducti reverentia, devotione & confidentia prodigiosas deinceps gratias & beneficia Divina invocato Divi Macarij suffragio impetrarent. Ea inter mulier caduco morbo miserabiliter adflictata, oblatis binis ad sancti viri corpus cereis, optatam illico sanitatem recepit. Joannes Zacharer homo agricola tantis lacerabatur doloribus, ut tumefacto follis instar capite & ulcerosis cavitatibus excarnificatus, vix capere quidquam cibi nedum labore lucrari posset, sed cum Elevationi prædictæ interesset, & novo Patrono se commendaret, ab omni quam primum ulcere, dolore, tantoque malo liberatus est. Ejusdem rustici uxor, viso tanto miraculo parem imo majorem accepit gratiam, quando & unius oculi cæcitatem, & brachij ulcerosam gangrenam quæ miserum membrum ita depascebatur, ut jam jam abscindendum videretur, salutato S. Macarij tumulo feliciter absterst. Joannes Siel Artium Magister & Dicasterij Provincialis Procurator, lethali correptus febri, cum opem Divi imploraset, salvus & incolumis è lecto surrexit. Petrus Conquet Episcopalis Seminarij Alumnus membris omnibus captus ac debilis voto ad S. Macarium facto, si convalesceret, ejus tumulum venerandi, integram totius corporis obtinuit sanitatem. Obtulerunt etiam votiva dona Divo Macario Jllustris Dominus ab Erthal ejusque Domina conjux Jllmi Principis Julij Episcopi Herbipolensis ex sorore neptis, quod prolem languidam, & emortuo manuum pedumque vigore debilitatam, ac præter hoc, profluente non raro, ex oculis auribus, ore, ac naribus sanguine prope enectam, ope Patroni ejusdem, sospitem integræque sanitati redditam accepissent, ut nihil de alijs miraculis memoremus. *Ex Vita S. Macarij per Michaelem Heim Theologum.*

Elevatio S. Macarij.

Miraculorum gloria.

Insigne beneficium.

Aliud majus.

JESU

IESU CHRISTI ANNUS S. M.DC.XVI.
Sancti Patris Benedicti. M. CXXXVI.

NUNC denique hoc anno sæculi hujus Jllustrissimum Sydus, Vir verè Apostolicus sanctæ memoriæ Candidus, Apostolatus coronam accepturus ad syderea Regna evocatur, cum prius ipsè innumeris beneficijs Angliam & Hyberniam patriam suam, convertendo, confirmando & innumerabiles homines in animo & corpore prodigiosissimè sanando, affecisset, verè Patriæ Pater, verè Apostolus merito, cùm etiam ipse suis confiteri Superioribus coactus sit, non tantum laborando Apostolis paria feciſſe, sed & miracula patrando, sic inter alia ad suum Reverendissimum Abbatem Nucalensem scribit: *Dedit mihi Dominus exiguo, virtutem faciendi signa in populo barbaro, qualia nec Magnis Apostolis leguntur facta, ita, ut in nomine Domini nostri* JESU CHRISTI, *resuscitare à mortuis valeam* (NB) *corpora in pulveres ab annis multis resoluta. Nullus tamen credat, me ob ista, seve ob his similia, parisaciendum Apostolis* (O dignam Monacho perfecto confessionem!) *aut aliquibus perfectis viris, cum exiguus sim, & peccator, & contemptibilis, &c.* Hic proin tantus Vir, cursu nunc vitæ consummato, cum diem obitus sui disertè prædixisset, incredibili fidelium omnium cum luctu, ex hâc corporis mortalitate, ad felicissimam assumptus immortalitatem, æternum cum Martyribus, ad quorum omnium supplicia pro Christo toleranda paratissimus fuit, cumque Apostolis & Angelis, quorum illos Evangelizando ubique, istos candore animi & Virginitatis nitidissima puritate imitando verè Candidus, & rubicundus electus ex millibus fuit, exultat triumphatque. Cujus sacri Corporis exuvias, etiam deinceps DEUS, insigni miraculorum gloria honoravit, ac fidelibus non solum sed & infidelibus, si velint resipiscere, commendavit, sed & varijs revelationibus Gloriam servi sui multis ostendit. Cum autem sepulchrum ejus, incertum qua ex causa, post menses ab obitu aliquot esset reseratum, repertus est Candidus prorsum incorruptus, & tantopere ab omni corruptione alienus, ut admirabili cœlestis odoris fragrantia, omnium nares & animos mirè reficeret & recrearet. Vita excessit 2. Maij Anno Christi 1616. *Ex Vita, Francisco de Bivar & cit.*

B. Candidus Nucalensis ad præmia vocatus.

Mirabile, quod de seipso scribit.

Verè Candidus & rubicundus.

Corpus à morte incorruptum.

Miraculum sæculi hujus & ætatis nostræ singulare prorsus, & nunquam satis deprædicandum sanctæ memoriæ Margarita d' Arbous, Montis Martyrum Monialis, nunc vero Episcopovillensis Monasterij Gubernatrix, sanctissima Bellovillarensis nostræ discipula, cum hoc anno graviter decumberet, nullisque proficientibus humanis remedijs desperata à Medicis esset, inducto super ægram Sancti Petri nostri Cœlestini pallio, statim convaluit. Jnde restituta sibi suisque, cum ad integerrimam sanctissimæ Regulæ observantiam, monialibus à se & Bell-Villarensi instituris, nil porro deesse cerneret, quàm solam à carnibus abstinentiam, in ulteriora semper sese extendens enixissimis precibus apud illam instit, ut eam quoque ad cumulum perfectionis abstinentiam induci pateretur. Annuit, sublimiora semper & ipsa cogitans Bellvillarensis, & quod antea Virginum teneritati parcens, verita ne asperitatibus præmaturis, molles animos, à potioribus & majoris momenti observantijs deterreret, aggredi detrectarat, ad anteriora & ampliora sese extendentibus in dies mentibus, non modo permisit, sed consuluit, sed permovit, sed suasit. Namque libello supplici oblato Domino Archiepiscopo Parisiensi, omniumque subditarum sibi monialium, nominibus subsignato, qui & libens permisit, hac conditione, ut prius duorum annorum spatio vires suarum probaret, mox concessurus quidquid peterent, dummodo vires onus non excederet. Quod & contigit, incredibili sanctimonialium gaudio, ipsius Archipræsulis plausu, sanctorumque inibi quiescentium gratulatione & gratitudine: Namque Jllustrissima quædam Domina, quæ tunc filiam septuennem Bell-Villarensi oblatura, ad Sanctum Montem-Martyrum se contulerat, cum in reditu, rheda ejus in altissimam foveam corruisset, & certo certius ipsam cum filia perimendam imo peremptam tanto casu dolerent, ope sanctorum prodigiosâ, salva & incolumis reperta est; equis ipsis in pedes stantibus, rheda etiam ipsa

B. Margarita d' Arbous, &c.

Mirè sanatur.

Ejusdem rigoris sacri promotio.

Insigne miraculum.

sa prorsus integra & inviolata. Quod miraculum Bell-Villaria nostra, in sanctos Matyres gratissima, multis pietatis actibus, varijsque donarijs exsolvit, utq; decentius,& honorificentius colerentur, Dominæ sorori suæ de Fraxino suasit, in eo loco, ubi DEUM ipsum profuso sanguine nobili Martyrio glorificaverunt, in eorumdem honorem Prioratum constructe, qui educandis & excolendis junioribus in vita spirituali Virginibus deputaretur, & dotaretur. Nec mora, rem toris statim viribus aggreditur Fraxinensis, structoque Prioratûs domicilio, moxque adjunctis regularibus quibusque officinis, etiam Basilicam ipsam ampliorem & augustiorem reddens, pretiosissimis ornamentis, sacraque suppellectili aurea argenteaque locupletat. Ita Martyrum factus celebrior tumulus, diu noctuque Virginum DEUM indefessè collaudantium, cœlesti frequentique Choro consecratur.

Novitiatus insignis.

Quo quidem ipso Maria Abbatissa nostra, totum Galliarum Regnum ipsiusque Metropolim in Glorioſissimo eorumdem Apostolo Dionysio & Socijs immortaliter demeruit, cum prius is ipsus Martyrij locus, infamis & profanatus infandis fornicationibus, duellis, latrocinijs & maleficijs esset, ita ut illic Veneficæ sua solemnia Comitia celebrarent; ita ut quod deformatissimum & tot abominationibus conspurcatissimum erat: Sanctum, Angelicum, Divinum semper ex tunc haberetur. *Ex Vita Mariæ prædictæ & R. P. Amando Tribout.*

S. Dionysij honori consulit Bellovillarensis nostra.

Coronat eodem anno vitam sanctissimo termino Venerabilis F. Dominicus à Puero Jesu dictus, Nucalensis & ipse Monachus, Virtutibus & miraculis illustrissimus. Hic rigidissimus sibi, noctibus singulis corpus suum ad usque sanguinis effusionem immitius flagellavit, Orationi deditissimus, in ea sæpius extra mentem factus, multa cœlestia arcana penetravit. Animabus in Purgatorio detentis sæpius opem tulit, multaque precibus à Domino obtinuit. Solitudinis & silentij amantissimus, ea sibi plurimum boni contulisse animadvertit. Puerum JESUM singulari colebat affectu, cujus sanctissimum nomen semper in corde, in ore dulcissimum, & frequentissimum habuit, ante cujus imaginem, quam in cellulâ suâ devotissimam habuerat, flexis genibus noctes ducebat insomnes, in omnibus suis necessitatibus ad ipsum recurrens, à quo etiam plurima impetravit. Duobus ante mortem mensibus, totus DEI amore succensus, cupere se vehementissimè dissolvi, & esse cum Christo confessus est, & vi amoris raptus, exclamavit: *O si jam ex hâc vita discederem! ô si cursum consummare potuissem!* Jdque Puero JESU, quanta potuit instantia commendavit, qui servi sui paulo post desiderio annuit, & satisfecit. Post duos siquidem menses nulla prorsus infirmitate laborantem, in sanctum resolutum somnum ad gaudia perennia transtulit 12. Sept. hora item diei 12. anni 1616. *Ex Vita.*

Ven. Dominicus à Puero Iesu.

Mira devotio & sancta affectio.

Exauditus pro sua reverentia.

Jterum in augenda Missione Anglicana & Congregatione nova propaganda, & ad utilitatem Regni Britannici amplificanda, insigniter laboratum. Notanda solummodo subscribentium nomenclatura, unde colligas quanti viri, sese pro salute ejusdem Regni in hostiam & sacrificium DEO obtulerint, si ij solum numerandi venirent, qui pro tot alijs soli subscripserant: F. Leander à S. Martino, de cujus mirabili vocatione jam supra, Vicarius Missionis Hispanicæ, SS. Theologiæ Doctor, & in Academia Duacena linguæ sacræ Professor Regius. F. Rudesindus Barlo Presbyter Prior S. Gregorij, dicti R. P. Vicarij Assistens SS. Theol. Doctor & Professor in Collegio S. Gregorij Duaceno. F. Jo-annes Barnesius Doctor in Artibus, pro tempore Missionis nostræ Assistens Superior Benedictinorũ Congreg. Hispan: in Collegio Marchianensi degentium, & in eodem Primarius Professor publicus. F. Thomas Grinæus Presbyter, Collegij Gregoriani Regens SS. Theol. Licentiatus & Professor ejusdem in dicto Collegio. F. Thomas Torquatus Presbyter, & Professor Primarius in Collegio Marchianensi. F. Guilhelmus de S. Martino Presbyter & Collegij S. Gregorij Oeconomus. F. Anselmus Cronderus Presbyter & Subregens in Collegio Marchianensi. F. Franciscus de Onuo Presbyter, Concionator. F. Gregorius Hungatus Presbyter Theologus. F. Bonifacius Wilfrod Presbyter Theologus. F. Thomas

Anglic. in Fid. propag. Congreg. successus.

Moring-

Subscribentium numerus.

"Moringthonus Presbyter Theologus. "F. Robertus de Sancta MARIA Presbyter Theologus. F. Cæleſtinus Trembius Presbyter Theologus. F. Jldephonſus de S. Gregorio Presbyter Theologus & Profeſſor publicus Philoſophiæ in Collegio Marchianenſi. F. "Antonius de S. Guilielmo Philoſophus. "F. Jacobus de S. Gregorio Theologus. "F. Theodatus de S. MARIA Theologus. F. Maurus de S. Joanne Theologus. F. Dunſtanus de S. Joanne Theologus. F. Ambroſius de S. Edvardo "Theologus, &c. *Ex Clem. Reinero.*

Moritur hoc anno eximium Belgij decus Reverendiſſimus Petrus Aimericus Abbas Criſpinienſis lectiſſimus, ſummæ apud Belgij Principes auctoritatis; qui alia inter, digna memoratu, Hiſpanos Cortraci rebelles, magno cum periculo urbis & provinciæ, mirè compeſcuit & coercuit ſumpto Venerabili Sacramento & intrepidè, per mediam legionem ſic transeundo. *Ex monim. Ejuſdem Monaſterij.*

Columbanus Abbas Blandiniensis.

Extinguitur & aliud claru m Belgij Ordinis noſtri lumen, Reverendiſſimus Dn. Columbanus Duraux celeberrimi Blandinienſis Cœnobij Abbas, vir adm. Religioſus, plurimum eruditus & relictis ingenij celeber Monimentis, qui Zelo Religionis ductus, multa utiliter contra Acatholicos ſcripſit, aliaque inter doctiſſimum in Regulam S. P. N. Commentarium. Abbatem hunc Gazæus & Suvertius, meritis proſequuntur laudibus. *Ex Mon. prædicti Cœnob.*

JESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XVII.

Sancti Patris Benedicti. M. C. XXXVII.

Nova S. P. N. Congregatio de Calvaria dicta.

Inter alia lumina, quibus ſanctiſſimus Ordo noſter in Gallia mirabiliter in hiſce ſæculi tenebris effulſit, Nobilis extat Sanctimonialium Divi Patris BENEDICTI Congregatio à Calvaria cognominata, quæ ortum habuit hoc ipſo anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo, primùm in civitate Pictavienſi, Monaſterio ibidem recens conſtructo à Maria Medicæa Galliarum Regina, noſtri Ordinis amantiſſima, quod Calvariæ nomine appellari voluit. Fuit hoc Jnſtitutum ſolemniter à Sede Apoſtolica approbatum, ad inſtantiam Chriſtianiſſimi Galliarum Regis, ejuſdemque Dominæ Matris Mariæ Medicææ Regnum tunc adminiſtrantis repetitam commendationem, idem quamprimum mirificè in dies, quà ſanctitate, quà Monaſteriorum numero, ad ſummum Eccleſiæ decus, Ordiniſque ſplendorem auctum & propagatum.

Scopus ſacri Inſtituti.

Hujus ſanctiſſimi Jnſtituti ſcopus eſt peculiaris: Dolorum cùm internorum, tum externorum Chriſti Domini, ejuſdemque ſanctiſſimæ Matris Virginis, in Calvaria, ad ejus Crucem ſtantis, recordatio doloroſa, & cultus devotiſſimus, idemque perennis & irremiſſus, juxta preces aſſiduas, pro recuperatione terræ ſanctæ, pro ruina Jmperij Mahometici, continuoque Chriſtianæ Religionis inter Turcas, & Jnfideles augmento. Venerantur autem in ſpeciali ejus Jnſtituti lectiſſimæ Virgines, Vitam in Chriſto abditam ſanctiſſimi Patris noſtri BENEDICTI, ſororiſque Ejuſdem ſanctiſſimæ, ut propterea, in ſingulis Monaſterijs, habeatur Cella, in loco quieto, & ab alijs omnibus Monaſterij ædificijs procul diſſito, exſtructa, in Venerationem ſpecus, in qua Sanctiſſimus P. N. Benedictus ſoli Deo notus tamdiu delituit, in qua etiam Cella depicta, vel ſculpta viſatur ejuſdē ſpecus; in quam alternatim ſoroes ingrediantur, ut Exercitijs ſpiritualibus per aliquot dies, omnium aliarum ſtrepitu ſilente curarum, ſolitariè vacent.

Peculiaris S. P. N. Benedicti Veneratio.

Regimen externum, hujuſce Congregationis Auctoritate Apoſtolica confirmatum, tale eſt. Extant tres Superiores, quos Protectores vocant, quibus omnis poteſtas in ſanctimoniales demandatur. Defuncto uno, duo alij ad libitum in ejus locum alium ſufficiunt. Poſſunt Viſitatorem, cui omnia Monaſteria incumbat obire, hi tres deligere. Mos tamen conſuetus is eſt. Omnes Conventus, Superioribus ſimul, aliquem inſinuant, quem illi, ſi probandum duxerint, confirmant. Poteſt ille Viſitator duodecim annis, vel etiam diutius, ut è re Congregationis magis futurus eſſe cognoſcitur, continuari. Primi Superiores hujus Jnſtituti, in Diplomatibus Pontificijs nominati, fuere: Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis de Gondy Henricus, Alberti Franciæ Mareſcalli Ducis Retzij ex Claudia Catharina Clarmontia filius, Archiepiſcopus Pariſienſis; alter Jll.mus Joannes Dauy de Peron Archiepiſcopus Senonenſis;

Primi Superiores.

tius Jll.*mus* Sebastianus Boutillier Episcopus Aquensis.

His suffecti sunt, Jll.*mus* Philippus Cospean Episcopus Nannetensis, postea Lexoviensis: 2. Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Armandus de Richelieu, &c. 3. Jll.*mus* Henricus Ludovicus Chastaignier de la Roche Posey Episcopus Pictavensis, Vir Zelosissimus & Religiosissimus. Quibus omnibus Defunctis, proximis annis eo munere functi sunt, & funguntur Jll.*mi* Episcopi Pictavensis, Corisopitensis, & Vasatensis.

Viri de eadem Congreg. benè merti.

Exercuerunt, ingenti nascentis Congregationis bono & commodo Visitatoris officium; primus Dominus Charpentier notæ probitatis & doctrinæ Sacerdos, Fundator duarum Congregationum Presbyterorum, alterius in Betara, alterius in Valeriano monte ad urbem Lutetiam Parisiorum. 2.*dus* Dominus de Solminiac, Monachus & Abbas Cancellatensis, postea Episcopus Cadurcensis. 3.*tius* Dominus Martineau Doctor Sorbonicus & Canonicus Parisiensis, tandemque Episcopus Vasatensis. 4.*tus* Dominus Gamachæus Doctor item Sorbonicus & Canonicus Parisiensis. Quorum omnium compertissima Virtus rerumque usus, & omnimoda scientia, publico calculo, citra omnem invidiam, celebrantur.

Regimen Congregationis.

Regimen porro internum ejusdem Congregationis hoc est: Deligitur singulis triennijs ab omni Congregatione, è numero Monialium, Superior Generalis, cujus Administratio ad duodecim annos, si suffragia consenserint, prorogari potest. Habet in subsidium consiliumque quatuor Assistentes, ut vocant. In singulis Monasterijs habetur Prioriss una, & Subprioriss, Magistra Novitiorum, & Præfecta Seminarij, quæ recens Professis præsit, ne fervor in illis primi Tyrocinij intepescat. Tenentur Prioriss Generalem de ijs omnibus certiorem facere, quæ alicujus momenti in suis Conventibus contigerint, nihilque eadem inscia moliri. Potest nonnunquam, si res ita tulerit, eadem Superior Generalis, Monasteria Congregationis visitare, quarenus ubique constans, in Disciplina Regulari concentus, uniformiter à singulis observetur. Quæ Prior ab erectione dictæ Congregationis electa est in Superiorem Generalem, fuit Reverenda Mater Gabriela de Lespran- *Gabriela Lespran.* nier à S. BENEDICTO nuncupata, omnibus & naturæ & gratiæ dotibus cumulatissimè ornata.

Industria servorum conservandi.

Altera Reverenda Mater Magdalena à Passione, nobilissimo de Rieux stemmate clara, sed præclararum Virtutum luminibus longè clarior. Quæ cum per duodecim annos, de omnibus optimè merita præfuisset, cessit oneri, ut Congregationis statutis morem gereret. Cui successit: Tertia Reverenda Mater Maria à S. Spiritu, quæ pariter per duodecim annos summa cum laude munere suo perfuncta est. Quarta, idem denuo onus subire coacta est Domina Magdalena à Pas- *V. Magdalena à Passione.* sione, de cujus Encomio suo loco agemus. Communicant omnia, dictæ Congregationis Monasteria, in bonis tum Spiritualibus, tum temporalibus & personalibus, sibi invicem ex charitate opem laturæ in omnibus, juxta Superiorum ordinationes. Omnes hujus Instituti Religiosæ, servant exactissimè severiorem Regulæ S. P. N. BENEDICTI normam. A carnibus perpetuo abstinent, linteis non utuntur, vestes ex rudiore panno contextæ; tunicæ non tinctæ, quibus superinduunt scapularia, & pallia nigri coloris, utpote, quæ cum Beata Maria Virgine Matre Christi Domini in Cruce mor- *Vestitus humilis.* tui exequijs officioso dolore, obsequiosisque lachrymis semper adstant. Profitentur inprimis humilitatem, mundique contemptum. Raro colloquuntur, ab omni sæcularium, quin & propinquorum ipsorum affiniumque contubernio alienæ, Choro nocte diuque addictissimæ, Divinis laudibus decantandis sedulo reverenterque incumbunt. Hujus Instituti mens est, jugis oratio, quam pro Ecclesiæ incremento, Hæreticorum Infideliumque, maximè Turcarum, Conversione, Benedictinique Spiritus in Ordine nostro continua renovatione & amplificatione, enixius ingeminant, & à Numine exorant. Author præcipuus hujus sanctissimi Instituti, nostris fuit, quidam longè amantissimus Magni Religiosorũ omnium Patriarchæ BENEDICTI, ejusque Sanctissimi Ordinis, Venerabilis *P. Joseph à Parisijs Capucinus.* P. Joseph à Parisijs dictus, Ordinis Seraphici PP. Capucinorum, per Galliam

non

non ſolum, ſed toto orbe notiſſimus, qui impenſis pro Chriſtianiſſimorum Regum gloria laboribus innumeris, univerſum Regnum ſibi devinxit, diu in Aula, uti alter Baptiſta verſatus, minor ſemper in oculis ſuis, vel in ipſo quidem honorum omnium culmine. Fuit vir illuminatiſſimus, totus in DEUM amore abſorptus, ac Dominicæ inprimis vitæ ac paſsionis meditatione accenſiſsimus, qui cum tantopere doleret ſacra Chriſti veſtigia, Turcarum indigniſsimis proteri pedibus, nihilque magis quam de recuperatione terræ ſanctæ cogitaret, totis animi votis peroptans, Eccleſiam Catholicam Agni immaculati ſponſam in ipſis Chriſti incunabulis repueraſcere, iterumque adoleſcere in ejus ſepulchro, nec ſtudijs tantis deſiderijſque ſat erat, preces ad DEUM quotidie plurimas fundere, ut vororum Orbi Chriſtiano tam proficuorum compos fieret, ardens ipſius in DEUM charitas, hanc ei cœleſtem ingeſsit induſtriam; ut ſcilicet ſacrarum Virginum aggregaret numeroſiſsimos choros, quæ indefeſſo precum, lachrymarum, jejuniorum omniumque Virtutum impetu, à Domino tantum miſericordiæ Divinæ miraculum, extorquerent. Jam fundaverat primum ſtruxeratque ad mentem & Votum tanti Patris Cœnobium Maria Regina, & percrebeſcente tantæ rei fama, erant Principes urbeſque quibus id inſtituti probabatur ſummopere, prompti omnes, juvare, fovere promovere tam laudabile inſtitutum; de capite ſolum laborabat inſtituendæ Congregationis, venitque in mentem prædicto Patri Joſepho Antoniettam ab Aurelianis nuper fontis Ebraldi Coadjutricem, contemptu tantæ Abbatiæ digniſsimam, ad tam ſanctum Opus exquirere, quæ jam alias rigidius Fuillentinarum profeſſa Inſtitutum, ſanctitatis nomine, tanta Princeps, toto Regno celebrabatur. Uſus ad hanc rem Reginæ ipſius opera, facilè impetravit, cum Antonietta ipſa, R. P. Joſephum ſuper hoc ipſo conſuleret, ipſo qui Author Reginæ erat, diſſimulante, & optatiſſimam hanc illi Regulæ S. P. BENEDICTI ad amuſſim ſervandæ, & latius propagandæ Divinitus oblatam occaſionem perſuaderet. Occurrit proin læta & hilaris, hoc ipſo anno 25. Octobris, ſtipata viginti quatuor Virginibus, ex Lancaſtrienſi Monaſterio, cui præerat, adductis, quas tantæ rei aptiſſimas delegerat. Succedente deinceps feliciſſimè negotio, poſtquam hoc factum à tam ſanctâ Principe (etſi mox altero anno mortuâ) initium; ita ut paulo poſt, ſeptendecim ejuſmodi nobiliſſima Monaſteria conderentur. *R. P. Amandus Tribout.*

Intentio Reformationis.

Primum hujus Inſtituti Cœnobium.

Ven. Antonietta Princ. Aurelianenſis.

Succeſſus rei feliciſſimus.

Extinguitur hoc anno in terris, ut felici illuceſcat æternitate, ſanctæ memoriæ Nicolaus Fagan, de quo ſupra, Watterfordienſis Epiſcopus, magnus & ipſe Anglorum noſtra ætate Apoſtolus, ſanctitatis opinione clariſſimus, incredibili Catholicorum luctu ac mœrore, cujus ſanctitatem aliquot ſignis miraculoſis Dominus comprobavit, & fidelibus commendavit. Fuit DEIPARÆ Virginis longè amantiſſimus, cujus imaginem quandam ſumptibus emendicatis, & collatione fidelium corrogatis, ex Hiſpania advehi curavit, quæ inſignibus deinceps miraculis claruit. Nicolao fideles Hiberni poſito Epitaphio, ſic inter alia parentarunt: *Occidit, heu! juſto deſunt ſua verba dolori*
Occidit eloquij gloria, gentis honos &c.
Hic eſt ille pugil debellatorque profundæ
Noctis, hic Hæreticæ ſæva flagella luis.
Defenſor Patriæ Fidei fortiſſimus, hoſtes
Qui contra manes, civibus Hector erat.
Vita exceſſit octavo Jduum Martij *Chryſoſt. Henriquez, &c.*

V. Nicolaus Fagan Epiſc. Watterford. moritur.

Deiparæ amantiſſimus.

Epitaphium.

Etiam Germania noſtra hoc anno purpurei coloris ſplendidum florem, Hortis Eliſijs ſubmittit, Reverendum Patrem, Joachimum Tabernicium, Cellæ MARIÆ infra Anaſſum fluvium Cœnobitam, virum Religioſum, admodum & eruditum, Parochiam Jnzerſtorffenſem ſollicitè curantem, qui cum pro ſuo munere, & muneris obligatione, nova Acatholicorum dogmata, ſæpius convelleret ac refutaret, hoc ipſo anno undecima Maij ab illis interceptus, tredecim ictibus lethalibus, & duodecim inſuper alijs ſuaciatus atque crudeliter interemptus, ad præmia Martyrum evolavit, cujus animam plures, qui eodem occurrerant Acatholici, & duo qui intervenerant viri Catholici in ſpecie ſplendidiſſimæ Sphæræ & globi rotundi, in cœlum conſcendere contuiti ſunt. Corpus ejus in Eccleſia Parochiali per di-

Joachim Tabernicius

Martyrio conficitur.

Jncorruptio.

es 15. expositum, nullum omnino fœtorem reddidit, imo gratâ elegans rubedine dormientis instar se habuit. Sepultus est tanto post honorificè in sui Monasterij Ecclesia, ejusque memoria in benedictione habetur.

Ven. Maria Vela monial. Abulens.

Jn Hispania felicissima obdormitione requiescit Beatæ memoriæ Maria cognomento Vela Monialis Abulensis, quæ crebris revelationibus Christi Domini & B. MARIÆ Matris Virginis dulci præsentia & colloquio atque cœlestibus assuefacta favoribus post gravissimas infirmitates, intensissimos dolores, varias persecutiones ac dœmonis insidias, quas patienter sustinuit, ac utiliter superavit, Christi amplexu, ac Virgineo lacte, ut olim Mellifluus Bernardus noster, nobilitata, exultans migravit ad sponsum, hoc ipso anno octavo Cal. Oct. *Michael Vaguerius, Aubert. Miræus, Henriq.*

Virgineo lacte pasta.

Prima initiat hoc ipso anno Calvariæ Congregationem & Monasterium Pictaviense, non compatiendo solum Christo, sed commoriendo, Venerabilis Mater Morizeta à S. Virgine, quæ diu Colici morbi vehementia cruciata, sola Beatissimæ Matris Virginis inclamatione levabatur. Hæc doloribus confixa Cruci Domini sui, digna Calvariæ hostia, inclamans: *Sancta Virgo propitiare mihi*, in Domino obdormivit 27. Decembris; cujus Vita, Virtutū omnium, sed inprimis pœnitentiæ assiduæ, contemptus mundanorum omnium, solitudinis, silentij, obedientiæ absolutissimum exemplar fuit. *Ex Vita Antonietta Aurel.*

Ven. Morizeta à sancta Virgine.

Extinguitur hoc ipso anno illustre admodum familiæ nostræ Montis Oliveti sydus, etsi ex humili Fratrum Conversorum statu, inter lectiores tamen DEIparæ domesticos Ven. F. Franciscus Castellius patria Veronensis, Patre Hieronymo natus, à puero pietati addictissimus, & ob hanc ipsam Reverendissimo Bartholomæo Abbati S. M. V. de Organo commendatissimus, & Ordinem ingredi persuasus, interque conversos admissus ibidem per annos quatuor pistoriam artem laudabiliter exercuit. Jnde Sacrista factus, dum eximio innocentiæ & Virginitatis studio ab omni contuitu muliebri nimium metueret, cum eremicolis nostris agere expetens, ad Reformatos nostros Ruani cum licentia secessit. Sed Veronam repetens, suumque Abbatem conveniens: *Me*, inquit, *Sanctissima Virgo Mont-Olivetum accersit.* Unde Præside Generali exorato, nihil præter vestem qua induebatur eo secum deferens, ad servitia suæ Dominæ & Patronæ concessit, & annos septem supra quadraginta eidem devotissimè & sanctissimè ibidem inservijt, hoc anno ad præmia fidelissimi servitij evocatus, de cujus mirabili sanctitate multa narrantur. *Ex Secundo Lancellotto aliisque.*

Ven. Franciscus Castellius.

A Deipara expetitur.

IESU CHRISTI ANNUS M.DC.XVIII. Sancti Patris Benedicti M.C.XXXVIII.

LUgubris toti Galliarum Regno hic annus, plausibilis cœlo, honorificus Ordini nostro universo, glorioso, etsi præmaturo obitu, sanctissimæ novæ Congregationis Jnstitutricis, sereniissimæ Antoniettæ de Orleans, Regij Generis præstantiâ inclytæ, sed omnino Virtutum genere longè illustrioris. Parentes habuit Eleonorum de Orleans Ducem de Longeville, Matrem Mariam Borboniam Regiæ utrumque stirpis, ipsoque ex sancti Ludovici sanguine. Jpsam infantulam etiamnum DEO desponderant, acceptante votum Numine, & in puellula suam mirè gratiam prodente, etsi immemores Voti parentes, eam quantumvis obnitentem, sæculo addicerent. Angelum dixisses, cui DEUS solus, soli rerum omnium vice foret, Deliciarum, oblectamentorum, Divitiarum, honorum loco, solitudinem diligenti, cui gratius nihil, quam sola solius DEI & Sponsi contubernio in oratione perfrui. Nubere nihilominus coacta, maritum accepit Carolum de Gondi Marchionem de Bella Jnsula, sexdecim annos natum. Vixit in matrimonio ut Monialis, & in Aula, ut sancta. Certè miraculum Aulæ fuit. Vigesimo septimo ætatis anno vidua relicta mundum calcavit, cum ei undique divitijs, honoribus, & voluptatibus blandiretur, tanta Nobilis Animi sacra pertinacia, ut nec amore charissimorum liberorum, quorum adhuc tenerrima ætas, nec benevolentia Reginarum, quibus in delicijs erat, nec omnibus applaudentis Aulæ Lenocinijs, quæ sibi suum solem abesse querebatur, à cœpto non flecti modo, sed

Obitus Ven. Antonietta Principis Aurelian.

Ejus parentes.

Nubere cogitur paulo post viduat.

sed nec punctum temporis retardari pateretur. Jnscijs igitur propinquis omnibus, neque salutatis Rege, Reginisque aula abscessit, clamque Tolosam per invia paucis stipata domesticis se recepit, dimissisque omnibus ejus Civitatis Fuillentinarum ingressa Cœnobium ad amussim Regulæ reformatum, recens exstructum, rerum omnium voluntaria penuria locuples, severiore disciplina & instituti rigore alijs horribile visum, sese abdidit. Cumque certa esset, quantopere maximi Principes, ipsam inde retractã vellent, statim ipsa Clementi VIII. rerum tunc in Urbe & Orbe potienti scripsit, quatenus sese Paternæ ejus Clientelæ fiducialiter committentem, Apostolica auctoritate contra omnes Principum & consanguineorum congeminatas interminationes & insultus, tueri dignaretur, quippe quæ soli DEO vivere invitis omnibus & posset, & vellet. Probavit & laudavit generosæ indolis constantiam Pontifex, Apostolicamque ei benedictionem impertiens, spopondit se litteras Nuncio suo in Regno Galliæ quamprimum daturum, quibus eam & Regi, & alijs omnibus suo nomine commendaret. Religiosi tyrocinij annuum cursum exegit, tanta virtutum omnium siti, eminentissimæq; sanctitatis pressa fame, ut emeritis ipsis esset admirationi. Angebatur penè ad mortem, si aliam a vitæ Nobilitatis rationem haberent Superiores, quàm ut eam abjectissimis quibusvis exercitijs perpetuo manciparent. Rogabat plerumque eas enixius, profusis interdum lachrymis, ut ingenitum Nobilibus tumorem, ingeminatis publicè & privatim injurijs comprimerent, vilissimum mancipium repetitis satiarent opprobrijs. Jn Novitiatu non aliter Princeps agnoscebatur, quam quod cæteris omnibus abjectiore præluceret humilitate, modestia præcellentiori, tantóque paupertatis, pœnitentiæque Zelo arderet, ut miranda potius quam imitanda in hisce Virtutibus videretur. Vestium, non pompæ quidem, sed verecundæ concinnitatis, natura ipsa studiosissima erat, & præ corporis teneritudine tam delicata, ut lautissimas ipsas dapes innato fastidio aversaretur; sibi tamen vim tantam intulit, ut rudiore amictu, ipsoque sordido, sæpe & lacero, gloriabunda; prægustatis à felibus epularum quisquilijs opiparè vesceretur; subijciens gemebunda, ad propriam vilitatem pinguius haberi quàm mereretur, sordium omnium vas abjectissimum. Nudis incubans asseribus, somno brevi haud reficiebatur, sed cruciabatur: pulvinar, subjectus tenero capiti stipes ligneus, tamque indefessa oratio quam jejunium. Professionem emisit summa cum corporis alacritate & Zelantis animi æstu incredibili. Professa, generosam mentem nihil infregit, imo auxit, corroboravit, novisque gratiarum cumulis indies ferventior, humilior, subjectior; copiosissimè locupletavit virtutum omnium augmentis. Quare ut virtus soli haud abimilis, nulla alia face, quam suomet indito splendore indiget, ut splendeat, quantâ se Antonietta arte, & industriâ abdere, ab omnibus nesciri & pro nihilo haberi conabatur, tanto Deus ipse digniorem ostentabat, copiosissima gratiarum & naturæ dona, publica adeo luce omnibus patescebant, ut paulo post in Superiorem Pictaviensis Conventus communi calculo electa sit. Luctata diu ejus Humilitas cum delato honore, non prius cessit, quam audiret à Confessarijs, gravi se constringendam scelere, nisi sororum delectui, imo Divinæ præordinationi humiliter obtemperaret. Hæc ex Vitæ scriptore, pro ipsâ simplicitatis Veneratione. Cætera brevius prosequamur. Jnde perspecta ejus utilitate & sanctitate Coadiutrix ab Eleonora Borbonia Henrici IV. amita Fontis Ebraldi, eóque nomine Congregationis nostræ Abbatissæ & Generalis Præsidis expetita, Apostolica etiam atque Regia auctoritate confirmata, cum deprecatorias supplices Pontifici mitteret, dato quamprimum altero Brevi, parere illico & obedire nolens volens jussa est. Obedijt, & hoc etiam loco pro exemplari Virtutum omnium non solum, sed pro miraculo fuit. Sed matertera extincta in neptis tam sanctæ ulnis, cum nemo non succedere vellet, & successuram crederet, præoccupans Pontificis, Regis, Reginæque animos, persuasit denique, ut aliam quàm ipsam eligi paterentur. Sibi proin, solique relicta Numini, Lencastrum desertum in Girunda

A seculo illam se abripit.

Vitæ rigor.

Professionem emittit.

Fit Superior multum obluctans.

Novitiatus ejus.

Princeps omnium animi demissione.

Fit Coadiutrix in Fonte Ebraldi.

runda locum secessit, ubi cum aliquamdiu sanctè ageret, ejusque locis Monialibus exemplo plurimum prodesset, pia arte R. P. Josephi Capucini, ut superiore diximus anno, inducta est ut *Fit Calvariensis Congreg. Generalis.* præcipua Calvariæ Institutrix & Generalis esse acquiesceret. Effloruit tanta sub Gubernatrice tantopere nova hæc Divi Benedicti familia, ut toto Galliarum Regno fama mox dilatata, Regem Principumque animos mirè afficeret, summæ Nobilitatis Virgines, Antoniettæ subesse cuperent, cœlo jam adscriptas putarent, dummodo ab illa susceptæ impetrassent. Et revera collegit Congregationem Christi lectissimarum Sponsarum, Virginum non tam Benedictinarum nomine, quam re ipsa Benedictarum. At verè ad Calvariam collectarum, ut quarum mox plures, vix addito hoc Calvariæ & pœnitentiæ exercitio, optimum Numen non ad Crucem solum, sed mortem ipsam gravissima inter tormenta obeundam, evocaverit; summo non Antoniettæ solum, sed Reginæ Ipsius dolore, quæ ipsas non aliter, quam filias suas appellabat; nec immerito, cum lugeret utraque: quod nascentis primum Instituti fulcra, virtutum omnium cumulo, naturæque doribus præcellentissimis præditas, columnas & Bases futuras, sibi Sponsus Virginum adjunxisset; nec fato aliquo communi, sed iliorum doloribus continuis dies noctesque intensissimis; quibus nulla proficeret cura medicorum; quo morbo sex illarum decessere. Septimam agere ipsa debuit Antonietta, uti in filiorum martyrum morte conduplicata Martyr sancta Felicitas, ita Aurelianensis in filiarum. Dissimulavit aliquamdiu atrocissimos cruciatus, ne incœptum pœnitentis vitæ durissimum Martyrium novo Martyrio prosequi, à delicatulâ (sic appellabat) sororum charitate prohiberetur. Vicit tamen denique morbi vis, ut tantopere exorata Medicum accersiri toleraret, mox iterum dimissum sumpto unico, eo consulente, medicamento. Duriter se habuit etiam in suprema infirmitate, & ægrè tot lachrymis suarum & precibus annuit, ut sibi in nudis cubanti asseribus, vile substerni sagum pateretur, seque detrito panniculo operiri; nec remedia, solatia & subsidia alia admittere consensit, quam si ex sola charitate, & pauperculæ in eleemosynam exhiberentur. Rogans Confessarium, suo nomine veniam rogare à sororibus, ipso recusante, ipsamet deprecata est, tanto pœnitentis spiritus dolore, tanta animi demissione, verborum pondere, ut merito omnium corda rumperentur. Obstupuit inprimis Confessarius, ad inauditam tantæ Principis animi demissionem, indeque primum didicisse anteactæ vitæ dolore casus, palam professus est, ubi animadvertit Antoniettam Aurelianensem, adeo conspicuum sanctitatis Sacrarium, vitæ Monasticæ decus, pœnitentiæ ipsius cum singulari innocentia vivum spiransque simulachrum, tanto suimet fastidio aspernari omnia, ut ipsa humilitas haud demissius & sapere & loqui posset. Cum autem anima ei defecisset præ dolorum acerbitate, & jam jamque moritura crederetur, sacro oleo inuncta est, verum reparatis nonnihil viribus, SS. Sponsi amantissimi corpus in æternitatis Viaticum enixissimè postulavit, lectuloque immota considens, gravissimis licet divexata cruciatibus per sesquihoræ solidum spatium tanto hospiti recipiendo animum paravit, & sacrum pectus; tantumque etiam temporis, stupentibus omnibus, in gratijs agendis singulari cum modestia, veneratione, fervore, alto arcanoque silentio consumpsit. Divina tum maximè patiebatur, cum post acceptam salutarem orbis victimam, tota in amorem sponsi dilectissimi effusa mens extra se rapta, ad aurem cordis colloquentem audiebat, sibi ea omnia, quæ non licet homini loqui, solita benignitate, sed rara munificentia præstantem. Pactis brevibus cum ægritudinis vehementissima vi inducijs, Generalem sceleste simæ vitæ (sic loquebatur ipsa) exomologesim teneriori innocentiæ necessariam ducens, dimissis omnibus, peccata levissima (melius perficiendas Virtutes Confessarius dixit) eo cordis intimo dolore, eo lachrymarum imbre, eo delicatæ conscientiæ angore, & distincta cujusvis vel minutulæ circumstantiæ expressione exposuit, ut miratus idem innocentiam Angelicam cum tanto mœrore & luctu, sapienter scripserit, brevi ipsas Inferorum fau-

Multas suarum Virginum mortuas luget.

Ipsa morbo eodem corripitur.

Ejus suprema culparum deprecatio.

Sacro oleo inungitur.

Generalis ejus confessio.

ces

ces occludendas, si vel minimum absolutæ adeo contritionis gradum haberent sceleratissimi quivis, & hanc Nobilis Dei famulæ Confessionem dicendam potius Canticum laudis, magnificumque Divinæ Majestatis encomium, quàm actum pœnitentiæ; Angelos ipsos cœlestem illam cantilenam jubilantis animæ attentius & alacrius auscultasse, atque ad tam sancta peccata exultasse; sibique duntaxat ad memoriam revocandam esse eamdem Confessionem, quò ad Regulæ observantiam, ad vitandos quosliber defectus, perfectumque virtutum omnium studium, ea sola recordatione, totus efferuesceret. Sæculares Principes, consanguineos, nec proprium quidem filium Ducem Retium pro benedictione accipienda admittere voluit, Deo jam omnes commendasse, ab ipso petendam benedictionem. Cum autem intimis vel maximè cruciaretur acerbissimorum dolorum repetitis aculeis Regulam Sancti Patris Benedicti sibi prælegi curavit, supremúmque spiritum penè agens, oravit supplex, ut caput de Humilitate ejusdem SS. Regulæ legeretur, hanc unam rata sibi in præsentissimum firmissimumque contra dæmones fore subsidium, nec mori se posse quietius, quam inter ipsas officiosissimæ Virtutis charissimas manus, quæ eo ad cor saperet dulcius, quod *Benedictina*, & de spiritu *Benedictinarum*, Sanctissimo Parente pullularet. Hæc prolixius ex ipsomet vitæ scriptore, pro multorum excitatione & animatione. ut & hæc postrema, multis alijs omissis: Interim ab universa Gallicana Ecclesia, sine intermissione ad Deum oratio fiebat pro ea, maximè ab amantissimis sui Jnstituti Alumnis. Verum ad tot preces, ad tot fletus, tot suspiria obsurdescente cœlo; ipso die Festo S. Marci cum Litaniæ Beatæ Virginis, quarum ipsamet Antonietta aliquot versus (utpote quæ cygni instar Deo sanctissimæque Matri occinens moreretur) sola decantaret, recitarentur; charitate vulnerata, doloribus confecta, innumerisque virtutum monimentis prædives, in cœlum, tot laborum bonorumque operum copiosissimam messem collectura evolavit, anno 1618. ætatis 47. claruit à morte multis miraculis, ipsa miraculum maximum nostræ ætatis, Regiæ familiæ splendor, Ordinis Jubar, singulare Catholicæ Ecclesiæ Ornamentum.

Miranda prorsus cordis compunctio.

Regula S. P. N. omnium dolorum solatium.

Quanti fecerit se esse Benedictinam?

Felicissima in Domino obdormitio.

Comitatæ eodem anno optimam Matrem sunt, præter tres alias, nobis à nomine minus cognitas, Venerabilis Mater Anna Doxan, quæ dum sacro inungeretur oleo, morti jam proxima, per animi fortitudinem superior, altiori voce & consonantiori super omnes ad singula respondebat, ut de ea id fas sit dicere, quod de amantissimo Sponso, quod *clamans expiravit*: Hæc autem adeo manifesta salutis signa edidit, ut ab omnibus *Anna de Paradyso* dicta sit: Altera, Maria de Gouleſne cognominata ab Angelis imò ipsa Angelus, quæ proximam Angelis semper vitã duxerit. Facta hæc in agonia prolixius orabat; auditaque est ab omnibus cum dæmone colluctari diutissimè, verum protrito hoste, multaque præclara de æternitate felici referens, spiritu ebria, felicissimè hoc ipso quoque anno decessit. *Ex Vita Antonietta.*

Ven. Anna Doxan.

Ven. Maria de Gouleſne.

Etiam Germania nostra Jnferior floſculum insignem lilijs Gallicis incœlo jungit, Venerabilem Margaritam Duyterhelst Monialem Vallis Rosarum prope Mechliniam, quæ à vanitate sæculi ad Deum conversa, humilitatis operibus, Religiosæ perfectionis studio & meditationi continuæ se totam addixit: sic ut quandoque extases experta fuerit, atque cœlorum Augustæ frui præsentia meruerit. Claruit Spiritu Prophetico; signis etiam & Virtutibus admiranda, pijssimè, ante Abbatissam, quæ simul ægra decumbebat, & usum linguæ perdiderat, uti prædixerat, decessit, atque ut promiserat, loquenti facultatem eidem à Numine obtinuit. Obijt 15. Maij. *Arnoldus de Raisse, &c. Chryſost. Henr.*

Ven. Margarita Duyterhelst.

Jpso anno prodigiosissimæ vitæ & virtutis, mirabilis illa sanctissimæ memoriæ Virgo Margarita nostra de Arbous, Monialis Montis Martyrum, Abbatissa Vallis Gratiæ designatur, invita admodum reluctansque, ita ut præmœrore in morbum incideret; coacta tamen inaugurata solemniter est ipso Natali die SS. Patriachæ nostri à Carolo Lugdunensi Archiepiscopo: quæ cum nocte in conclave duceretur peristromatis ornatum, lecto culcitris holosericis acu pictis & intertextis strato,

Ven. Margarita d' bous fit Abb. Vallis Gratiæ.

ſtrato, petita quamprimum ſcala, parietes nudavit, & lecti ornatum omnem procul amolita eſt, ipſa mox ſpeculum ſe probans omnis perfectionis. *Ex Vita per Jacobum Ferraige, &c.*

Ven. Martinus Abbas.

Superſtes etiamnum hoc anno (incertum nobis quando extinctus) ſummæ Sanctimoniæ vir Martinus Abbas Monaſterij Barac in Ægypto, B. Joannis, de quo ſupra, ſucceſſor, admirabili vitæ ſanctitate omnium virtutum ſplendore emicuit, magnis à Numine miraculis commendatus, quæ inter occaſionem nactus Fidei Chriſtianæ aſſerendæ in oculis infidelium Turcarum, piſces ad ignem aſſatos, ſuis ad DEUM fuſis precibus vitæ reſtituit. *Ex Conſtant. Caietano, &c. Marcheſio, &c.* Ut nunquam ſatis, tanto poſt, & quidem inter juratiſſimos Chriſti hoſtes DEI gratiam in Benedicto Redivivo admiremur & celebremus.

Virmiraculis clariſſimus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XIX.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XXXIX.

Congregationis Calvariæ irreuiſſum ſacri fervoris ſtudium.

NECUM VITA extinctam putes Noſtrârum Calvariæ Monialium ſublimiorem vitæ rationem, & conceptum ſemel, concitante Antonietta noſtra Aurelianenſi, ſanctioris propoſiti fervorem, audiamus Religioſiſſimum vitæ Scriptorem: *Ubi primum è vivis exceſſit* (Antonietta) *inditum cœlitus inſuetum animabus robur expertæ dilectiſſimæ filiæ, quo adverſus quoſcunque inſultus, incrediliter firmabantur, inchoatam & præſcriptam à piiſſima parente vitæ ſeverioris rationem, & maximè ſacta Congregationis, in Humilitate, Patientia, Obedientia, Pœnitentia, arduiſque quibuſcunque Virtutibus fundamenta, invitis omnibus, DEO opitulante, inconcuſſo ſtudio proſequuturæ, ut vel hinc jure dicendum videatur, Antoniettam Phœnicem eſſe imitatam, quæ etiam poſt funus, imo ex funere mater ſit, &c.* Certè excrevit quam primùm longè latéque ſanctiſſimum hoc Inſtitutum, quod Regi, Reginæ, cunctiſque Regni proceribus tantopere arriſit, ut multa quam primum in nobiliſſimis quibuſque Urbibus pro iiſdem Monialibus Monaſteria conſtruerentur, & ipſa Regis Mater, ut eaſdem ſemper ſecum habere poſſet, in ipſo ſuo ſplendidiſſimo Palatio, quod ipſa ſibi Regio apparatu immenſis impenſis, in ipſa Urbe Regia Pariſienſi Regio apparatu conſtrui fecerat, etiam ipſis Calvarienſibus Monialibus, Magnificum Cœnobium & ædificari, & dignâ ſe magnificentiâ dotari curaverit. *Ex præfato Scriptore.*

Patriâ paſſim ſtruuntur Cœnobia.

Inſatiabile cœli ipſius erga illa ſydera deſiderium, quæ ſe digniora quàm terris, certius & intimius novit, quàm mortales expenderint, iterum novam ſtellam terris eripit, ut pro dignitate collocet. Fuit hæc Gabriela ab Herya, S. Petri Remenſis Virginum Monaſterij Monialis abſolutiſſimæ perfectionis. Hæc obſervantiæ Regularis & columen & ſpirans effigies per totam vitam effulſit, per undecim annos, quibus Majoris Prioriſſæ munus & partes dexterrimè explevit, ſemel duntaxat Matutinis [quorum ut plurimum ipſa ſignum dabat] quæque tunc hora noctis duodecima cantabantur, incertum qua ex cauſa, ſufficiente tamen procul dubio, deſuit; ita Choro & Divinis laudibus affixa, ut templi columna ab omnibus diceretur, nec addicta minus, orationi, ſolitudini & ſilentio, continuo vacabat. Denique nihil Gabriela demiſsius, omnibus non ſuperfluis modo, ſed ipſis prorſus neceſſarijs, DEO ſolo contenta, carebat; ea nihilominus in omnes charitate, ut omnia omnibus eſſet, vera pauperum, & miſerorum Mater ac Portus, omnibus amantiſsimæ pietatis viſcera, tanto ſtudio pandens, ut abſtinentia Gabrielæ facta ſit quotidiana pauperum refectio, parte ſola juſculi ſibi ſervata, cætera omnia in egenorum conferret ſubſidium, maximè Sacerdotum Anglorum, qui tunc propter fidem exulabant. Hæc inops planè in terris niſi Virtutum omnium opibus & dotibus abundans & locuples, ad cæleſtes poſſidendos theſauros hoc anno ad cœlos evocata, terrena deſeruit, ut ſummo Bono illic frueretur. *Ex monim. Cœnobij S. Petri Remenſis, Amando Tribout, &c.*

V. Gabriela ab Herya.

Egenorum Suſtentatrix.

Jn Hiſpanijs enitet magna perfectionis integritate Reverendus Pater F. Placidus de Luzuriaga Monachus & Abbas Ferrarienſis laudatiſsimi è ſanctitate Religioſorum Cœnobij, qui cum triginta, & amplius, annis, tam huic, quam alijs Cœnobijs ſanctiſsimè præfuiſſet, mortem ſuam Divinitus prævidens, & Monachis prædicens, tandem ad extrema devenit, conſpectoque

Placidus de Luzuriaga.

que Sancto Roberto, cui præ cæteris cœlitibus devotior, an similior erat, cum alijs Ordinis Sanctis è cœlo sibi occurrentibus atque adstantibus, dulciter canens, felicem efflavit animam, cum sacrum corpus, post aliquot annos ab obitu, incorruptum, & cœlestem aspirans odoris fragrantiam, repertum est. *Ejus obitus dies ad sextum Iduum Novembris in Calendarijs seu Menologio nostro habetur & in Chrysost. Henriquez.*

Moritur in occursu cœlitum.

Romam occurrit hoc anno insignis quidam nostri Ordinis ex Persida Præsul nomine Arachiel Beglierius, Abbas S. Stephani Ordinis S. P. N. Benedicti prope Urbem Spaanensem, Patriarchæ Armenij Hierosolymitani ad Sedem Apostolicam Legatus, qui multa & mira de Ordine nostro etiamnum per utramque diffuso Armeniam retulit, & de strictissima eorumdem disciplina, ut qui non à carnibus solum perpetuo abstineant, sed à piscibus in Quadragesima ipsa, solis leguminibus, herbis, pane, sale & aqua contenti, nunquam vinum nisi in SS. Sacrificio gustantes. Ex his suo tempore ejus nationis Armenæ nobilissimi seliguntur Patriarchæ Hierosolymitani, è quibus superioribus annis fuere: Andreas qui 40. annis, David qui 60. & Gregorius qui hoc anno 1619. vicesimum rigiminis annum tenuit. *Ex Marchesio Cajet.*

Legatus ad Rom. Pont. Arachiel Abbas.

Nostrorum in Armenia Rigor.

Claret hoc ipso tempore, aliud quoque institutum sub Regula & Directione Patrum Benedictinorum, Tertiariorum & Tertiariarum, sive tertij Ordinis S. P. N. Benedicti, è quo hoc ipso anno cœlis immigrat Venerabilis Soror Catharina cognomento Poëta, admirabili prorsus sanctitate mulier, quæ anno Christi 1575. in Sicilia prope Montem Regalem nata, Nicolao Poëta patre, matre Cassandra Testavirdia, puellula etiam, magna semper futuræ sanctitatis signa edidit. Hæc cum in festo S. Catharinæ Virg. & Mart. in Cathedrali Ecclesia dicti Montis oraret, Rosarium, pro statu vitæ eligendo, Christum in Throno magnifico intuetur, ipsique fornacem ardentem digito indigitantem, & comminantem, si delicias sequi velit, fore autem gratam sibi sponsam, si Vitam Religiosam vivere velit, proin regressa plena lachrymarum, Virginitatem servare statuit, & se tertio Ordini S. P. Benedicti devovere; passa parentes proposito plurimum adversantes, donec denique sua constantia triumpharet. Fuit vita per omnia sanctissima. cujus acta Venetijs ad S. Nicolai accepimus & perdidisse lamentamur, omnia ex informatione solemnium testium petita.

Tertiarij Ordinis S. P. N. Benedicti.

Ven. Catharina cognomento Poeta.

Jn Gallias revertimur, quâ nulla fertilior nostrâ & superâ ætate est & fuit Sanctorum & Beatorum. Ex his purpuræ cœlestis gloria exsplendescit, & palmæ triumphalis honore Beatus Joannes Prior Chaliensis, Gloriosus Christi Martyr. De hoc, sic breviter Seguinus: Sanctus Joannes, cognomento de Gornayo, Chalisij Prior, vir sanè fuit, morum integritate eximius, eruditione clarus, Regularis disciplinæ parens, atque vitiorum osor acerrimus. Huic postquam renunciatum est de quodam fratre Converso, scandalum grave in quodam agro Monasterij commisisse; ille salutigregis prorsus addictus, juxta Divi Benedicti Legislatoris censuram, & Sanctorum Patrum Decreta, tam grande piaculum digna animadversione vindicavit. Quod ægrè ferens sceleratissimus ille Pseudo-Converssus, gladio insigni arrepto, quem veste abdiderat, sanctum virum aggreditur, ejusque crura omnibus palam præscindit Fratres vero qui circumstabant, videntes hominem innocentem lethali vulnere sauciatum, mox moriturum, cœperunt mœrore affici. Ubique clamor, ubique luctus ingens, &c. audiebatur. Joannes autem auribus percipiens luctuosissimum filiorum clamorem; *Nequaquam*, inquit, *ô filij contristemini, ego enim hæc libens pro Christi nomine fero tormenta; cum mihi ista non modo molesta, sed etiam delictorum meorum sint purgatio. Parcite ergo huic quæso, parcite, inquam, ego enim huic indulgeo.* Jnstante jam omnino morte hunc sibi Psalmum recitandum, qui est numero trigesimus, sumpsit: *Jn Te Domine speravi, &c.* dictoque versu: *in manus tuas commendo Spiritum meum*; hunc in manus Creatoris reddidit.

V. Joannes Prior Chalienſis.

Glorioso Martyrio consummatur.

Felicissima mors.

Jpso anno, admirandæ Virtutis fama excellit & prædicatur in inferiore Germania Joannes Malderus, ex Abbate S. Mariæ de loco S. Bernardi,

Joannes Malderus Episc. Antuerp.

di, sacræ Cistercienſis Congregationis noſtræ, Antuerpienſium Epiſcopus. De quo Henriquezius in Abbatibus Cænobij jejuſdem. Hic nihil ſibi antiquius duxit, quàm diſciplinam reſtaurare Monaſticam, vetereſque ſanctæ Reformationis praxes & conſuetudines reintroducere & practicare. Ut enim pijſſimus fuit Prælatus, nihil illi magis in Votis, quàm exemplis & ſcriptis aurea primi Chriſtianiſmi tempora reducere, ut jure optimo primis Reformationis tam ſanctæ Patribus æquiparari debeat, &c. De laudibus ejuſdem Reverendiſſimi Epiſcopi, nec ingenti quidem volumine ſatis, quantumvis præciſe & obiter ejus res egregie geſtas, concinnare, & ad compendium cogere conaremur. *Ex citatis.*

IESU CHRISTI ANNUS S. M. DC. XX.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XL.

EVehitur ex infimis ad ſublimia, ab illo qui ſuſcitans à terra inopem, de ſtercore elevat pauperem, & inter ſplendidiſſimam Empyrei cœli collocatur aſtra, ſanctæ memoriæ Frater Antoninus de Panhormo, Italus, Cathedralis Monaſterij Ordinis noſtri humilis Frater Converſus. Hic Genuenſis patria, haud procul Genua in Caſtello Taglia, honeſtis, ſed pauperibus natus parentibus, Joannis in Baptiſmate nomen accepit. Educatus in omni pietate, rei & arti Hortenſi poſtea adhibitus, profectuſque in Siciliam apud diverſos Proceres Hortulanum valde induſtrium egit, ſeque & pietate & ſedulitate, omnibus quibus inſervijr Dominis, ſummopere probavit. Poſtea in notitiam R. P. Domni Michaelis de Monreal, Monachi Cathedralis Montis Regalis, & Decani ibidem ac Cellarij, hominis ſanctæ vitæ, veniens, gratus admodum illi, ob perſpectiſſimam innocentiam, & vitæ puritatem fuit, qui & hortum, Clauſuræ, ut vocant, ipſi curandum dedit, & cupientem admitti inter Fratres Converſos, promovit; quo etiam in ſtatu duos & viginti annos, ad obitum uſque perſeverans, Fratris Antonini nomen in Profeſſione accepit. Fuit ſemper cùm apud ſuos, tùm exteros, fama celeber & nomine ſanctitatis, DEIparam Virginem mira devotione coluit, cujus imaginem in Eccleſia Majore ſeu Cathedrali Monaſterio contigua, dies ac noctes, ſingulari ſtudio affectuque veneratus eſt, effecitque ut celebris deinceps magno in cultu haberetur. Unde Vice-Rex Siciliæ Marchio de Villena atque alij Proceres, ad ejuſdem inſtantiam, ſtatuam eamdem ſplendidè veſtierunt, & argenteas ad eam lampades ſuſpenderunt, durante uſque hodie multa omnium devotione atque Veneratione. Solitus autem ſemper eſt Antoninus, veſpere ad Tutelaris ſuæ effigiem lampades accendere, & tum ad uſque pulſum *Ave MARIA* veſpertinum, illic ſeſe proſternere, & Dominam ſuam toto corde venerari. Jnde pro ſua corporis neceſſitate, parum cibi ſumere, & duas horas domeſticis curis & negotijs ſedulo intendere. Poſtea in Capitulo, ante altare S. Placidi Martyris ſe in tapete ſternebat, uſque ad horam circiter ſextam. Mox conſurgens, per Eccleſiam ad altaria faciens orationem, continuabat id ſtúdij ad uſque Miſſam primam, cui ipſe ſemper aderat, & ſacerdoti ſacris operanti devotiſſimè inſerviebat. Exinde Hortulanum ſtrenuum agens, ad prandium uſque laborabat. Fuit ipſi jejunium perpetuum & quotidianum; ad nudam carnem aſperum cilicium, flagellatio frequens, ita ut terram ſuo ſanguine balnearet, inter ſacra exercitia pectus gravi lapide tundebat. Erat ſimplici omnino ingenio, ſumma tamen & mira ſe prodente prudentia, dum de rebus Divinis & ſacris loqueretur: magni ob idipſum à magnis, & viris etiam Principibus factus, ob quod ipſum, à ſuo quodam Superiore, ſubverente nequid ambitionis lateret & ſimulationis, inclementius habitus, ulciſcente graviter à morte Numine ſervi ſui injurias, cum Superior ille in Purgatricibus flammis lueret, & viſus cuidam Religioſo, à F. Antonino ſuffragia orationis enixè peteret, ab hoc injuriarum omnium immemore, ultro & ſponte omnia condonante, Numini quamprimum reconciliatus. Profuit multis ſua exhortatione, etiam à magnis Principibus in rebus magni momenti pro conſilio vel auxilio exoratus, coram quo genuflexus ſæpe Siciliæ Prorex (non ſine magna repugnantia ſancti & humilis Fratris) ipſum audire

F. Antoninus de Panhormo Converſus.

Fit Converſus in Monte Regali.

Deipara devotiſſimus.

Rigor vitæ.

Superior indiſcretus à morte veniam & preces rogat.

audire gestiebat, etsi silentij sacri ipse studiosior, nil magis quàm ejusmodi sæcularium occursum abhorrebat. Afflictis tamen compatientissimus aderat, vir per omnia prisci sæculi, miraculum nostræ tam præposteræ ætatis. Vexatus sæpe & territus à malis genijs, egregiè ultus est, ipse terror dæmonum, quos potenter sæpius ab energumenis profligavit. Claruit vivus & mortuus insigni miraculorum gloria, multasque visiones seu revelationes habuit, pro salute animarum. Longo denique morbo, quasi paralysi resolutus, insigni patientia se commendavit. Cæterum affecto licet ægrius corpore, capite tamen semper sano & firmo cerebro, ita ut pulchrè admodum ac prudenter, de rebus sacris discurreret. Moriturus mirè hilaris, mortem ipse suam disertè prænunciavit. Visus tunc, Visione aliqua, ut ominabantur, præsenti Deiparæ Patronæ suæ solatio recreari: cum oculis in cœlum elatis, plenus solatij sese erigeret. Mortuus est hoc ipso anno 1620. die 7. Martij die Sabbathi hora 21. eoque ipso quasi puncto horæ, quo solitus Vespere erat lampades coram Tutelari sua accendere, conformiter suo desiderio, quo desiderabat mori die Dominæ suæ consecrata, celebratus à morte, & à Numine commendatus haud levibus miraculis, quorum aliqua Prior loci, solemnius curavit authenticari, viginti quatuor, paucos intra, an totidem facta dies, fideli testium relatione connotata. Fuit prope centenarius, semper tamen hilaris & vigorosus, cujus veram effigiem Prorex Siciliæ Marchio de Villena Regi Catholico, non sine magno solatio præsentavit. *Ex vita & Attestationibus Montis Realis Prioris & testium, Mauro Marchesio, &c.*

Miraculorum gloria ante & post mortem clarus.

Felicissimè in Domino quiescit.

Authentica miracula.

Aliud item sydus, idem hic annus, eademque Italia Cœlis destinat, ad IV. Jd. Aprilis sanctæ memoriæ Virum Joannem à S. Hieronymo dictum, secundum sanctissimæ Reformationis nostræ Generalem Vicarium. Hic Gallus natione, Catalaunensis patria eximiæ sanctitatis exemplar, postremæ ætati nostræ prætulit, Zeloque Regularis observantiæ, exactioriſque rigoris mirificè effulsit: quam ob causam, suamque in rebus gerendis dexteritatem, primus post ipsum Reformationis celeberrimum Institutorem Ven. P. F. Joannem de la Barriere Congregationem felicissimam sub Titulo Vicarij Generalis gubernavit. Ejus virtus Taurini præcipuè innotuit, cum pestilenti grassante lue, omnibus ferè Ecclesiasticis diffugientibus, insignia charitatis munia, sponte atque indefessus obijt, & singulari morituris solatio ubique occurrit. Pietate, uti & eruditione raris emicuit. Officium Divinum ad ultimum usque diem genuflexus totum recitavit. Sed & silentium Regulare, tanquam præcipuum, & singulare Benedictini Ordinis punctum, & disciplinæ Monachicæ firmamentum, ad supremam usque noctem religiosissimè & cautissimè observavit; sacræque unctionis Sacramentum paucis ante obitum horis, genuflexus suscepit. Decessit felicissimo ad supera transitu, Romæ in Urbe orbis principe: cujus præclara merita, miraculosis signis, omnibus à morte innotuerunt, vultusque ejus pulchrior quam ante, & ridenti similis apparuit, populo universo uti vivum, sic mortuum, insigni applausu, Sanctum Sanctum appellante & celebrante. Apparuit post aliquot annos Venerabili Patri Nicolao à S. Aygulpho, animam supremam agenti, quem ad participium gloriæ invitasse videbatur. *Ex communicat. PP. Fulienſ. Phil. Malabayla, &c.*

Ven. Joan. à S. Hieronymo.

Vicarius Generalis Fulienſium.

Silentij Regularis observantissimus.

Gloriosus à morte apparet.

Jn Gallijs sub hoc ipsum tempus sanctissimam Vitam felicissimo claudit termino venerandæ memoriæ Domina Catharina de Alveguin Monialis Martyrum lectissima, merito & ipsa Martyr cum sua sorore Maria appellanda, tantas nimirum, etiam ante adventum Mariæ de Bellovillare, persecutiones & adversitates ab irreformatissimis Monialibus perpessa, singulari Numinis providentia, tanquam electissimum Reformationis instrumentum retenta, maximisque gratijs cumulata: quibus in gravissimis injurijs & tempestatibus semper generosior, Bellovillarienſis sanctis conatibus fortiter adstitit, donec utraque, annuente & animante Numine, de tantis difficultatibus triumpharet. Fuit non solum Montis Martyrum altera Restitutrix, sed præcipua sororum de Pœnitentia

V. Catharina de Alveguin.

Reformatrix sororum de Pœnitentia.

in Urbe Parisiensi Reformatrix, ita ut haram illam, turpium porcarum, & larvarum, in omni modæ sanctitatis, & perfectioris observantiæ aram commutarit. Decessit ibidem, post egregia sanctioris Vitæ exempla, ad tantorum laborum præmia à Numine evocata, insigni miraculorum fama, & celeberrimæ sanctimoniæ laude clarissima. *Ex Vita Mariæ Bellovillar.*

Jnsigni totius Ordinis & sacræ ejusdem Reformationis Cisterciensis gloria, creatur hoc anno, ob præstantia Vitæ merita, Archiepiscopus Dominicopolitanus, & totius Novi Orbis Primas Reverendissimus & Jllustrissimus Dominus Petrus de Oviedo Hortensis in Hispania Monachus, postquam annis pluribus Philosophiam ac Theologiam summa cum admiratione Compluti professus fuisset, & virtutis doctrinæque insolentibus sanè radijs longè latéque effulgescens, Regi Catholico, & inprimis Paulo V. Pontifici Maximo, toti denique Hispaniæ, insigniter se commendassèt. *Ex Chrysost. Henriq. &c.*

Petrus de Oviedo Archiepisc. & Primas Novi Orbis.

Memoranda sub hoc tempus, etsi anno incerto, sub Pauli tamen quinti Regimine, Magni Patriarchæ Benedicti, de Casinate Cœnobio suo & Congregatione cura & vigilantia, quod haud dissimili miraculo à Commendatariorum turpi ambitione & sacrarum rerum abusu superiore sæculo, vindicatum diximus, nunc præservatum dicturi sumus. Concitaverat æmulos atque invidos ipsa Numinis Benedictio, Totius Ordinis Archisterio Casinati postquam ereptum Harpyarum unguibus, legitimorum Antistitum vigilantiâ & parsimoniâ in majorem paulo post splendorem & opes excreverat, Exstimulavit sacri sitis auri, avaritiam atque ambitionem nonnullorum è Clero, ut confictis in rem suam calumnijs, Casinatum ex potentia in luxum versam disciplinam, coram Pontifice graviter quererentur; nec efficacius malo remedium, quam quod sæpius ante salubriter adhibuerant ejus Antecessores, Commendatarium aliquem imponendo, qui licentiam Monachorum frænaret, quibus magnæ opes, semper in ruinam, & disciplinæ remissionem fuissent. Et vera loqui videbantur Paulo homines sacri, & vultu moribusque compositi, imo utilia & necessaria suadere visi.

S. P. N. Benedicti de Casino cura.

Calumnijs appetuntur Casinates.

Evocati proin duo in Curia Romana Episcopi, quibus sedulo in mandatis datũ, quanto possent silentio, & iter dissimulare, & mandata; quasi Neapolim illud spectaret, & longè alia negotia essent, subitum & præter omnium opinionem, Casinum diversuri, moxq; seriam Visitationem atque examen super Vita Monachorum instituturi. Jta factum: summaque Legatorum industria ita instituta itineris ratio, talique diversoria quæsita loco, ut nemo prorsus, itineris scopum Casinum posse esse animadverteret, donec repente flecterent iter, & matutini admodum sacro monte conscenso ad portam Cœnobij compararent, attonitis Abbate & universis, atque facilè ominantibus, Casinatibus denuo structas insidias, omnem nihilominus tantis Pontificis Commissarijs reverentiam, & honorem exhibentibus. Petiere ante omnia Sacerdotem, qui sacris operaretur, sub quibus ipsi suarum precum Numini pensum persolverent; inde primum quæ in mandatis à sanctissimo haberent expositurí, & commodùm jam hac ipsa intentione ad Sacristiam descendisse R. P. Zachariam à Fractis, Sacrarij præfectus retulit, moxque versum altare in quo Missa celebranda erat, Episcopis tapetes strati, & pulvinaria accommodata. Prodit primus ex Sacristia juvenis Professus an Novitius facturo ad aram serviturus; stupent attoniti ad hujus conspectum Legati, dum solis instar radios emittere, & splendere juvenis faciem, non aliter atque Angeli intuentur. Jntolerabilis contuitus Zachariæ Sacerdotis fuit, cum septuplo lucidior prodiret; cumque ad aram etiam stans sub Canonem elevatus in aere appareret, ibi vix sibi amplius Legati præsentes esse, contremiscere toto Missæ tempore, nilque magis quàm, *Ite: Missa est*, expectare. Jnde tremebundi, deducente quam officiosissimè ipsos Reverendissimo Abbate, templo exire, nec aliud, nisi, *ubi sunt muli, ubi sunt muli nostri?* congeminare: Abbas vice versa, illos humanissimè invitare; sollicitè, siquare fortè offensi essent? exquirere: Mandata se sanctissimi summa cum promptitudine expectare: illi pavere, mulos

Duo Episcopi Visitatores designati.

Summo honore excipiuntur.

Mira intuentur Episcopi.

Tremebundi abitum parant.

&

& abitum urgere, perurgere: donec mutuo colloquuti, causam adventus, abitusque Abbati non celandam esse concluderent, rem totam aperirent, falso delatos esse, quæque nunc vidissent, ultro fassi, preces Abbatis & Religiosorum enixè efflagitarent, veriti inter sacra, & quamdiu Casini essent, ne ultricem Divi BENEDICTI manum experirentur. Ita re infecta ad Pontificem redierunt, hoc insigniter sibi de Casinatum suorum asserto divinitus honore, gratulante. *Ex R. P. Mauro Marchesio, Panorm, &c.*

Precibus Patrum se commendant.

Extinguitur hoc ipso anno magnum Ordinis nostri in ipsis Jndijs Sydus, Reverendissimus & Jllustrissimus Joannes de Valle, ex Monacho Archisterij S. P. Benedicti, in Urbe Vallisoletanâ, Guadalaxarensis in Jndia meritissimus Episcopus; qui remotissimis illis gentibus, insigni vitæ exemplo & propagandæ Fidei Zelo, plurimum profuit, hoc ipso anno ad laborum solidam mercedem evocatus. *Ex Msstis monimentis Monasterij S. Turibij, inde communicatis.*

Ioan. de Valle Guadalaxarensis Episcopus.

IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.XXI. Sancti Patris Benedicti. M.C.XLI.

MAlleus, imo fulmen Hæreticorum, Vir Verbo potens & opere, alter pro Concione Chrysostomus, imo Paulus, Reverendissimus & Jllustrissimus Gabriel à S. MARIA dictus, verò MARI angelus noster hoc ipso anno, ob admirabilia animi & corporis talenta, & ingentia merita, post obitum sereniss. Ludovici Lotharingiæ & Guisiæ Ducis Remensis Archiepiscopi & Sacræ Rom. Ecclesiæ Cardinalis, jussu Regis Christianissimi, magno Romanæ Ecclesiæ, omniumque toto Regno Galliæ Catholicorum plausu Archiepiscopus Remensis, & Par Franciæ designatus, nec multo post, solemnissimè consecratus est. Hic Anglus patria, prima tamen Generis origine Gallus, ante Professionem Monasticam Guilielmus à Gifford appellatus fuit. Benedictinæ Religionis habitum assumpsit, in Monasterio S. Malonis, in ejusdem nominis civitate sito, inde Remos missus in Universitate Remensi, litterarum studijs operam navavit, in quibus tantopere profecit, ut admirandus omnibus haberetur, & sacrosanctæ Theologiæ Doctor creatus, communi demum omnium consensu, celeberrimæ Vniversitatis Rectoratum meruit, summaque cum gloria administravit. Præditus præter incomparabilem eruditionem, plus quam Tulliana facundia ita, ut pro concione dicens, miraculo haberetur. Accessit eruditioni atque eloquentiæ, integerrimi animi & vitæ spectatissima fama, gratia vultus, compositio corporis, elegantia morum & quod super omnia est, propagandi honoris Divini, Hæresum evertendarum, pop li ad Virtutum studia concitandi zelus & fervor incredibilis, eâ tamen gratia, ut sua verborum non minus modestia quam elegantia Auditores mirificè caperet, & captos quasi fascinatos retineret, ita ut quasi infinitos Numini & Ecclesiæ lucraretur. Archidaliæ postea factus Episcopus Suffraganeus Archiepiscopi Cardinalis, nec non Vicarius Generalis, indefessus atque insuperabilis laboribus, talis omnino ac tantus, cui non frustra Archangeli impositum nomen esset, ad munus Angelorum & Archangelorum quam simillimum à Numine destinatus. Explevit statim partes omnes Archiepiscopi, honorem minime exambitum ita gerens, ut honos honoris haberetur; summis æquè atque imis ita satisfaciens, ut magni etiam Principes, toti se ejus arbitrio permitterent; cum interim tanquam verus omnium pater, nec pauperrimum aspernaretur, omnibus omnia fieret, singulare prorsus Galliæ, Ordinis nostri, atque sæculi hujus ornamentum. *Ex communic. PP. nost. è Gall. & Burg. Cl. Rob.*

Gabriel à S. Maria Archiepiscopus Remensis.

Hæreticorum Malleus.

Verè dignus Archiepiscopatu.

Transmittit denuo Christianissimum Galliarum Regnum speciosissimum fragrantissimumque Hortis Elysijs Cœli Empyrei hoc anno lilium, lilieto suo pridie Jduum Martij exemptum, cœlis insertum, Reverendum & Venerabilem P. F. Carolum à S. Bernardo cognominatum, sanctissimæ Fulienſis Congregationis nostræ Monachum. Fuit hic Nobilis genere, natione Gallus sive Burgundus, Vir in sæculo potens, spectatus & valde Religiosus, Fundator meritissimus Monasterij Fontanensis, quod ipse in solo castri paterni prope Divionem construxerat, ac dein captus admirabili san-

Anglus patria Mon. S. Malonis.

Ven. Carolus à S. Bernardo.

Fundator Monast. Fontanensis.

sanctitatis fama ac splendore Fulienſium noſtrorum, & cucullum amplexus, in eo ita ſe habuit, ut nulli ſecundus in ſacra Regulæ obſervatione, & mirabili illo vitæ rigore eſſe voluerit; Vir Angelicæ puritatis, in corporis infirmitatibus, quibus ob delicatiſſimam corporis naturam obnoxius erat, patientiſſimus, qui conſummatus in brevi explevit tempora multa, vitamque adeo innocentem vixit, ut poſt auditam ejus totius Vitæ confeſſionem, nullum omnino peccatum mortale apparuerit. Deceſſit in Monaſterio Fulienſium Pariſienſi. Poſt cujus obitum non defuerunt ſigna miraculoſa, quibus ſanctitatem ejus, his perditiſſimis temporibus DEUS declaravit & commendavit. *Ex Carolo de S. MARIA Phil. Malabayla, &c.*

Sed & alterum haud minus Nobile Galliarum lilium Regum Regis dignum manibus Regno eripitur, & hoc 4. Jduum Januarij anni hujus: Reverendiſſimus & Jlluſtriſſimus Guillelmus Fouquet de la Varenne, ex Abbate Athenatenſi, Andegavenſis Epiſcopus. Hic, quis quantuſque fuerit ſequens indicabit Epitaphium:

Guillelmus Fouquet Abbas Athenatenſis.

Quis tumulus? Varani: quæ circum Agmina? Leges.
Quæ mulier? Pietas dilaniata caput.
Qui mores? Probitas, mentem occupavere Sacella,
Quæ tam inimica bonis Numina? Parca fuit.
Heu! Leges, pietas, probitas, lugete ſacella; Varanus veſtro eſt mortuus exitio.

Epitaphium ejuſdem.

MEMORIÆ SACRUM.

Guilelmo Fouqueto Varano Epiſcopo Andegavenſi, ſanctiſſimis moribus, & pietatis Zelo ſupra hominem flagrantiſſimo, ſolutam in ſua Diœceſi ſacram diſciplinam inſtaurandi aviditſſimo, improbo labore & Vigiliis exinanito corpore, indeſinentibus ad DEUM precibus, Clericis ſuis exemplo præire contendenti, vim à natura ſeveriori acceptam, quàm late patuit, officij ſui Regula perpetua & inexorabili conſtantiâ acerrime roboranti, contemptu ſeculi ad futuram gloriam ſententia ineluctabili anhelanti, privatis caritatibus nunquam delinita. Maturinus Simonius, turbato mortalitatis Ordine diſcipulo Præceptor hunc titulum & tumulum mœrens poſuit. Vixit annos 35. menſes II. dies 15. Obijt Andegavi. 4. Id. Jan. 1621.

Epiſcopus Andegavenſis.

Rurſum ex caſtris & lectiſſima Heroum noſtrorum Fulienſium Legione ac militantis Eccleſiæ arena ac area, ad Triumphantis plauſus transfertur, generoſiſſimus Chriſti Athleta P.F. Joannes Jacobus à S. Scholaſtica, Gallus; qui pro ipſa Generoſitate ſua ſanctiſſimo Congregationis tam rigidæ Jnſtitutori acceptiſſimus & chariſſimus extitit; ipſimet Barrerio admirabilis viſus, cum quindecim annorum delicatiſſimus juvenis, tanta alacritate, nudis pedibus abſque ſoccuſis, aperto ſemper capite ſine ullo caputio ſive alio integumento, purâ aquâ, pane furfureo, herbis ſine oleo ac butyro, ſed & abſque ſalis, nedum alio, condimento, ex more Reformationis promptiſſimè contentaretur, nullumque penitus rigorem declinaret ſeu refugeret, ſed & imberbis etiamnum, memorabili cum fructu, ſummaque cum fidelium ædificatione, per vicinas Civitates Verbum DEI prædicaret; tanta apud omnes auctoritate, ut magni etiam proceres in juvene magnalia DEI admirantes, dimiſſâ concione occurrerent, ejuſque exemplo non minus potentis quàm verbo, & manus, & veſtes quam devotiſſimè adoſcularetur. Cum autem Burdigalæ moraretur Eminentiſſimus & Religioſiſſimus Cardinalis Franciſcus de Sourdis, Burdigalenſis Archiepiſcopus, Conſilij ſui Eccleſiaſtici eum Præſidem elegit; ubi Congregationem S. Urſulæ magna cum utilitate præſtantiſſimæ urbis inſtituit, inque ea conſtitutis, præcepta & Regulas ſanctiſſima præſcripſit. Nulli labori pepercit in lucrandis peccatoribus, in hoc ipſo magnis à Numine gratijs donatus. Tandem multis corporis macerationibus confectus, dum prælo opuſculum à ſe compoſitum, *Peregrini agonizantis* titulo inſignitum, committeret, diem ultimum ſanctiſſimè clauſit, nona Novembris anni 1621. *Philippus Malabayla, Carolus à S. MARIA.*

F. Joan. Jacobus à S. Scholaſtica.

Concionator miriſicus.

Multos Chriſto lucratur.

Nec prætermittenda hoc ipſo anno, Orthodoxorum noſtri Ordinis in Armenia Aſcetarum laus eſt, ipſis quoque Armenis infidelibus, eoſdem quaſi cæleſtes genios venerantibus, & in omni neceſſitate ad eoſdem recurrentibus, apud quos nomen Admirabilis Patriarchæ noſtri BENEDICTI eſt ſanctiſſi-

Noſtri in Armenia floreni.

ctiſſimum, ita ut Monachos ejuſdem (quorum multa millia uſque hodie in utraque numerantur Armenia) non aliter appellent, quam *Malkos*, vel *Rooban Abbuna Abba Bruck Amlak*, hoc eſt: Monachos vel Fratres Patris noſtri Abbatis Benedicti Angeli, utpote quem non tam hominis quam Angeli nomine cenſeant cognominandum. celebrabatur autem hoc ipſo tempore apud eoſdem prope Capam Majoris Armeniæ Urbem ſanctæ memoriæ Paulus Abbas Monaſterij S. Thadæi, ob inſignem vitæ ſanctimoniam & creberrima miracula, quæ quotidie exhibebat in confirmationem fidei; ita ut frequentiſſimi & venerabundi ad ipſum infideles confluerent, ab eodem benedictionem peterent & à varijs infirmitatibus curarentur. *Ex communicatis R. P. Mauri Marcheſij Conſtant. Cajet. &c.*

S. P. N. Benedictus Angelus cognominatur.

B. Paulus Abbas Ord. noſtri.

Quotidiana ejuſdem miracula.

Jncredibile penè, quanto virorum Religioſiſſimorum & Doctiſſimorum numero efflorescat hoc ipſo tempore Congregatio noſtrorum Vallisoletana & Montiſerratenſis in Hiſpania, ex quibus vel maximè celebres habentur Alphonſus de Corral Abbas S. P. Benedicti Vallisoletanus, ſanctitatis non minus fama, quàm eruditionis celeberrimus, idem à maximis meritis commendandus, F. Joannes de Gentierez. F. Didacus de Vannega. F. Gaſpar Vaca. F. Franciſcus de Corduba, pluresque alij, omnes litteris, ſive genere, & integritatis miræ laudibus ſummè conſpicui. *De quibus conſul. Jepeſius.*

Montſerratenſium gloria.

Ex ſacra Familia noſtra Ciſtercienſi, non minora ſe produnt luminaria, è quibus Alvarus ex Monacho Bervevelæ Epiſcopus primum Boſenſis in Sardinia deſignatus, mox Solſonenſis in Catalania creatus, magnis & ipſe meritis ſe commendavit, pluraque egregij ingenij monimenta edidit. *Ex citatis ſupra Henriq. Manriq. &c.*

Alvarus Epiſc. Solſonenſis.

IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.XXII Sancti Patris Benedicti. M.C.XLII.

ITERUM inſignes duas gemmas ad coronam æternitatis transmittit Corona Galliæ hâc etiam ultimâ ætate noſtrâ & turbulentiſſimâ in ſæculorum fine tempeſtate, ejuſmodi clinodiorum feraciſſima: Beatæ nimirum memoriæ Mariam Rouſſetel à S. Bernardo cognominatam ſanctiſſimæ Calvarienſis Congregationis Monialem lectiſſimâ, in Paſſionis Dominicæ, & Compaſſionis Maternæ conſideratione, feliciſſimam & profundiſſimam, ſed & praxi ipſa generoſiſſimè exercitatam: Quæ Paralyſi correpta, quanto gravioribus perurgebatur doloribus, tanto vehementioribus motibus in Deum tota mentis affectione aſſurgebat; & licet corpore proſtrata, altum nihilominus animo evolans, tota cœleſtis patriæ ardens deſiderio: cum jam felicem reſolutionis horam adeſſe animadverteret, Hymnum *Te DEUM Laudamus, &c.* inſperato jubilantis animi impulſu hilaris occinens, vivere deſijt: Cui ad Jubilum æternitatis evolanti, & ipſa non tam corporis languore ægra, quam nimio ſponſi deſiderio comitem paulo poſtſe adjunxit Venerabilis Mater Catharina de Binier, à Sanctiſſimo Sacramento cognominata, ejuſdem Cænobij profeſſa: *Virgo corpore & Spiritu ſancta*, uti Scripror Antoniettæ Aurelianenſis habet, inter prima & præcipua Congregationis ejuſdem fulcra habita. *Amand. Tribout. &c.*

Maria Rouſſetel à S. Bernardo.

Catharina de Binier.

Miraculum noſtræ ætatis ſanctiſſimæ memoriæ Margarita de Arbous Abbatiſſa Vallis Gratiæ, nunc vel maximè ſanctitatis ſplendoribus Galliam illuſtrat; omneſque qui in ejus notitiam venire poterant ſumma afficit admiratione. Eos inter Maphæus ſacræ Rom. Eccleſiæ Cardinalis Barberinus, poſtea Urbanus VIII. Pontifex Maximus, ad eam, tantopere paſſim deprædicatam, ſæpius inviſens: mirari ſe ſatis non poſſe, puellæ præſtantiſſimum ingenium, utpote, quam nihil lateret, & à quâ, quidquid quæreretur, nihil eſſet, ad quod non promptiſſimè & apprimè ex tempore reſponderet. Et quid mirum, cum illi ipſa arcana cordis, luce Divina reſerata, manifeſtiſſimè paterent, multaque & abſentia prodigioſiſſimè vidiſſe, futura prævidiſſe compertiſſimum habeatur. De miraculorū gloria, modo nihil, quam longè ſuperavit in tanta omnium de ipſa æſtimatione, ipſius de ſemetipſa faſtidium & contemptus, ut omnino perſuaſiſſimum haberet, viliſſimam ſe eſſe omnium creaturarum, & doleret medullitus ab aliquo mortaliu m ſe æſti-

B. Margarita d' Arbous Urbano VIII admiranda.

æstimari. De ea sic scribit R. P. Binetus Societatis Jesu, Presbyter notæ doctrinæ & probitatis: Jn Margarita, inquit, vera & cordialis, non labialis humilitas inerat, quæque cordis centro inhæreret: non autem unius linguæ testimonio nititur: unde confusione omni contenta, probris & improperijs intentissima, nescíri & pro nihilo reputari gestiebat, nihil sollicita à quibus exerceretur, an de se benè meritis, an adversis, an à se aversis. Humilis animi carnifices ipsæ laudes erant, & vanæ adulationes. Alludebat in jurijs; encomijs conficiebatur, soloque humilitatis apice alijs Præfecta, abjectissima quæque & vilissima deligebat, omni semper extremitate contenta, detrita tibialia sororum Conversarum, ipsa sarciebat mira industria; culinæ officia quæque obibat, ambitioso famulatu, terræ fodiendæ, lancibus, cacabis, ollis eluendis, vestibus purgandis, locis Regularibus everrendis, lectis sternendis & instruendis, incredibili alacritate, manum prima operi admovens, in his ambitiosè occupabatur. Ea erat aliquando Margaritæ humilitatis sitis, ut nisi prudentia & charitas obstitissent, ea ausa esset, quò non humilis solum, sed vilis apud omnes haberetur, quæ horrorem & omnimodum ejus contemptum apud omnes crearent. Visa est sæpe, & maximè cum Superior esset, fune ad collum alligato, nudis pedibus, humi defixa, per Refectorium susque deque à Conversa trahi, ac demum flagellis cædi, calceque ab omnibus ad postes ejusdem Refectorij prostrata proteri. SæpeCapitulum, Refectoriumque ingressa est nudatis humeris, jamque offendiculo cruentatis, virgarum & urticarum manipulos manu gestans, quos sororibus offerebat, rogans impensissimè, ut canem mortuum, rigride duriorem Abbatissam, contumacem, pervicacem, Deoque prorsus rebellem peccatricem vel plagis saltem coercerent & attererent. Sæpè humi accubans sine mantili, orbe, cochleari, cultro, pecoris instar vescebatur, contestata præterea sorores est, ut mortuæ corpus tanquam sceleratissimæ Creaturæ non cum sororibus, sed in culinæ sordium lacunis conderent. Planè mundo Crucifixæ, mundus totus crucifixus erat. Moribus quippe ejus & vanitatibus tota infesta erat, nec quidquam in Religiosis tantopere detestabatur, quam sese mundo accommodare, plausum hominum quærere; cum sæcularibus libenter agere, cuticulæ servire, delicatioribus cibo aut potu affici, tales siquidem à vera Vocatione longè abesse, nec spirituales, sed carnales esse. His à se non Vocatis, Deum non favere, nec aliter in Cænobio degere, quam si in ipso sæculo versarentur. *Spiritum sanctæ Regulæ eum esse, ut à sæculi actibus fierent omnes alienissimæ, quod præstari non possit, quando Mundus ipse cum Religiosis in Religionem admittitur.* Martyrũ choris accensam Margaritam nostrã dubitandũ non est, cùm jugi sane & quotidiano Martyrio sese Numini & mactaret & immolaret. Uti enim in omnes alias mitis & benefica erat, ita sibi soli, jurata quasi sævitia irascebatur; nunquam spectabilibus hisce notis destituta erat: vel sæviebat dura & ferox in seipsam, vel sævierat ut vix respiraret; vel instructa metuendis in corpus Angelicum armis, ferire & sævire jugiter parata. Vix ipsis nominibus nota erant pœnitentiæ terrifica instrumenta, quibus planè in semet immitis atque immisericors, carnem Virgineam dilaniabat fervens anima; isque erat infestarum exuviarum numerus, ciliciorum, catenarum, aculeatorum cingulorum, aliarumque id genus carnificinarum, ut inusitatæ supellectilis mercaturam facere videretur, & exercere. Nuda, ut plurimum, cubabat humo, somnus tam rarus, quam frequentia jejunia; præter publicas pœnitentias, quæ penè quotidianæ erant, clandestinis & privatis nullus modus: solita dicere, mirari sese homines ipsos nocentissimos, ad virtutem & gloriam molliore calle niti velle, quàm ipse Homo Deus prorsus insons, & tam à peccatoribus quàm peccatis segregatus. Sæpe tanto castigandi corpusculi ardore inardescebat, ut nisi Deo ipsi in hoc displicere caviset, in mille frusta sibi ipsa facta carnifex membra sacra condidisset. *Carent*, inquiebat, *S. P. BENEDICTI genio, molles animi, Benedictinorum est magna præstare, & graviora pati. Habeant sibi gratis alij cælum, nostrum est, illud mercari, illud*

Gloriæ & laudis mira contemptrix.

Miranda animi demissio.

Flagellari se curat.

Sui ipsius carnifex crudelis.

Verè mundo crucifixa.

Jugis ejus fuit Martyrium.

Lectulus minimè mollis.

Quid sit Benedictinorum?

illud rapere, illud fugis, & indies renascentis pœnitentiæ sumptibus consequi. Neque vero minor erat, Observantiæ sacræ, quàm ipsius pœnitentiæ sitis: *Hæc enim*, aiebat, *Corpus, ista animum cruciat ac domat. Illudit DEO, enecto corpore audax & rebellis mens. Moriatur corpus, quia caro est, & morti innata corruptione obnoxium: sed moriatur etiam animus, immortalis licet, ijs omnibus, quæ ejus immortalitati obsunt. Sæviet semper pervicax affectuum turba, nisi sacræ Obedientiæ & Observantiæ loris innexa compescatur.* Sed pro nunc satis de Amazone ista sanctissima, cætera suo loco.

Congregatio Anglica de Propaganda fide augetur,

Successu felicissimo, multa Fidelium consolatione, & uberrimi spe fructus, immortali Ordinis atque nostrorum omnium gloria, egregiè propagatur, atque Apostolici conatus successu dignissimo Congregatio nostra, de Propaganda, licet etiam sanguinis & vitæ impensis & expensis, Fide Romana Catholica, institutis hoc ipso anno Provincialibus, sive diversarum in Anglia Provinciarum superioribus; consimili, etsi subsequo Apostolorum in totius orbis, hic in certæ Nationis divisione, sanctissimo tamen, & pulcherrimo exemplo. Ejus Commissionis copiam, proposuit in Appendicis parte 1. P. F. Clemens Reinerus noster, eo ipso tempore Congregationis ejusdem Secretarius. *Vid. Apost. Bened. ejusd.*

Laudatissimum propositum.

Unde perpetuo colligas, quàm nostris cordi & curæ semper fuerit susceptа semel in Magno Gregorio & Collegis atque discipulis, cura Apostolatus primi, quamque perditissimis etiam temporibus, suæ etiam Vitæ negligentes essent, dummodo proximorum saluti prodesse, atque pro Ecclesia laborare possent. Laudatissimo promovendæ disciplinæ Monasticæ Zelo, laborat in Germania Inferiori Reverendissimus Dominus Henricus Buzegnies ex Monacho & Priore S. Dionysij in Hannonia, pro eximia Vitæ laude Gerardimontensium Abbas postulatus, inde ad suum Professionis locum repetitus & Abbas consecratus, Præsul *Reformationis*, ut Monasterij habent monimenta, & sanctioris Vitæ studiosissimus. Hic cum probè percepisset, quantum ad omnem perfectionem pondus & momentum statuta ad amussim observata Casinensis Congregationis conferrent, omni studio pro ijs promovendis laboravit. Multa initio adversa & contradictiones perpessus. Verum licentiam & impunitaté excessuum Monasteriorum perniciissimam pestem expertus, constanterque dum posset obnixus, summisque difficultatibus superatis, verè glorioſus, hoc anno fine beató quievit. *Ex monimentis ejusdem Cœnoby.*

Henricus Buzegnies.

Beato fine equiescit.

Extinguitur eodem alterum Germaniæ Inferioris sydus Petrus de Loyers, Abbas S. Martini Tornacensis, Præsul & eruditione celeber, & omni integritate, tantique à Principibus & omni Ordine hominum factus, ut siquidem præmatura mors ipsum non ad præmia æternitatis vocasset, fuisset ad dignitatem Episcopalem promotus. *Ex Monast. Monim.*

Petrus de Loyers Abbas Tornac.

Jn Hispanijs ex sacra familia Cisterciensi efflorescit P. F. Benedictus de Alarcon Abbas Morerolæ, vir eruditione non minus, quàm summâ vitæ integritate celeber, relictis etiam præstantis ingenij monimentis optimè meritus. Quæ inter *Theatrum Virtutum*, opus magnæ considerationis in plures distinctum Tomos posteritati reliquit. *Ex Phœnice Revivisc. P. F. Chrysost. Henriq. &c. alijs.*

Benedictus de Alarcon.

Jn Burgundia Majore Archisterio Cluniacensi, innumerorum Ordinis Sanctorum Promptuario eligitur hoc anno ex Magno ejusdem loci Priore Reverendissimus Dominus Jacobus de Venny d'Arbous, sanctissimæ memoriæ Margaritæ nostræ Vallis Gratiæ Abbatissæ, ut nonnulli volunt, patruus, certè Cognatus felicissimus; quē quantopere excitarit neptis sanctissimæ vita planè prodigiosa, & toto Galliarum Regno decantata, Regibus perspectissima, facile quivis ominari poterit. *Ex Claud. Rob. & monim. Cluniac.*

Ven. Jacobus d'Arbous Abb. Cluniacensis.

IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.XXIII.
Sancti Patris Benedicti. M.C.XLIII.

ETiam sacra nostra Cœlestina familia, cœlestium Empyrei cœli sydерum, sydus æmulum cœlis hoc anno transmittit, sanctæ memoriæ Joannem Baptistam de Guardia Grelle, in Diœcesi Theatensi in Samnio editum, virum rara Vitæ sanctitate conspicuum. Hic orationis & Contemplationis studio sublimis, in præcipiti hâc

Joan. Baptista de Guardia Grelle.

sæculorum ætate, sibi constans semper sacri propositi tenacissimus, terrena omnia flocci faciens, magnus omnino sacro vitæ profectu, sancto exemplo & suis plurimum & exteris profuit, inter alia dona, Prophetiæ etiam Spiritu à Numine illustratus. Cujus mortem in Conspectu Domini Gloriosam & pretiosam, nonnullæ Visiones, & sacrum corpus post triginta tres annos, inter alia cadavera tabo consumpta penitus incorruptum, uti quibusdam in somnis prædixerat, repertum fuit. Jnde translatum, & honorifico loco repositum, usque hodie magnam habet venerationem. *Ex communicat. Patrum Cœlest. &c.*

Visiones & incorruptio.

Jterum Gallia plausum Triumphantis in cœlo Ecclesiæ, Admirabili sanctitate Viri transitu mirificè auget. Fuit is Reverendissimus sanctæ memoriæ Desiderius à Curia Ordinis Sanctissimi Patris & Patriarchæ nostri BENEDICTI, Congregationum Sanctorum Vitoni & Hydulphi per Burgundiam & Lotharingiam, nec non Sancti Mauri per Franciam Parens & Jnstitutor zelantissimus, qui singulare & lucidissimum nostræ ætatis sydus amplissimum Galliarum Regnum, imo Ordinem Benedictinum universum novi fervoris exemplo mirificè accendit, & defluentem longo sæculorum decursu disciplinam Monachicam, uberrimo cum fructu longè latèque restauravit. Js natus est, Christi anno 1551. in pago Monreville, ex antiqua & Nobili familia; annumque agens decimũ octavum, in numerum filiorum Sancti Patris nostri BENEDICTI adscriptus in Cænobio S. Vitoni Virdunensi, ægre quidem primùm auunculi tamen sui Locum-tenentis Generalis ope ea in urbe admissus est, magnis se statim Virtutibus universis commendans, quibus deinceps Regnum & Ordinem universum haud leviter demeruit. Et quamvis non adeo eruditione præcelleret, arduo tamen labore magna aggressus, Numinis confisus adjutorio, tanta confidentia sua, favente inprimis sanctis conatibus Numine, mira effecit, & quæ vix quisquam sperare ne dum tentare ausus esset, felicissimè impetravit: Philosophica & Theologica studia, magna cum Magistroum, tum etiam confodalium laude absolvit. Tum Romam Cænobij causa missus, apud Reverendos Patres Minimos, Philosophiæ Professorem egit; reversusque ad Cænobium in id maximè incubuit, ut sacratissimæ Regulæ, accuratissima observatio introduceretur. Ob quod ipsum gravissimas passus persecutiones, cum nihil proficeret, ad eremum quandam detrusus est.. Minimorum postea habitum susscepit, sed aliò vocantis impulsu Numinis, annum probationis suæ non complevit, reversusque ad Ordinem, paucis post diebus, præter omnem Fratrum intentionem Prior creatus, multumque reluctans ab Episcopo & directoribus peccati mortalis culpam, nisi pareret, interminantibus, præesse coactus est. Mox Reformationem magno animo aggressus, etsi non pauci viri cum Religiosissimi tùm prudentissimi obniterentur, effecit tamen cooperante Numinis Gratia, ut quod cœperat, stupentibus universis, tota Gallia propagaretur, & plurimi paulo post eximia sanctitatis opinione efflorescerent. Quos inter Desiderius noster, velut Sol inter Astra, mirabili fulgore exsplendescebat; verè Vir Desideriorum sanctorũ, cujus animæ desiderio, ut & pauperum suorum, libenter exaudiens Dominus, superabundanter tribuit ei & explevit, & voluntate labiorum ejus, tam devotè pro reformatione Ordinis ipsum sollicitantis, non fraudavit eum, prævenitque verè eum in Benedictionibus Dulcedinis, postquam ille adeo generosè & constanter, tot sibi adversantium injurias & contumelias toleravisset. Fuit hic solatium singulare sanctissimæ Abbatissæ nostræ Dominæ Mariæ de Bellovillare, Sancti Aniani Comitissæ, *utpote quem ipsa sciret*, verba scriptoris Vitæ tantæ Antistitis, *regendorum animorum juxta sacram Regulam, scientia cœlitus infusa præcellere*, quam & obsequentissimam in omnibus discipulam & filiam spiritualem habuit, ipsius & huic, & toti amplissimæ à se institutæ reformationi, verè disciplinæ norma, Regulæ praxis, exemplar sanctitatis. Obijt vir verè illustrissimus, hoc præsenti anno 1623. decimo octavo calendas Decembris, inter celebriorum totius provinciæ Superiorum manus, obsequia & lachrymas, quo ipso die, hora circiter meridiana, splendidissi-

Ven. Desiderius à Curia.

Parens Congr. S. Mauri.

Magna generosè aggreditur.

Professorem agit.

Prior creatur.

Velut Sol inter Astra

Antistitis. mus B. Mariæ de Bellovillare.

Sanctè moritur.

fidissima de cœlo fax plerisque intuentibus, contra Ecclesiam S. Vitonis apparuit, faciesque viri lectissimi, ita fulgida visa est, ut effigies & imago vera Gloriæ immortalis, qua tum anima ejus potiebatur, videretur; accersitique qui depingerent, mirarentur, & simul angerentur, colore sæpius mutato, formosiorem semper vultum fieri, & splendidiorem, &c. *Ex vita ejusdem impressa, sed & alij Ms.*

Fulgida ejusdem facies.

Ipso anno pestilenti lue Gallias, & inprimis Lutetiam Parisiorum vehementissimè flagellante, ita ut fores Cœnobij egredi ad coëmendum necessaria periculosum esset, neque vero quidquam edulij pro Monialibus superesset, soror Margarita à S Francisca prius accepta benedictione à sancta Abbatissa Vallis Gratiæ in Suburbio Parisiensi S. Jacobi, ivit in hortum herbas lectura: confisa, DEUM necessitati ancillarum suarum provisurum, & genibus flexis, DEUM enixè precata est, ut meritis Beatæ suæ famulæ Margaritæ de Arbous præsenti necessitati subveniat, & statim vidit ante se ingentem ovorum acervum, quo sanctimoniales sustentatæ fuerunt. Sorori vero tantum miranti miraculum, & narranti pia mater asseruit: Si Regulam servemus, Deique providentiæ confidamus, prius Angelos ad nos alendum mittet, quam sinat suas famulas inopia escarum premi. Alias in eodem Monasterio, cum vix sufficeret triticum ad sex hebdomades, præcepit Beata Abbatissa sorori Conversæ Mariæ Aubry dictæ à S. Francisco, ut quotidie ante triticum recitaret salutationem Angelicam: cui statim illa paruit addens, ut intercessione B. M. V. & meritis Beatæ ipsius Abbatissæ, DEUS singulari sua bonitate triticum augere dignaretur. Ita factum: nam satis tritici inventum est ad alendas moniales sex mensium spatio, manu illa quæ paucos illos panes Evangelicos, fructus quoque modicos & benedicente & multiplicante.

Insigne miraculum B. Marg. de Arbous.

Tanta autem sub hoc ipsum tempus Margaritæ nostræ ob sanctimoniam vitæ fama, non solum Galliam universam, sed & exteras nationes pervagata est, quæ plurimas undecunque ad contuendum hoc Virginis miraculum, Christi ancillas invitavit non solum, sed concitavit. Eas inter Domina Catharina Lotharingiæ Ducissa Montis Romarici Abbatissa, tantæ sanctitatis opinione perculsa sancti Spiritus impulsu Parisios venit, & sex circiter menses in Cœnobio Vallis Gratiæ mansit, ubi tanquam altera Regina Saba Sapientiam Salomonis in Beata illa Abbatissa admirata est. Cujus consilio paulatim cœpit assuescere abstinentiæ à Regula præscriptæ, præter opinionem medicorum, eo quod esset debili admodum corpore. Eadem serenissima Heroina, ad vilia quæque propter Christum, singulari humilitate se demittebat; beatæ nostræ Abbatissæ obtemperabat in omnibus non sine maxima illius verecundia, quam puderet tam alti & illustris sanguinis Abbatissam sibi subijci; etsi tanta illam humilitate non prohiberet, ne fortè illius apud DEUM meritum minueretur. Sereniissimi similiter Sanguinis Domina Ducissa de Elbœuf Coadjutrix Cœnobij Nostræ Dominæ Suessionensis, venit ad Cœnobium Vallis Gratiæ, ut illius suavissimo colloquio frueretur, simulque ritum vivendi juxta Regulam S.P.N. BENEDICTI edoceretur. Ipsa etiam Christianissima Regina Anna eam sæpe sæpius invisebat, & vix ab ejus latere divelli poterat. *Ex Vita.*

Ducissa de Elbœuf invisit B. Margaritam.

Item Regina Gallia.

Rursus illustrissima Ordinis Stella è sanctissima Fulienſium nostrorum Congregatione, inter perennes sydereas mansiones hoc anno locum accipit, Beatæ memoriæ Guillelmus à sancto Alexio ingentium meritorum Vir. Hic enim primus omnium viri sanctissimi, novique Instituti ad amussim Regulæ S.P.N. BENEDICTI parentis & Conditoris Joannis de la Barriere socius & adjutor strenuus, inter præcipua Ordinis Reformatorum columina recensendus, sancta æmulatione in omni sacro rigore & fervore cum eodem Magistro suo pie concertavit. Proinde in omni observantia Regulari, primus omnium à Joanne ipso extitit, huic specialissimè dilectus. Et quamvis summi Pontifices deinceps rigorem illum nimium, in quantum Regulæ S.P. BENEDICTI leges excederet, purè ad S.P.N. dictata redigerent, priorem tamen ille austeritatem, de licentia illorum, cum mira simplicitate, humi-

B. Guillelmus à S. Alexio.

Dispensationem recusat.

Latissimè ejus fama sanctitatis diffunditur.

litate & devotione retinuit, suoque exemplo alios quoque plurimos eodem persuasit. Idem totas plerumque noctes in amplexu Crucis cum lachrymis & gemitu transegit; & sæpe gelu rigens, à Fratribus ex Ecclesia in infirmitorium asportatus fuit; juratissimus sui corporis hostis. Animam sanctam magna cum jucunditate, inter ultimi Sacramenti Unctionem exhalavit die 71. Januarij, anno ætatis suæ 77. cùm annos 46. tanto in vitæ quasi perpetuo equuleo & Martyrio sanctissimè traduxisset. *Philippus Malabayla, & Catal. Fulienſ.*

Mors jucunda.

Inter alia Ordinis præclarissima ornamenta effulget, & suum hoc ipso anno decus Cœlis infert Reverendissimus Dominus Adrianus Cancellier Abbas Sacri Dunensis in Belgio Cænobij sacræ Cistercienſis Reformationis promotor singularis, insignibus meritis gloriosus. Quæ inter non minimum illud, quod mira munificentia, & liberalitate sumptus, & necessaria suppeditarit, ad ædificia & sustentationem plurium in Inferiori Germania Cænobiorum & Collegiorum, in quibus alij Deum jugi laude celebrant, alij proximorum utilitati & juventutis institutioni vacant, fructu omni eorumdem, meritò, magnam partem, ad Adrianum nostrum, & plures ejusmodi tam Cluniacensis quàm Cistercienſis Reformationis Abbates, de Exulibus præcipuè Anglis, optimè meritis, redundante. Quorum proximè defunctorum & aliquot superstitum laudibus parcendum duximus; tum quod illorum etiam sine nobis vigeat apud grati animi clientes memoria; tum quod viventium, etsi laudabili, erubescentiæ tamen verecundæ parcamus. Obijt Adrianus ipso Resurgentis Christi Domini festivissimo die; vir omni Virtutis perfectione absolutissimus, juratus corporis sui hostis, verus Pauperum Pater. Cujus dum felix anima corporis solvenda ergastulo, cum morte luctarentur, cœlesti lumine locus in quo decumbebat illustratus, illuminatissimo Præsuli, illustre testimonium præbuit eximiæ sanctitatis. *Ex monim. Dunenſibus.*

V. Adrianus Cancellier Abb. Dunenſ.

De Exulibus ob fidem Rom. meritus.

Mors vere illuſtriſſima.

IESU CHRISTI ANNUS M.DC.XXIV.

Sancti Patris Benedicti. M.C.XXXXIV.

NOstrorum Veteri, sæpè etiam novissimis notata & observata sæculis, consuetudine, jacta tæ rubulentissimis in Gallia fluctibus innocentiæ RR. PP. Societatis Jesu, è Reformatis nostri Ordinis Patribus, fidelissimè patrocinantur non pauci, eorumque non causam solum apertè fovent, sed & tecto recipiunt, alimentis nutriunt, & quibuscunque modis promovent, & commendant. Nemo tamen majore sollicitudine & charitate, quàm Reverendissima & Jllustrissima Abbatissa Vallis Gratiæ, cujus revera, plusquam materna erga eosdem Patres pietas fuit, quorum calamitatibus tantopere condoluit, ut eisdem acerbissimis non solum defleret lachrymis, sed plagis crudelibus in semet sæviens, sese pro ijsdem victimam Numini consecraret, ferventissimisque precibus, dies noctesque commendaret; cujus orationes plurimum apud Deum potuisse, nemini dubium esse debet, adeoque plus forte cæteris omnibus, pro Patribus illis apud Divinam Bonitatem obtinuisse. *Ex Vita ejuſdem.*

Patrum Societatis piè à noſtris conſulitur Ordini.

B. Margarita pro eadem Societ. preces & lachrimæ.

Uti vero amore proximorum ferventissima erat, & omnium vel maximè Religiosorum Reformationem toto corde cupiebat, ita multo magis Dei amore tota ardebat, & quasi conflagrando totam se in sponso suo perdebat & quasi evanescebat; in oratione quam maximè inardescens, ita ut sagitta Divini Amoris sauciatum cor ejus vehementer palpitaret, quod inde etiam in vestium motu facile percipiebatur. Et quidem verè illud usurpare poterat: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo.* Amore siquidem unionis tacta, res creatas in solo Deo amabat, & hujus beneficio amoris à seipsa, & à mundo, & ab omni re extra Deum segregabatur. Maximè autem Deo per sacram Eucharistiam uniebatur: tandemque accidit, ut die, quo hoc Angelico pane orbaretur, debilis corpore & mente evaderet: ac proinde ei concessum est fermè quotidie de hac sacra mensa reficī. De qua etiam sentiebat in se amorem Dei inebriantem cujus vim in mente, quasi aliud agens vix poterat reprimere, ita ut quidam motus ac voces, Divini Amoris ipsi non cogitanti excidierent, affectûs, quo intus in Deum ferebatur, indices: adeo torrente Divinæ Voluptatis erat inebriata. Non

Ignita ejuſdem charitas.

Fervor Amoris Divini.

Amor inebrians.

caruit

caruit amore, quem patientem appellant: cum nulla fermè dies abiret, sine aliquo dolore, eóque vehementi, cujus beneficio ei ad humilitatem, patientiam, & Divinum Amorem, non minima fieret accessio: rata sibi genus esse Martyrij, si nihil pateretur: cum sæpè præ amoris exuberantia ipsos dolores minimè perciperet. Jnde visa sæpe est à sororibus, flammarum globis & vorticibus circumdata, cœlesti juxtà exauditá voce: *Hæc ardet interius vehementiori amoris sancti incendio.* Et: *Hæc mei amore vehementer uritur.* Jnter orandum sæpe, præsertim cum sacro Officio interesset, vel sacra Synaxi reficeretur, mutata facie, clarificatorum in cœlis referens pulchritudinem, suis omnibus apparebat. Bis visa à Religiosissimo quodam Presbytero, solis radios splendore superare. Uno verbo, admirabile objectum, fuit turbatissimo hoc sæculo Divini Amoris & & Gratiæ, &c. *Ex Vita, Jacques Ferraige. Hugone Menardo & Scriptore Anonymo Ms.*

Amor patiens.

Tota igne fuit.

Soluradios vincit splendore.

Evolat hoc anno ad æternitatis præmia insignis ille Mariani honoris propagator Cœlitum Jmperatoris amantissimus Reverendissimus & Jllustrissimus noster Placidus de Todos Santos professus Monasterij S. Æmiliani, Guadigensis primùm, deinde Samorensis Episcopus, vir magnæ sanctitatis, verus pauperum Pater, exemplar in ipso Episcopatu solidæ paupertatis, dum nil sibi retinens, adeo pauper Pontifex decessit, ut ex eleemosyna Canonicorum suorum, memorabili ad omnem æternitatem exemplo, sepeliri debuerit. Laboravit hic vir tantus, plurimum in asserenda Jmmaculatissima Virginis Matris cœlorum, Augustæ Conceptione, cumque esset non minus eruditionis quam sanctitatis fama celeber, à Philippo III. Rege Hispaniarum, circa varia magnique ponderis ac momenti negotia, præcipuè vero in puncto Conceptionis Jmmaculatæ Virginis ad Paulum V. Pontificem Maximum Legatus cœli terræque Regi-nam immortaliter demeruit. Fuit ante Episcopatum, Generalis Ordinis, Exemplar & speculum omnis Virtutis, Ordinis universi singulare ornamentum. *Ex diversis rerum Hispan. Scriptoribus.*

Placidus de Todos Santos.

Episcopus diversarum Sedium.

Legatus Phil. III. ad summum Pont.

Jmmaculata Concept. Assertor.

Moritur hoc ipso anno Parisijs sanctæ memoriæ P. F. Guilielmus à S. Genovefa sacratissimæ Congregationis nostræ Fulliensis Monachus. Fuit hic Verbi DEI Concionator præstantissimus, eóque sese meritis plurimis Provincijs commendavit; maximè in Normannia, ubi pro altero Paulo Apostolo est habitus, nec aliter à populo, quam *Viri Sancti* nomine appellatus, verè *potens Sermone & Opere*, ut sæpè relictis templis, in ipsis compitis, cæmeterijs & campis, exstructo aliquo suggestu peralto, vel in arborem aliquam conscendens, apud confluentem nimiam populorum, multitudinem, prædicare cogeretur. Qui etsi plurimas Christo lucratus sit animas, pro rara tamen sua animi demissione, post concionem habitam, timens, ne indignè Verbum DEI seminasset, apud se conquestus lachrymabatur. Diem supremum habuit nonum Septembris, quo ad præmia laborum æterna evocatus corpore excessit. *Philipp. Malabayla, &c.*

Guilielmus à S. Genovefa.

Concionator mirificus.

Fuit hic etiam annus, vitæ hujus mortalis ultimus Reverendissimo Domino Dionysio l'Argentier, Sacræ Cisterciensis familiæ columini spectatissimo, Claræ-Vallis Abbati, viro: *quem DEUS in vita egregijs virtutibus, miro fervore, & reformationis Zelo, post mortem vero signis & miraculis illustravit. Cui argentum*, inquit Claudius Robertus, *septuplo probatum nomen fecit, moribus plane aureis*, qui postquam suis, annis viginti septem sanctissimè præfuisset, octavo Cal. Novembr. anni 1624. beatissimo fine decessit, cujus sacros pedes, magnus ille Vallis Aureæ prope Luxemburgum Abbas Bernardus de Montgayllart, & ipse sanctissimus, signisque prodigiosis illustrissimus, summa cum animi demissione & devotione osculatus est, universo ejus Virorum Religiosorum conventu id ipsum imitante. Celebravit magnis & evidentibus miraculis Dionysij sui perspectatissimam sanctitatem bonum, Numen, celebratque in hodiernum diem, proffligatione inprimis prodigiosa, Cacodæmonum ex energumenis, quibus sacræ ejus Reliquiæ adeo terrori sunt, ut sustinere eas minimè valeant, quin possessa pridem habitacula quam primum deserant. Sepultum est

Ven. Dionysius l'Argentier Abb.

Beato fine quievit.

Claret magnis miraculis.

est sacrum corpus ejus, loco quo decessit, eor verò Claram Vallem delatum est, his tantum *Argenti* imo Auri præstantissimi thesaurum illis haud immetito invidentibus. Positum non unum viro tanto Epitaphium, quæ subijcienda censuimus.

EPITAPHIA S. M. DIONYSIJ ABBATIS CLARÆVALLENSIS.

CHRONOSTICON.

Epitaphium.

Æthera Mens sUperat l' Argentier,
aVrea CorpVs
Sors tenet, & CLara Cor slbl VaLLIs habet.

Aliud Epitaphium.

Ortum Treca, gradum Sorbona & Clara tiaram
Vallis, at exequias Aurea, & Astra DEUS.

Diversa Epitaphia.

Aliud Epitaphium Anagrammaticum.

DIONYSIUS L' ARGENTIER

Anagramma.

ALES DEI JNGREDITUR SYON.
Raptus amore DEI, sanctam Dionysius ALES
JNGEDITUR terram corpore, mente SYON.

Ejus laudes eleganti stylo prosequutus R. P. Laurentius de la Roche oratione funebri Luxemburgi impressa anno 1624. apud Hubertum Reuland, è miraculis aliqua ab Henriquezio recensentur prolixè, nimirum Religiosi à quartana, alterius incurabili stomachi infirmitate, aliorum Apostemate gravi, venæ dissectione, &c. gravissimis periculis prodigiosè liberatorum &c. *Ex Chrysost. Henriq. Ang. Manrique, &c.*

Evolat & alius mirabili splendore è terris animus hoc ipso anno sexto Nonas Martij Venerabilis P. Francisci à S. Maria Magdalena, Fuliensium nostrorum in Gallia Provincialis. Hic Gallus natione, cum jam ætate maturus & sacris initiatus Ordinibus esset, Regulamque S. P. N. Benedicti professus, tanta virtute enituit, ut per viginti quinque & amplius annos Prioris & Provincialis munere fungi cogeretur, in quo rigorem cum mansuetudine, justitiam cum misericordia jungens, disciplinam Congregationis mirificè promovit, & æternum meruit. Licet autem adversa valetudine perpetuo premeretur, de rigore tamen semel susceptо nihil remisit, & inedia potius, quàm alio quocunque remedio morbos profligavit. Primus & ultimus semper in Choro fuit; post Matutinas in templo contemplationi vacans, asperrimo etiam in frigore ad usque Primam Canonicam perstitit. Jta parcus in risu, uti sobrius in victu, Philosophi Christiani imaginem ipsus in se omnibus redhibuit. Ab omnibus autem Passionibus humanis liberrimus, hospitalitatis insuper charitate mirè enituit. Horam denique mortis suæ Spiritu Prophetico prædicens, cum magna sanctitatis opinione Tolosæ decessit. *Hugo Menard. Carolus à S. Maria, Chrysost. Henr. Phil. Malabayla.*

Franciscus à S. Maria.

Provincialibus.

Ejus Virtutes.

Jn Hispanijs Congregationis nostræ Montis Sion, eximia celebrantur novo fervore merita, dum felicissimi ejusdem Ascetæ non litteras solummodo & eruditionem diversissimis locis & universitatibus longè latéque promovent, Philosophiam & Theologiam summa cum laude & utilitatè professentes, sed & ad Jnfidelium Conversionem, in diversas & remotissimas missi Regiones, gravissimis generosissimo animo terra marique perfuncti periculis indurati calamitatibus, nihil reformidantes laboris & incommodi, innumerabilem pene mortalium multitudinem ex Jnferi eripientes faucibus gremio Romanæ Ecclesiæ adducunt, de quorum sanctissimo Vitæ Jnstituto, & præter sanctissimam Regulam nostram constitutionibus, legendus *Henriquezius lib. 2, d. 15.*

Apostolici laboris studia.

IESU CHRISTI ANNUS S.M.DC.XXV.
Sancti Patris Benedicti. M.C.XLV.

HOc anno Christi M. DC. XXV. Panhormitani, cognita & celebrata admirabili Archiparentis nostri BENEDICTI in avertenda pestilenti lue, alijsque cùm terræ motibus, tùm propulsandis hostibus, gratia: solemnissima cooptatione suæ Urbis Patronum delegère. *Ex communicatis à R. P. D. Mauro Marchesio.*

S. P. N. Adoptatus Tutelaris Panhormitanorum.

Jnnumera multitudo eorum, quos ex Ordine hoc ipso tempore, insigni vitæ innocentia & doctrina atque eruditione mirandos orbi proponere & æternis sæculis commendare oporteret,

ret, consulto præterimus, præsertim ab alijs, & Reverendis maxime Societatis Jesu Patribus summopere commendatos, ut Redivivus in terris Admirabilis Pater & Patriarcha noster Benedictus, & revertisse in terras totus è cœlo Sanctorum exercitus videretur. De quo Nostrorum fervore, & Antiquo in illis resuscitato Spiritu, ita Reverendus Pater Contzen, Societatis Jesu Presbyter insignis & optimè meritis Politic, l. 6. cap. 46. n 12. *Nunc vero omnes Ordines ferventiùs & constantiùs, quàm â trecentis annis factum sit, sese reformant, alij aliorum exemplo excitati,* Et eodem libro 6. multo luculentius cap. 11. *Veteres familiæ Religiosorum, pristinam integritatem rigoremque receperunt, & indies magis magisque refloresçunt, magnâ spe meliorum temporum. Cum tam sancta, fortia, DEO sacratissima pectora caliginoso mundo demonstrent, contemnere sæculi pompas, & sese pro nobis apud DEUM interponant, & novorum turba selecta, primitias Spiritus præferentes, senescenti Orbi auxiliari conentur, &c.* Apud Casinum etiam nova luce sacra Societas illustratur Simplicio Cavarello Abbate, viro in paucis meritissimo, sub quo Casini antiqua dignitas & fama reparata; Hospitalitas inprimis, quæ ex usu Monachorum nostrorum fere præcipua suspicitur, cum uno unico ille Jubilæi anno præsente, septuaginta peregrinorum millia hospitio exciperet, & pro dignitate quemque sua tractaret. Sed de hac nostrorum in peregrinos ac pauperes liberalitate plane immensa, in Ordine amplissimo perpetuata, stupenda referre possemus, & referre cum tempore aliqua saltem exempla debebimus, quæ quantumvis excedere fidem videantur, reapse tamen demonstrabimus, summa cum intelligentium admiratione, Ordini opes cum invidentium confusione accrevisse. *Ex Marco Ant. Scipione, &c.*

Redivivus revera in terris S. Benedictus.

Simplicius Cavarellus Abbas Casin.

Eodem anno Januenses supremo in discrimine, quem olim, dum superstes in terris ageret, Amicum experti erant, tanto post è cœlis Protectorem, solemni voto evocant Mellifluum Doctorem nostrum: experti quamprimum sese gratiosissimè exauditos. Ipsismet Manrique verbis referamus: Januenses verba Patris Sancti (Bernardi nimirum, in Epistola quadam ad ipsos data) *Ja æternum non obliviscar Tui*, adeo sibi firma esse censuerunt, imo & experti sunt; ut etiam post quingentos ferè annos, Christi nimirum millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, cum Excellentissimum Principem Carolum Emanuelem, Sabaudiæ Ducem, quem hostem patiebantur, nimis infensum, Ditionis oppida vastare, & sibi jam imminere, vix quinto ab Urbe lapide conspicerent, omni humano auxilio desperato, fidem Sanctissimi Patris interpellaverint, concepto voto, post alia in hunc tenorem: *Posthæc, inter Divos Reipubl. Nostræ Tutelares, Divum Bernardum, qui dum in humanis agebat, nostri in æternum non oblivisçendum suis litteris spopondit, adscribere & connumerare promittimus, & vovemus, diem ejus Festum celebrare, & â populis nostris & Clero, accedente Illustrissimi Archiepiscopi & RR. Episcoporum consensu, celebrari curare, in hâc Ecclesia Majori, vel in alia, arbitrio nostro, Capellam eidem dicatam construere. Eadem die Divi Bernardi quotannis in perpetuum, solemnem Processionem fieri, & sacrum solemne ad ejus altare nobis piè assistentibus celebrari facere. Et demum manu Ducis, dicti sacri inter solemnia, singulis annis in perpetuum, & pro hoc anno, duodecim puellis, ut vocant, Dotes, scilicet libras centum unicuique earum persolvere. In cujus rei testimonium, has ab infrascripto nostro Secretario publicè lectas, recipi, & subscribi, & signo nostro muniri jubemus: Datas in Ecclesia Cathedrali die Dominica 25. Aprilis anno 1625.* Hæc Januenses instante ruina, Suæ Reipubl. At quàm ex voto illud eis votum successerit, non multo post eventus monstravit: Nam Pater Sanctus dilato solum auxilio, quoad ipsius esse comprobaretur, in ipsâ solemnitatis ejus Vigilia, Hispana classe auxiliari propitius affuit, hostiles copias ocyus fugaturus. Nec quisquam in populosa Urbe fuit, qui non Bernardi cognosceret tutelam, & præsentem sanctum, cui beneficium acceptum reddendum foret. *Ita citatus Author.*

S. Bernardus Genuensium Protector.

Votum Reipubl. Genuensis.

Tutelaru S. Bernardus agnoscitur.

Iterum lectissima Nostrarum Virginum Congregatio *de Calvaria* dicta candidissimam cœlo columbam transmittit, Divæ Scholasticæ candore æmulam, sociam professione: Joanna

Ven. Joanna de Conflans.

de

de Conflans dicta fuit, quam Antonietta olim noſtra, ſuis colloquijs & prudentiſſimis conſilijs, Calviniſmum, quem cum lacte imbiberat, ejurare perſuaſit. Hæc tandem Pictavis Calvariæ profeſſa inſtitutum, tot brevi Virtutum cumulos ſibi aggregavit, pœnitentiæ potiſſimum, Obedientiæ, ardentiſſimique pro ſalute animarum Zeli, ut omnibus admirationi eſſet. Surda ſtatim à Profeſſione effecta diu noctuque nihilominus, ſacris officijs ſedula intererat, aſſerens ſe ſororum & cordibus, & vocibus Domino amœniſſimè jubilare. Tabido ulcere viſcera depaſcente, Sacramentis munita dum mortem ſibi inſtare intellexiſſet, ſolemnem Hymnum *Te DEUM laudamus* rara vocis feſtiviſſimæ harmonia præcinens, ad illum verſum: *Te ergo quæſumus Tuis famulis ſubveni*, ſola proſequuta eſt, atque ſorores precata, ut dictum Hymnum perficerent in terris, ad quem perficiendum DEUS ipſam in Cœlos vocaret, cumque his innoxium animum efflavit. Poſtera die ejuſdem obitus, Pater quidam Capucinus, cui ipſa Catharina prorſus ignota erat, ad Conventum aſcitus, ut pro animæ refrigerio ſacrificaret, cum ſtaret ad cratem ferream ſacram Euchariſtiam ſororibus miniſtraturus, ſtupens diu hæſit immotus, ſocio fruſtra ſacras veſtes, ut ipſum reſuſcitaret, vellicante. Tandem ad ſe reverſus ſacroque peracto, Superiorem alloquutus, aſſeruit: Inter Miſſarum ſolemnia, perſenſiſſe vehementiſſimum motum, quo meritis Defunctæ, à DEO gratiam aliquam poſtularet, ſibi quàm maximè neceſſariam, pro qua quindecim jam annis diu multumque rogaverat, atque in momento Communionis Religioſarum, credere à Domino exauditum. *Ex Vita B. Mem. Antonietta d' Orleans.*

Inter tantum Hymni Te Deum Laudamus moritur.

Quidam per merita ejus magnam gratiam meretur.

Verum hoc extincto lumine, & hoc ipſo quidem anno [prò DEUM immortalè!] quantum non gratiæ Ordini fecit in hâc ipſa Congregatione S. P. N. BENEDICTI de Calvaria, elargitione unius ſuæ Creaturæ, quam ab utero Matris ſuæ elegit, & in vita omni, etſi admirandis gratijs cumulatam, ſupraomnem tamen Sancti Job patientiam & innocentiam exercuit, tanto magis admirandam, utpote Virginem tenerrimam. Iſta fuit verè ſanctiſſimæ memoriæ Anna de Gouleſne, felici deinceps omine Anna-Maria à JESU Crucifixo cognominata, verè mundo Crucifixa, & ſiquæ ulla alia Crucifixo Amori concrucifixa, ſtupendum omni poſteritati miraculum, Ordinis ornamentum, quæ exſtructo hoc anno 1625. Morleacenſi Nobili Congregationis de Calvaria Cœnobio, in quo ſoror ipſius Venerabilis Mater Franciſca de Goulaine (alijs Gouleſne) Sub-Prioriſſa deſtinata fuerat, inter primas S. P. N. BENEDICTO ſe devovit, etſi impedire Cacodæmon terribilibus ſane conatibus provirili moliretur. Digna res, quam ab exordio recitemus: Et gratulamur nobis, eodem ipſo anno tam charum Numini pectus, abjectioni noſtræ connatam, & æqualem annis Patronam meruiſſe. Nata proin fuit Chriſti anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, ſæculi prioris corona, baſis, imo columna Præſentis, ſimulque gratiæ Numinis admirabile ſimulachrum. Parentes habuit Generoſiſſima familia de Gouleſne ſeu Goulaine Baronem de Fauoyet, & Annam de Pleura, jamque à cunis Divinæ dulcedinis Benedictionibus cœlitus præventa effulſit. *Salutationem Angelicam* (malumus Sancti Scriptoris Verbis, quàm noſtris uti) *quam docente nutrice pronunciare non poterat, Angelo Præceptore, perfectè didicit. Augebatur indies Divina gratia, augeſcente ætate; ſæpè morbis inſanabilibus, quibus frequens cruciabatur, de repente opitulantibus Sanctis, quos ſpeciali cultu (quî multi erant) venerabatur, interdum levabatur. Annos nata decem & octo, multis inducitur, urgetur, adigitur nubere: id patre inprimis pertinaciter & volente & præcipiente; ſed eam, DEO duce, qui ſibi duntaxat Virginem caſtam deſponderi æmulabatur, his moleſtijs vindicavit ſubita & præceps ejuſdem patris mors; ubi vero ab amantiſſima Matre, ſibi indultum ex animi ſententia, imo ex Spiritus Sancti ductu vivere agnovit, abreptis quamprimum pretioſiſſimis veſtibus, vulgari habitu, omnimodis mundi contemptum profeſſa, abditam longeque ab oculis hominum remotam, in ipſo parentum Caſtello cellulam delegit, in qua rebus procul mortalibus, mens avolabat fervida, Diuúmque juncta cœtui, Angelis ipſa par, hærebat*

Ven. Anna de Gouleſne.

Franciſca de Gouleſne.

Angelum Præceptorem habet.

Pijſſima ejus Mater.

Solitaria in quodam Caſtello delegit.

bat inter sidera, atque, ut quem abjecerat mundum, ab ipsomet ipsa penitus abjiceretur, in gravissimum morbum incidit, ex quo delicatum pectus Virginis ita infectum est, ut nunquam posteà per totam vitam carnes, nedum gustare, sed nec olfacere potuerit, ac siquid pinguis jusculi aljs obsonijs intermisceretur (quod sapissimè ad cautelam & probationem usurpatum est) tanta vehementia evomebat omnia, ut planè confici videretur. Solo DEO teste aliquamdiu in præfata solitudine vixit, tanta vitæ austerioris sacra rabie in corpusculum, varijs ægritudinibus jam penè enectum, ut non debilis Virgo, sed immanis in seipsam carnifex quotidiana lanienam exerceretur. Noctem ipsam fervida mens ingeminatis orationibus in diem vertebat, nec amplius quàm ipse fere Custos Angelus somno indulgebat. Ægrotis, inopibus, orphanis, viduis sic aderat in omnibus, ut omnium miserorum Mater, tenera adhuc Virguncula passim vocitaretur. Factâ Dæmoni à DEO in charissimam Sponsam potestate omnimoda, eam tanto impetu, tanta rabie invadebat plerumque, ut quæ in ipsam feralis odij furiatique in hominis perniciem furoris edidit signa, satis sint fidei astruendæ, omnium quæ de hoc argumento leguntur in Historijs. Præcipitem interdum eam agebat, ea vi, ut totum corpus collideret. Die Festo S. Joannis Baptistæ, cum ad sacram Ædem pergeret Missæ adfutura, equum cui insederat vanis ludicris sic perterruit, ut in fugam actus debilem puellam per aspera & invia raptaret, neque ullâ industriâ quiescens per duo millia deturbatam multis vulneribus lethaliter sauciaret. Denique quacunque torquendis Martyribus, olim efferatissimis Tyrannis suggessit dira consilia, ea ipsè omnia cruciandæ huic Virgini congessit, quæ nonnunquam cœlitus recreata carnificibus intrepida illudebat. Vidit sæpe dum omnimodis quateretur ab hostibus, JESU Christi desideratissimam effigiem, ea forma qua ipsum Pilatus Judæis ostendit dicens ECCE HOMO, sibi amantissimè abblandientis. Utebatur quam familiarissimè Virgine DEIpara, maximè diebus Sabbathi, quibus Sacellum quoddam desertum, eidem sacrum singulari pietate invisens, venerabatur; Verùm perfectioris vitæ Zelo æstuans Nobilis animus, nihil non moliebatur, quo aliè pridem menti infixum Votum, Benedictinam Religionem sub disciplina Calvariensis Congregationis, in qua jam duæ sorores, haud segniter militabant, ingrediendi, sed pijs desiderijs obstabant variæ corporis ægritudines. Fuit tamen Divina Providentia, ut in exstructum noviter Morleacense Cœnobium admitteretur, quod quidem quantiscunque impedire potuit artibus, Cacodæmon conatus est, atque ubi primum instituit Anna, ut voti compos fieret, multis etiam tormentis dilaniavit; siquidem nocturnis Vigilijs, Religiosarum Choris cum interesset, horribili fragore multisque impactis verberibus, susque deque corpus Virgineum versans, ita omnes perterruit, ut penè ab omnibus desereretur, trepidantibus ad inusitatum spectaculum simplicibus puellis. Sed habito consilio Virorum & piorum & Doctorum, qui in columbinam mentem debileque corpusculum inferorum congestam stragem mirabantur, admissa est concorditer ab omnibus, si tamen prius à Matre, cui in delicijs erat, licentiam consequeretur. Ipsa vero orationibus adversam Matrem vincendam rata, ita flexit, ut ultro ad Monasterium ipsam comitaretur, & superiori traderet hisce Verbis: En, inquit, omnes & solæ opes nostræ: habeat sibi illas DEUS solus. Contigit hoc 5. Augusti, Dæmonibus varias indutis larvas, & non passuros minantibus, donec deinceps quarto Novembris sacro redimita velo & quasi obvallata hostium furorem penè totum compressit, tantis deinceps gratijs à Numine toto probationis anno cumulata, quantis antea plagis fuerat excruciata; dum in extasim plerumque rapta, arcanis Visionibus, Divinisque revelationibus innumeris, frui meruit. Ex Vita & R. P. Tribout.

Sui corpusculi carnifex.

Dæmoni, ut lub. flagellanda permittitur.

Christum sæpius intuetur.

Eam ab ingressu Religionis diabolus impedire conatur.

Monasterium ingreditur.

Parens diu reluctans consentit.

Jn Germania Jnferiore plurimum celebratur à magnis ingenij ingenijque talentis Henricus Van den Zipe ex Monacho & Priore S. Joannis Jprensis, & Præposito Affligemiensi, postulatus Abbas S. Andreæ prope Brugas, post mortem sanctæ memoriæ Joannis Beurier, qui præter multa alia præclarè gesta, *Verus pauperum & desolatorum*, insigni titulo, *Pater* audijt, variaque posteris singularis eruditionis juxta integritatem, monimenta reliquit, eaque inter *Gregorium Benedictinum. Ex ejusdem Cœnobij monim.*

Henricus Van der Zippe Abbas S. Andreæ.

Fuit hoc eodem anno Abbatissa in Vergaville vulgo Widerstorff Venerabilis Domina Adeodata ex familia Comitũ de Ligneville, Dominorũ de Tantoville, Tumeius, &c. non sine singu-

Adeodata Com. de Ligneville.

lari Numinis providentia, fœmina Zeli & Virtutis incomparabilis, de qua suo loco plura dicemus.

IESU CHRISTI ANNUS M.DC.XXVI
Sancti Patris Benedicti. M.C.XLVI.

SEquuti hoc anno Panhormitanorum exemplum Messanenses Siculi, sanctissimum Patriarcham nostrum Benedictum certum ac præpotentem pestilentis luis Medicum solemnissima omnium devotione & congratulatione suæ Urbis Patronum cooptant & consalutant. *Maur. Marchesius, &c.*

Lugubris hic Regibus Regnoque toti Galliarum annus est, etsi juxta gloriosissimus & Regno & universo Benedictino Ordini, felicissimo è terris in cœlum transitu Admirabilis omnino Virginis & lectissimæ Christi Sponsæ, sanctissimæ memoriæ Margaritæ d' Arbous à S. Gertrude cognominatæ, imo Gertrudes Rediviva appellari merita, vivum exemplar Totius Sanctitatis. Ædificatum recentissimè erat novum Virginum Ordinis nostri Monasterium in Urbe ad Ligerim fluvium, quam vulgo *Charitatem* appellant, Diœceseos Antisiodorensis: Sanctimoniales illius Cœnobij Religiosæ Observantiæ cupidissimæ Margaritam nostram enixè rogaverunt, adjunctis etiam omnium ejusdem Urbis civium votis, ut ad suum Monasterium dignaretur dies aliquot diversari, ut in eo Regularem observantiam institueret. Hanc provinciam libenter amplexa est de licentia Reverendissimorum Præsulum, Joan. Francisci de Gondy Archiepiscopi Parisiensis, & Egidij de Souure Episcopi Antisiodorensis, atque etiam R.dæ Abbatissæ Vallis Gratiæ (jam enim ipsa hoc ipso etiam anno honore Abbatiali se adicaverat) idque majore studio, quod regionis illius puellæ essent ad districtam vivendi rationem aptiores Parisiensibus, eo quod essent robustiores, neque in delicijs enutritæ, sed duriori vitæ suæ assidua consuetudine assuefactæ. Cùm igitur se ad hoc iter, prævia Confessione Generali & assiduis orationibus, atque assequutione Jubilæi superioris anni præparasset, egressa est è Cœnobio Vallis Gratiæ anni 1625. quarto Cal. Maij, comitantibus ejusdem Cœnobij Monialibus, Reverenda Matre Maria de Burges, Vallis Gratiæ Proprioriss. sa, sorore Catharina Campans, sorore Margarita du Font, & sorore Thomasia le Queux Conversa, cæteris collachrymantibus, quod à tam pia Matre divelli cogerentur. Inter eumdem pijs exercitijs otium & tempus traducebat.

Ad cœlos pergit B. Marg. d' Arbous.

Reformationis intenta.

Ejus Confessio Generalis.

Tandem ad portam Urbis Charitatis, quam Parisiensem appellant devenerunt 5. Nonas Maij ejusdem anni, ad quam ei occurrit R. P. Dom. Franciscus Rapine Prior S. Petri de Monasterio, & Vicarius Generalis Episcopi Antisiodorensis, omnium Parœciarum Sacerdotis, civitatis opimatibus numerosaque civium atque oppidanorum turba circumsessus. Et sic longo processionis tractu, cum suo comitatu deducta est ad Montem Pietatis (ita nominatum fuit novum Monasterium) quam ad portam Cœnobij R. Mater Magdalena Rochovard cum suis sanctimonialibus excepit, eamque ad Chorum deduxit. Tum Beata Margarita in Subsellio Superioris collocata Introitum Missæ de S. Cruce singulari vocis & cordis affectu incepit. Inde finito sacro in Monasterium ingressa, Regularem observantiam juxta Vallis Gratiæ consuetudines, stabilivit. Multi ipsam ibidem convenerunt, eosque inter Leonardus d' Estrapes Auscio-rum Archiepiscopus; qui cum ea quatuor horas de rebus Divinis colloquutus est, & discedendo ejus ingenium & sanctimoniam mirum in modum laudavit, quam & Cluniacenses nostri ejusdem Civitatis Ascetæ sæpius convenientes ejus consilio atque industria Regularem tam sanctè vivendi normam amplexati sunt.

Montis Pietatis Monasterium.

Conveniunt Margaritæ à Magnis.

Tandem Beata nostra Margarita, quæ nihil prætermittebat, ut cultum Dei ubique promoveret, tam pio labori vitam impendit. Domina de Montigny Abbatissa Carentonij provinciæ Borbonienſis in Diœcesi Bituricensi, crebras ad eam misit litteras, ut ad se veniret magnopere efflagitans, quo Regularem Monasterij sui disciplinam reſarcire posset. Quæ ejus precibus victa & salutis animarum studio, se iturum promisit, modo id probaret Jll.mus Rolandus Hebertus Archiepiscopus Bituricensis. Quod cum ille annuisset, de licentia R. P. Franciſci

sci Rapine, iter arripuit non sine magna difficultate. Nam pridie quàm iret, tres equi currus ipsius aquis submersi interierunt, atque ipsa vehementi febri aduri cœpit; ita ut omnes facile judicarent, dæmonem omnem lapidem movere, ut si quo modo posset, tam sanctum opus impediret: sed illa nihilo animo fractior vim morbi, & alias difficultates salutis alienæ desiderio superabat. Jgitur hoc etiam anno 1626. sexto Non. Julij se viæ commisit, comitantibus D. Jacobo Ferraige, Matre Maria de Burges, sorore Thomasia le Queux, Domina l'Anglois, & quodam famulo, tandemq; ad Monasterium Carentonium non sine maximo labore pervenit, ob vias scabrosas, injuriam temporis & febrim assiduam, qua sine ulla quietis intercapedine vexabatur; volebat enim tanto operi immori. Jbi Medicum adhibere coacta est jacens super duos asseres matta juncea stratos. Cum vero ob remedia morbus non remitteret, accepta benedictione à Confessario tam desideratum opus incepit, omnia necessaria ad reparationem vitæ Regularis præscribens. Quia vero acceperat, penes Dominum Parochum istius oppidi esse quosdam libellos, qui sanctimonialium animũ vehementer exacerbabant, nec mediocriter optimo illius Cœnobij statui officiebant: eum per Dominum Ferragium, ut eos sibi traderet exoravit: qui statim paruit. Hos Margarita ut primum habuit, in ignem misit & hujusmodi injuriarum amnistia res illius Monasterij constituit. Quibus perfectis, inde maximo sui relicto desiderio ad Charitatem reditura, in profesto S. Mariæ Magdalenæ ejusdem anni decessit, quamvis ob assiduos imbres & inundationes viæ natarent aquis, atque etiam ipso mane, quo discedendum erat, plueret. Sed illa Divinæ Bonitati confisa currum ascendit, & statim singulari Dei beneficio imbre cessante, sol per sudum rutilans calore suo, & ventus subinde exurgens urente flatu aquas exsiccaverunt, & postridie ad Seriacũ oppidum juris Dominæ Mareschallæ de Montigny cum suo comitatu devenit: ubi à pientissima illa Domina perhumaniter accepta est: quæ statim Medicos accersivit, eo quod vis morbi intenderetur: sed nihil profecerunt, ut & vota pro illa nuncupata, quemadmodum & flagellationes, jejunia, preces, atque etiam Reliquiæ Sanctorum admotæ, quia Deus famulam suam ad se vocare decreverat; ipsaque palam dixit; continget infra octavas B. Mar. Virginis quod ægrè videbitis: quod ita factum est. Nam postridie Assumptionis B. M. V. anno 1626. hoc Monasticæ Vitæ lumen extinctum est, in dicto oppido Seriaco, anno ætatis suæ sexto, & quadragesimo, professionis trigesimo septimo, amore vehementiùs quàm ægritudine infirmata, in gremio Sponsi amantissimi felicissimè obdormiens, editis prius, plurimis patientiæ, Religionis, humilitatis, & modestiæ signis; cum enim semper indignam sese veste religiosa profiteretur, extra Claustrum diem obire gestiebat, *siquidem tot criminibus*, dicebat humilis Virgo, *tot sacrilegijs, scandalis à nocentissima peccatrice polluto ipso Claustro, vel sic utcunque satisfaciam.* Morbus autem ille, cujus vi conflictata aliquamdiu, è vivis excessit, non morbus sed omnium morborũ congeries, imo colluvies videbatur, igne incassùm cruribus & femoribus sæpius admoto. Diu de altera tibia secanda deliberatum est, ipsa semper Margarita immota & imperterrita, pharmaca, ignes, ferrum, novaculas, invicta excipiebat, ad singula Deo ipsi benedicens, Crucis signo omnia mollescere existimans, mirabili patientis Virginis exemplo inter tot cruces & carnificinas versata, sano semper animo, & sibi præsente, incredibili pietatis affectu, inungenti sese in extremis Sacerdoti ad singula aptissimè respondit, atque rogantibus omnibus, ut astantibus Amicis benedicere dignetur, lachrymis obortis exclamans: *Sanctorum*, ait, *est benedicere: peccatorum benedici*, cui tamen cum Confessarius annuisset, sibi probari, omnibus ab ipsa benedici, nihil cunctata, nihil causata erectis manibus & corpore: *Benedicat nos*, inquit, *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, terque inclamato Jesu Sponso amantissimo, vita functa mortali, æternitati vivere, lætantibus & applaudentibus Angelis, cœpit, obnixissimè prius precata omnes sorores, ne simulatæ sanctitatis mentito intuitu, eam diutissimè lustra-

Eiusdem Abbatissa ites.

Ad Monasterium Charitatis pergit.

Prædicit suam mortem.

Amore quam morbo egrior.

Ipsius Generositas.

Sanctissimè moritur.

libus flammis Purgatorij cremari paterentur, utpote quæ communi fama & opinione pejor esset ac sceleratior. Corpus tabidum & putridum, statim post exanimationem, immortalitatem induisse visum est, exhalans odorem suavissimum, vivido & plane vegeto colore irradiatum. Unguentis dein delibutum Parisios delatum est, & celeberrimis exequijs, frequentiq; pompa exceptum est, & publico mœrore sepultum. Plurimis visa est post mortem tota radijs illustrata, tumulóque odorem suavissimum, sæpe spirante, morbis & animi & corporis, præsentissima fuit ope plane miraculosa, ita ut in morte non minus quam vita grandibus miraculis illustraretur. Illud rarius, & planè inauditum: non ex corpore solum ejus, quod de quibusdam sanctis legitur, sed & de vestimentorum ejus particulis, prodigiosum oleum dimanare. Neque minus admiratione dignum, sanguinem ejus concretum, à sacra quadam Virgine Religiosè asservatum, ad sacri corporis præsentiam, cum ad Cænobium Vallis Gratiæ transferretur, solutum prodigiosè ebullijsse. Ut de cæteris ejus, brevitatis studio, consulto silentium nobis imperemus. Scripsit Vitam ejus, & amantissimæ Ejusdem Reginæ Galliarum inscripsit, libro integro Jacobus Ferragius, Hugo Menardus, Amandus Tribout, Binetus & plures alij, acceptimusque multa ex ore Serenissimæ Dn. Dn. Catharinæ Lotharingiæ Ducissæ Abbatissæ Montis Romarici Patronæ nostræ optumæ & lectissimæ ejusdem B. Margaritæ discipulæ. Patrem habuit Illustrissimum Gilbertum de Veny d' Arbouze, Dynastam Villemontij, Matrem Joannam de Pinac, Petri Burgundiæ Pro-Regis filiam. & mirum hoc: etsi novennis juvencula religioni addicta esset, calluisse nihilominus perfectissimè linguas Gallicam, Latinam, Hispanicam, Italicam, artes etiam Mechanicas & Liberales, Architecturam, Musicam, Medicinam, cum tamen hebes planè & rudis ab omnibus haberi toto corde cuperet. Sed de ea nonnulla alia in Menologio nostro Benedictino die 16. Augusti.

Ipsæ Vestium particulæ prodigiosum stillant oleum.

Ejus Parentes.

Hoc ipso anno decedente tanto sydere, duo alia non minus splendentia in Ordine nostro suscitat Benedictus Deus in Sanctis suis, nimirum solemniter hoc ipso anno Professionem Regulæ nostræ faciente Anna Maria à Jesu Crucifixo, de qua superius Novitia, & deinceps stupenda afferemus suo loco, & sanctæ memoriæ Magdalena Regij sanguinis Virgine de Rieux, Ordinem complectente, de Passione cognominata; cujus paulo post ingentia se merita prodent, suo tempore referenda.

Anna Maria à Jesu Crucifixo.

Magdalena de Rieux.

Verum his duabus in Scholam probationis, & Calvariæ ad practicanda exercitia introductis, alteram etiam, haud minus Margaritâ etiam Regibus deplorandam in Regiam cœlestem Rex Regum hoc etiam ipso anno assumpsit: Renatam nimirum Juniorem S. Petri Remensis Abbatissam, Senicris neptem, Lotharingiæ Ducissam, absolutissimæ sanctitatis perfectissimũ exemplar. Hæc re & nomine Deo in professione sacra verè *Renata* partam tunc innocentiam in omni retinuit vita, imo omni virtutum cultu mirifice excoluit. Fuit plena Misericordiæ & charitatis, ita ut nulla in re egenis & infirmis, sive domesticis sive exteris unquam defuerit, invisens singulis diebus sæpius ægras omnes, quibus proprijs manibus necessaria ministrabat, lectulos [tanta Princeps] ipsa sternebat, scopis cubicula mundabat, ingerebat jusculà & pharmaca, raro maternæ charitatis & humilitatis exemplo, sed majore infirmantium solatio & voluptate. Verè viduarum & pupillorum mater, miserorumque præsens refugium, & portus salutaris omnibus prospiciebat, omnes curabat fovebatque, defunctis sepulturam, incarceratis libertatem, ægrotis sanitatem, quà pecunia, quà auctoritate & precibus procurabat. Majore tamen sollicitudine & munificentia, ijs aderat, qui Catholicæ Religionis gratia exulabant. Renatæ sumptibus diu vixit Seminarium Sacerdotum Angliâ exulantium, qui tum Remis degebant, ita & in Patres Capucinos benefica fuit. Talis præterea in omnibus Renata fuit, ut renata ipsa Virtus in sancta ejusdem mente videretur. Eminebant in ea raro splendore dotes illæ omnes, quibus ornari Abbatem debere docet S. Legislator noster: non stu-

Ven. Renata Fun. Lotharingiæ Ducissa moritur.

Mirabilis tantæ Principis Vita.

Ejus animi talenta.

debat

debat modo plus amari quam timeri, sed ardentissimè amabat omnes, ipsa omnium amor & studium. Præter consuetas preces, quotidie meditationi mortis, vitæ spacium aliquod litabat, de qua cœlitus multoties certior facta posterioribus vitæ annis, solis de æternitate colloquijs delectabatur. Dignitatem Abbatialem sic aspernata est, ut multoties, si per eam stetisset, magna humillimæ mentis alacritate, sese abdicasset, solius DEI divinorumque desiderio flagrans. Tandem morbo gravissimo correpta, *cella*, quam *cœlum suum* vocitabat, abscedere coacta, sororibus, quasi futurorum præsaga: *Moriar brevi*, ait, *& levabimini propediem onere magno, postremumque illud erit, quod miseræ creaturæ impendetis.* Effulserunt in suprema ægritudine Virtutum omnium in Renata infirma, perfectæ vires, patientia, abnegatio sui, comitas mirabilis, invicta quies cœlo affinis animi. Morituræ omnia Ecclesiæ Sacramenta ministravit ipse Remensis Celsissimus Archiepiscopus Gabriel de Giffort noster, vir verè Apostolicus, quibus incredibili devotione & demissione susceptis, diem clausit extremum vigesima tertia Junij 1626. ætatis suæ quadragesimo primo, verè cœlis renata, ut immortaliter viveret in felicissima æternitate, cujus corpus, dignis tanta virtute exequijs honoratum, conditum est in Mausolæo Reginæ Scotiæ. *Ex Vita per R. P. Amandum Tribout, & alijs pl.*

Cellam cœlum suum vocat.

Mortem prædixit.

Sanctè moritur.

Extinguitur eodem anno, insigne Germaniæ inferioris lumen, Reverendissimus Dominus Claudius Lornel, celeberrimi in Hannonia Monasterij Crispinensis Abbas, è S. Vedasti postulatus, vir miræ frugalitatis, innocentiæ & devotionis, hic moriturus, etsi præ debilitate vix movere se posset, sacro tamen viatico muniendus, ultro è lectulo exiliens, illud summa devotione genuflexus excepit.

Claudius Crispinensis Abbas.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXVII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XLVII.

FLorent insigni omnium admiratione, non sanctitatis solum nomine, sed summæ eruditionis fama & comprobatione lectissimæ Congregationes novæ, Anglica in Belgio, & SS. Mauri, Vitoni & Hydulphi in Gallia, Burgundia & Lotharingia, de quarum priore sic Balduinus Junius in Chron. Mor. Pag. 4. Cæterum, inquit, Monachi isti Angli (quorum primi ex Hispanicis Vallisoletanæ Congregationis Monasterijs, in Belgium ac Lotharingiam venerunt) magna cum laude Philosophiam, ac Theologiam, publicè profitentur. Sic & Monachi pariter BENEDICTINI Congregationis Vitonianæ in Lotharingia, Francia & Burgundia juventutem docent, catechizant, concionantur, sacras Confessiones audiunt, & alia munia ad proximorum salutem spectantia obeunt, &c. Unde rursus colligas quàm admirabilis DEUS in Sanctis suis, alijs, alijsque locis ex Ordine nostro perpetuo resuscitatis. Redivivum in suis sese posteris esse, quasi dans plausum, ex Archisterio suo Casinate Magnus Monachorum Archidux BENEDICTUS & Patriarcha memorabili prodigio hoc ipso anno suum splendorem prodidit. Consilio siquidem ibidem agitato, de ornando tanti Patris sepulchro, transferendaque ara majori indestructâ (quod eam nimirum olim Alexander II. Pontifex Maximus tanta solemnitate in præsentia Archepiscoporum decem, & quadraginta trium Episcoporum, ipsus consecrasset) frustra id molientibus peritissimis Architectis, arâ eâdem concubia nocte sponte loco mota & prodigiosissima luce totum montem circumdante, Organis quoque pulsante mortalium nemine, auditis, alijsque sanè mirandis, singulari Numinis dispositione loci & Patroni sanctitatem contestantibus, &c. *Videatur Marcus Ant. Scipio in Elogijs Abb. Casin.*

Varia Congregationes nunc florentissimæ.

Casinum insigni prodigio illustratur.

Altare mirè translatum.

Jterum Gallia, sanctorum hominum perditissimo hoc sæculo feracissima, stellam insignem Sydereis Empyrei cœli transmittit mansionibus, sanctæ memoriæ Patrem Joannem à Sancto Dionysio, sacræ Congregationis nostræ Fuliensis ascetam perfectissimum. De eo sic breviter, Carolus à S. MARIA sæpè citatus: Joannes à S. Dionysio Parisinus, à primis annis, in Monasterio S. Dionysij prope Lutetiam Monachus, vir fuit in Congregatione nostra, dono Contemplationis & orationis multum præditus, silentióque ita addictus, ut vix submissa

Ven. Joannes à S. Dionysio.

sa voce, idque breviter loqueretur; unde quasi in proverbium has voces usurpabat, *Facere & pati, silentio & solitudine*, maximam Monachi perfectionem in his consistere virtutibus indicans: ideóque multis annis Præfecturam Novitiorum tenuit, primus in labore manuum, assiduitate in Choro, in humilitate & obedientia reliquos anteivit. Maximum patientiæ exemplum in longioribus morbis dedit. obijt Parisijs die 1. Julij anni præsentis 1627. cujus memoriam in Menologio nostro celebramus.

Ejus Symbolum.

Ven. Margarita de Kilealdi.

Sufficitur hoc anno incomparabili Principi & Abbatissæ S. Petri Remensis, Renatæ à Lotharingia, Margarita de Kilealdi, Scota natione, à Maria Stuarta Regina Scotorum olim Renatæ Seniori commendata, utriquè chariſſima, utriusque manus quasi dextra facta, postquam adolevisset, ita ut nihil absque Margarita hac faciendum susciperent, & majorem partem agendorum ipsi injungerent. Fuit siquidem ingenij præstantissimi, morum, studiorum, usus rerum eximijs dotibus præditam. Electionem quamprimum calculo suo probavit Rex ipse Ludovicus XIII. cognita Margaritæ & prudentia & integritatè, laudans quod factum erat, & Diplomate Regio confirmans, hoc ipso quoque anno novam electam consecrante Celsissimo Principe nostro Gabriele de Giffort, Archiepiscopo Remensi. Hæc ut erat Reginæ Cœlorum addictissima, memorabili prorsus exemplo, statim post Benedictionem Abbatialem, abdicata à se dignitate recenti, multis profusis lachrymis, impensè admirabilem Matrem Virginem exoravit, ut ipsa injunctum ancillæ indignæ munus, in se susciperet, & gratiosè administraret atque exerceret; spondens se ei in omnibus obsequuturam, ac quemvis sibi impensum & impendendum in omni vita honorem, Eidem sponte concessuram, jamque ex animo concedere, sólóque vilissimi MARIÆ mancipij titulo, contentam fore, tamque Nobili obsequio velle subijci in æternum. Quare imposita Throno Abbatiali devotissimæ Ejusdem Magnæ Matris & Virginis imagine cum hoc Lemmate: DOMINÆ ABBATISSÆ: nihil sine ejus ope aggredi, nihil moliri, nec se, nec alias omnes passa est. Eodem etiam die, quo solemniter inaugurata est, ab Archipræsule nostro Gabriele; eademmet Cœlorum Augusta [à qua se nihil umquam petijsse, quin acceperit, sæpius dictitabat] revelante didicit, à se per duodecim annos regendum S. Petri Remensis Cœnobium; ac postea felicissima à Domino requie donandam, quod reipsa contigit. *Ex monimentis ejusdem Monast. & Amando Tribout.*

Eam Gabriel noster Archiep. Remensis. consecrat.

Deiparam pro se Matrem familias instituit.

Hoc etiam ipso primo Regiminis sive Margaritæ, sive Magnæ Matris & Virginis anno, prolatata longè latéque Reformationis tam sanctæ fama, postulata in Abbatissam est, Domina Ludovica de Veteri Villa, celeberrimi Cœnobij Ormantensis in Diœcesi Meldensi Antistita salutata & consecrata, cujus Monasterij exemplo, plurima sese deinceps alia similiter accommodarunt, & sanctum vitæ rigorem laudabilissimè amplexa sunt. *Ex ijsdem.*

Ludovica de Veteri Villa.

Insignes & eruditionis & Virtutis radios in Indias ipsas effundunt nostri, tam Vallisoletanæ quam Cistercienſis Congregationum Ascetæ, diversis provincijs destinati Episcopi è quibus Facundus de Torres ex Monacho S. Facundi, & Generali Ordinis concionatore Regio Archiepiscopus Hispaniolæ, ejusque successor Petrus de Oviedo Hortensis Monachus, dein Quitensis Episcopus sub hunc ipsum annum universum Pervanum Orbem insigniter illustravit. Inter eruditos Hispaniæ & Scriptores illustres celebratur hoc anno Antonius Branduonius Abbas S. MARIÆ Ulisipponensis, Philippi IV. Regis Catholici in Regnis Lusitaniæ Archi-Historiographus, qui duos tomos Monarchiæ Lusitaniæ, plena fide & industria Bernardum Britum sequens publicavit.

Facundus de Torres Archiepisc. Hispaniolæ.

Petrus ab Oviedo Archiepisc. Peru illustrat.

Extinguitur (absque affectu ullo, & nemine, qui noverit, suggillante dixerim) magnum sanè Ordinis nostri & Germaniæ universæ Prælatorum Decus & Ornamentum Reverendissimus Imperialis Cœnobij Weingartensis Abbas Georgius, à viris prudentissimis, summisque Principibus pro illuminatissimo habitus, vulgo speculum Abbatum, Pater Pauperum, Humilitatis exemplar, celebratus: sui, pluri-

Abbas Weingart. Georgius moritur.

plurimorumq; Cænobiorum ſtrenuus Reformator, Priſca ſynceritas, & longè dignioribus Titulis, Vir verè ſanctus, Religioſorum omnium Patronus; à multis ſui ſæculi Miraculum, neque privatim, ſed palam & in magnis Procerum conſeſſibus, nemine refragante, tanta nomenclatura honoratus. Jpſum Archidux Sereniſſimus Leopoldus Ferdinandi II. Jmperatoris Sanctiſſimi frater germanus pro Oraculo habuit, ut parentem coluit, in difficillimis rebus conſuluit, nonnunquam aliam indutus perſonam ſoli ipſi cognitus ſolus convenit. Præſul per omnia venerandus, qui uti in celebrando quotidianus, ſic vix unquam inter celebrandum abſque lachrymis fuit. Communibus ſæcris Religioſorum exercitijs diu noctuque tanquam cenſu ſeu ætate minimus quotidie interfuit; ægros, Novitioſque indies bis terque viſitavit, in diſciplinæ conſervatione, & promotione nunquam non totus fuit, viſus nonnulla multo antè & præſciviſſe & prædixiſſe, quin & communem Patriæ Cataclyſmum prænunciando prævertiſſe, ſuiſque Religioſis prudenter caviſſe, & loca, ut ipſe vocabat, Refugij, comparaſſe, ſic & magnorum Principum occaſum, præſignaſſe, complosiſque manibus in lachrymas, & hæc ipſa condolentiſſimè *omnis conſummationis vidi finem*, erupiſſe. Mori non voluit, priuſquam humeros ſuos gravi Prælaturæ onere exoneraret, digniſſimum ex animi ſui ſententia communi & concordi omnium calculo electum, & incredibilis animi conſolatione nactus, & arctè complexus ſucceſſorem, à quo & in extremis conſuetis SS. Eccleſiæ præmunitus Sacramentis; ijſque inexplicabili devotione ſuſceptis, tertio poſt Reſignationem menſe, die 10. Octobris incredibili non ſolum ſuorum, ſed omnium Religioſorum, imo & Archiducum, & Epiſcoporum aliorumque Germaniæ Superioris Abbatum & Procerum, Circuli maximè Suevici luctu ſanctiſſimè in Domino obdormivit; in innumeris longè latéque Cathedris deploratus juxta & mirificè celebratus; diverſiſſimorum Ordinum Religioſis, ipſi non aliter atq; proprio parenti piè parentantibus; quem ſatis etiam poſt mortem ſui venerari & oſculari inter calentiſſimas lachrymas non potuerunt, multo minus tantæ Virtutis tantorumque obliviſci meritorum atque vitæ ſanctioris exemplorum. *Excollectis & dictatis juſſu Superiorum ad calamum optimi Parentis dictis factiſq; &c.*

Pro Sancto paſſim proclamatur.

Mira prædixiſſe creditur.

Pater diverſorum Religioſorum.

Libet vel obiter à Georgio Abbate ſanctæ memoriæ ſui inprimis Weingartenſis Cænobij aliorumque ab ipſo reformatorum Monaſteriorum formam obiter adumbrare: Clauſuram inprimis, quod revera Clauſtrum æquè eſſet atque diceretur, voluit talem eſſe, quæ non tam ſeni alicui Religioſo juxta Regulam commendaretur, quàm curæ Jpſimet Abbati, & in Conventu Priori incumberet, & nemo intraret, neque quidquam abſque illorum præſcitu & licentia ſive importetur, ſive exportaretur, adeoque nemo cum exteris correſponderet, ſive etiam correſpondere poſſet. Fuitque in eam rem uſque adeo ipſe intentus, ut ſuum ipſe conclave eo vel maximè ſpectare vellet, ut & portæ Principis, & inde ad portam Conventus tranſitus ipſi in oculis ſemper eſſet, quod perfectiſſimè noſſet, quantum Clauſtris prioris ſæculi, Religioſorum cum ſæculo, imo quibuſcunque exteris, Dei domeſticis communio, & converſatio ſemper nocuiſſet. Hinc frequens loca Conventus omnia tanquam ſedulus & ſollicitus paſtor obire, & an ſuis caulis bene occluſæ oviculæ, viſitare, Oſtiarium convenire, quidque elatum, illatumque exquirere, ut ſuſpecta merito ejus vigilantia omnibus eſſet, nec inaniter, viro tam ſancto, multa divinitus revelari metuerent. Hinc etiam extra cellam vagari placuit nemini, cum vix non poſſet in manus ejus incidere, & de cauſa vagandi illico interpellaretur, vel ad Priorem deferretur. Jnde tanta quies, tantum in Cænobio ſilentium, ac ſilentij ſtudium, ut in cellulis tanquam ſepulchro incluſis, merito apprecareris, *beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Et: *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.* Etſi etiam pleriſque illuxit, ita ut in cellula viderent, quæ extra minimè advertiſſent, & utiliter occupare ſe diſcerent, adeoque nauſeam cum turpi otio à ſe prorſus diſcuterent, imo guſtare quam ſuavis eſt Dominus inciperent, ſemperque utilius

Reformatio Salutaris.

Unde Clauſtrum dicitur.

Sollicitudo veri Paſtoris.

Extra cellam vagari pernitioſum.

Silentij utilitas.

lius & religiosius sese occuparent. Sed & secluſissima aula, & gravissimè cautum fuit, ne quis hospitibus sive aulicis ministris se adjungeret seu colloqui posset; ipsisque Officialibus Religiosis inhibitum ne præter horas sacris destinatas exercitijs & mensæ Regulari, in Conventu se detinerent, sive quidpiam de rebus exteris inferrent seu referrent. ita ut revera Sacer Conventus verum Clausstri nomen obtineret, & ab omni communione sæculi, in sancta quasi solitudine constitutus videretur.

Quales Oeconomi, Granarij?

Erant autem viri gravissimi & Religiosissimi in aula, & qui hospitibus, disciplinæ Clausstralis, singularis modestiæ, temperantiæ, pietatis, sobrietatis, exempla præferrent, & honori suo Cænobio totique Ordini essent, quos præ alijs sæpius voluit à negotijs sæculi semotos, sacris, ut vocamus, Exercitijs in Conventu ipso secluſos, exerceri.

Paupertatis studium.

Sacræ paupertatis studium, & suo exemplo & singulari instantia & vigilantia mirificè promovit, vestibus proprijs sæpius refectis eo usque usus, donec plane inutiles redderentur. Ipsus quoque in Abbatiali conclavi, nihil ornatus nec nisi pictam vili pretio Crucifixi imaginem & cupro expressam Deiparæ iconem admisit. Cæteris omnibus nec una quidem alia imago in cellulis permissa quam Crucifixi & Deiparæ cum Puero Jesu in ulnis, unius, ejusdem que à ligno impressionis; ut Capucini quotquot intuiti essent insigne hoc paupertatis studium mirarentur. Sed & quæ ad Breviarij usus permissæ viles admodum erant, nec ullo unquam tempore in recreationibus in exercitio ludorum honestissimorum concessum pro qualicunque vilissima imagine concertare, sed solummodo pro unius Ave Maria recitatione. Dicebat autem frequentius sollicitus pastor: *cavendum serio à Superioribus, ne etiam in rebus vilissimis, usu talium creſceret habendi desiderium, & quod non aliam, quam quæ Mendicantium Ordines, paupertatem profiteremur.* Possem exempla prorsus miranda studij paupertatis exactissimi referre, quale non neminis cum paulo ante mortem, reculas suas excutiens modicum quid, chartæ variè coloratæ [cujus hodie multus usus est) deprehenderet, statim ad Superiorem referret; asserens: *se metuere, nequid paupertati contrarium à sua morte, alijs in scandalum relinqueret.*

Patrum Conventus Paupertas.

Res digna memoratu.

Verè pauper Religiosus.

Jta in usu ciborum & potus plurimi adeo cauti, ne sanctæ contravenirent Paupertati, vel etiam sociæ veræ paupertatis sobrietati, esuriei quoque & siti nimium indulgere sibi videbantur dum revera soli satisfacerent necessitati. Erat plerisque tantum paupertatis studium, quantum avarissimis habendi est, nec mirum inde tanto etiam alia perfectionis studia & augmenta proveniſſe, ut celebre omnino Cænobij nomen esset, & certatim inde Religionis exemplaria ad varia loca postularentur. Jn Cultu Divino, Missarum oblatione, Divini Officij persolutione talis omnium devotio fuit, ut nemo non audientium sive spectantium compungeretur & mire accenderetur. Nunquam etiam, plurium decursu annorum, monitione opus fuit, nequid nimium deproperaretur; nequis sese Choro subduceret, nequid Choro indignum admitteret. Cæterum Cantum Gregorianum Georgius Abbas mirè commendabat. Figuratum raro admittebat, & hunc rarissime ad organum, absque ullo alio Musico instrumento quæ pessimè oderat, *& multas olim in Ordines diverſos distractiones, ſacri rigoris, & ſilentij relaxationes, in ipſo templo levitates, imo ſcurrilitates inductura prædixerat.* Jpse sub Gregoriano cantu sæpius, ferè autem semper dum sacris operaretur lachrymis defluebat. Sollicitus vel maximè fuit, quomodo se quivis occuparet & Priori atque Subpriori sæpe ac serio commendavit, nequem otiari permitterent, sed omnis generis utiles occupationes excogitarent, & cuivis ingenio convenientiora exquirerent, ne in pernitiosissimo Religiosis otio turpiter mergerentur. *Senipectas*, ut vocat sanctissimus Legislator noster, plures habuit, viros revera spirituales, lucrandis animabus intentissimos, qui scitè admodum etiam apud illos insinuare se poterant, qui seipsos regere minus poterant, sive per ætatem, sive aliquam animi dissolutionem, quorum opera feliciter usus est, ita ut per sua colloquia, Dei spiritu accensa, plurimos non solum lucra-

Sobrietas Religiosorum.

Cultus Numinis.

Gregoriani Cantus commendatio.

Instrumenta Musica proscripta.

Otij proscriptio.

Senipectarum usus & commoda.

crarentur, sed aptos quoque redderent alios lucrandi, & ad studia perfectionis accendendi. Nec pauci fuerunt hujusmodi, quorum opera evenit, ut plurimi libentius de rebus sacris & Divinis quàm de profanis discurrerent, & revera qui inde revertissent, insigniter se recreatos faterentur. Odit pessimè vino plus æquo deditos, & curandum omnino dixit, ne ad domestica negotia promoverentur, ne vel excedendi occasionem haberent, vel scandalo alijs essent, requiri autem ad negotia Cænobij exemplaria summæ sobrietatis, & benè fundatæ modestiæ & Religionis. Novitiorum curam tantam habuit, ut nulla non die Novitiatū, imo ter plerumque & sæpius visitaret, cum Conventum quotidie sedulus obiret, idque unum, quod verus pastor, vigilando semper sollicitè ageret. Scisciatus autem: *quomodo sacri Tyrones se haberent?* cum quandóque ab ingenio feliciore commendarentur: *nolim nolim ab hoc mihi commendentur, quæ heteroclita plerumque sunt, nec communi gradiuntur semita, sibi magis & suo arbitrio vivere promptiores, quàm Superiorum:* Addens: quod si dein omnia absolverint studia, Cellarios magis exambiant agere, quàm uti talentis à Numine concessis. Retulit autem: *eo ipso ineptissimum quemque se prodere & irreligiosissimum, qui comprobetur talia munia affectare.* Ridiculum illud quod ipse sæpius narravit: *occurrisse quandóque ad se, qui paulo post moriturum se assereret præ vitæ tædio, nili ejusmodi occupationem haberet. Ergo, mi Pater, aliter Te ad mortem disponas, & sacra statim Exercitia facias. neque enim conducunt ad vitam quæ desideras.* Nos, *qui Religiosi sumus, aliam vitam, & ad hanc alia media inquirimus.* Dixit autem: *mediocria se amare ingenia, quæ labore acquisita & servent diutius & exerceant libentius. Sanctissimum vero Patrem, longè alia exquirere in Novitijs: si verè DEUM quærat? si sollicitus sit ad Opus DEI? ad Obedientiam? ad opprobria? &c. Quæ nos Senes oportebat à teneris annis exercitatos multo perfectius addidicisse atque inde erubescere, si non melius Novitijs calleamus.* Suos ad nutum omnem tam promptos quàm obedientes habuit, solitus dicere: *Nemini pejus, quàm si sibi relinqueretur, nemini melius, quàm si sibi nihil optaret, sed in Obedientia & scopum & felicitatem poneret.* Et re vera idipsum & experti & fassi permulti sunt: *Nusquam, quàm cum Obedientia consistere DEI benedictionem. Domus DEI decorem diligere se dixit, caterum adium Asceticarum & Conventus, absque ullo splendore modestiam & commoditatem.* Nullos sibi chariores hospites dixit, quam quos in oculis mensæ suæ videret, humi considentes, Superiorum commendans industriam, si nihil levium etiam culparum sinerent impunitum.

Crapulæ detestatio.

Novitiorum cura.

Ingenia magnæ sæpe periculosa.

Qui Religiosi inepti ad profana Officia.

Insignis & prudens Abbatis responsio.

Requisita Novitiorum.

Seria monitio.

Obedientia Religiosorum.

Splendor Domus Dei.

Hospites gratissimi.

Fuit insigni in omnes filios charitate, unde etiam ab omnibus unicè dilectus, ut nihil non ultro caverent & fugerent, quod tam charo parenti, aut tristitiam faceret, aut displiceret, nedum gravius offenderet. Circa ægrotos mira sollicitudo, & cura extitit, quos sæpius in die visitavit, & animavit, & si è vita periclitarentur, consilio salutari ijsdem adfuit, totique sacro Cætui eosdem in preces commendavit. Sic & subditos Cænobij tanquam filios dilexit eosdemque benigne habuit, & à suis haberi voluit, ut & ipsi non tam Dominum se habere quàm Patrem faterentur. Ipsum summi infimique coluerunt mirificè, & plerique pro sancto habuere, & passim etiam celebravere. Ipsum Archidux Leopoldus patrem appellavit & caput illius modicum detegens capillósque canos manu demulcens albæ gallinæ filium se appellavit. Veldkirchium quandóque cum idem occurreret, & tunc in S. Joannis præsens Abbas Georgius, ingressuro Urbem pedes bacillo nixus obviam veniret, equo desiliens illico Archidux, eidem passis brachijs, tota spectante Urbe & ipse obvius ivit, & senem arctè complexus scipionem minoris notæ eripuit, sibique retentum suum ex ebeno dedit quo cum multa deinceps contulit. Ad ipsum alias sæpius ex itinere divertit, quandóque Archiducem dissimulans unico comitatus famulo, solus cum solo cænavit, & in multam noctem, gravissima cum ipso negotia contulit. Sic & sacros ejusdem filios magni fecit, & ad diversa Tirolis, Alsatiæ, Brisiacæ, Herciniæ Cænobia Religionis exemplaria & Colonias expetijt, cumque ijsdem Regulari sæpius

Charitas Abbatis.

Ægrorum cura.

Subditorum parens.

Amor Principum.

Archiducis charus.

Hujus devotio.

mensâ uti, in delicijs habuit. Nec minus Georgium Duces Bavariæ coluere, varijs muneribus honoravere, aliaque inter Sacellum ejus domesticum pretiosissimâ altaris tabulâ Ebeno & pretiosissimis Reliquijs sanctorum circumdatâ, cum alijs sacris muneribus & paramentis donavere. Sic & Catharina Archiducissa & ipsum & sacros ejus filios coluit, ut proprijs manibus auro & argento sacra vela texeret, & bellaria conficeret, in solatium Regularis jejunij Conventui de nocte pro cænula, quam Collationem vocant, dispensanda. Jta Episcopi diversi, exteri eo sæpe divertentes Principes Hispani, Itali tanti Abbatis contuitu alloquioque capti, rapti, Religionem & sanctitatem ejus multis præconijs celebrarunt, è quibus nonnemo libenter visurum se dixit, quantis honoribus à morte Ipsum prosecuturus suus Conventus esset, dum nescio quantæ molis sumptuumque Mausolæo ipsum crederet honorandum. Jpse vero sibi commune, sibi cum Fratribus suis sepulchrum elegit, nec Epitaphium aliud scribi præcepit quàm: *Obijt Frater Georgius Abbas &c.* Abbas tamen mori noluit, sed gravi ante mortem sarcina liberari, de Successoris ad Abbatiale munus requisitis commendandis valde sollicitus, ne alius quàm qui tanto muneri esset aptissimus deligeretur. Fuit is ipsus ex omni animi ejus sententia, cui plurimis annis Conventum, Prioris Titulo commiserat Franciscus, Joannis Francisci Liberi Baronis de Landrsee, qui hodie tot Legationibus ad diversos Jmperij Principes & Conventus procerum industriam suam probat commendatque Cæsari, ejusdem in Aula Electoris Moguntini Oratoris & Residentis, patruus, frater Germanus Georgij Electi Curiensis Episcopi & Decani Cathedralis Constantiensis, nec non Conradi Cathedralis Augustani Canonici, omni Virtutum genere cultissimus. Cujus Electione tantopere sanctus senex recreatus est, ut vix præ gaudio capere se videretur, ac propterea suis mirificè gratularetur; ac prorumperet in illa grandævi Simeonis, *Nunc dimittis Servũ Tuũ Domine, &c.* Fuit Franciscus hic Georgij Successor, Jmperialis Vinearum Cænobij Abbas, Angelicæ puritatis animo præditus, totus dum Priorẽ ageret, rebus Divinis & spiritalibus deditus, tali modestia, frugalitate, mansuetudine, inque rebus gerendis dexteritate, ut nemini non & admirationi & venerationi esset. Poterat solus ipsius contuitus pro Regula omnibus esse, ita ut quid quivis delinqueret, ad ipsius integritatem comparando merito erubesceret & corrigeret. Jpse inscripta cordi omnium nomina habuit, imo ut mater filios sinu suo fovit, Novitios autem & Juniores velut lacte pavit. Horum confessiones ipse excepit, & singulis, quæ legerent, quæ meditarentur præscripsit, quæque legissent & meditati essent, ita familiariter & suaviter cum illis contulit, adeóque efficaciter ad altiora Divinarum rerum studia ipsos concitavit, ut non possent non ejusdem monitis gratiosissimis acquiescere & proficere, cum omnis alloquutio ejus, ipsaque vocis & morum gratia omnes mirificè afficerent, omniumque corda raperent & arctè attinerent. Jnde mutua quoque & verè fraterna inter omnes affectio, ut in hæc Psaltis Regij unanimiter omnes conspirarent: *Ecce quàm bonum & jucundum, habitare fratres in unum.* Certè talis Cænobij status hoc tempore fuit, ut non primævi solùm Ordinis, sed Ecclesiæ sub primi laboris Apostolici fructuum tempore faciem referret, & undecunque sive Religiosi, sive sæculares hospites occurrerent, Deo Domino laudem darent, & in hæc Davidica erumperent: *Beati qui habitant in Domo tua Domine* dum revera cœlestis quædam fragrantia omnium animos afficeret. Cæterum quo jam antequam Abbas eligeretur erat ferventissimo ad Cultum Deo promovendum animo, mox ab Electione conspicuum, omnibus reddidit, quàm exactè ea sibi Psalmi convenirent: *Domine dilexi decorem Domus Tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Cum omnes suas cogitationes eo intenderet, deque nulla re alia sæpius & ferventius colloqueretur, quàm quomodo Ecclesiam suam pro dignitate Numinis excoleret & adornaret; Ac proinde in cognitionem veniens Architectorum Liguriæ Principis Guilij Bensonis ejusdem Redivivi Apellis, ipsi per litteras mentem aperuit, tantique viri consilio, totam Cænobij Basili-

Alij Principes quanti ipsum faciant.

Exteri Principes.

Ejus humilitas.

Ejus successor Franciscus.

Francisci Abbatis ex fratre nepos.

De Francisci Electione plausus.

Regularis Vita exemplar.

Novitiorum Institutor.

Hospitum admiratio.

Fama Cænobij & gloria.

Francisci Abbatis pia intentio.

silicam, fornicibus concamerare, singulari inventione ex cupro constituit, & hoc quamprimum, non minimo sumptu statuit, quod columnæ templi ex unico quævis & solido lapide, lapideæ sustinendæ moli non sufficerent, sed & Bensoniana manu tabulas omnes altarium pingi curavit, tanta revera Apelleæ artis commendatione, ut nil illis simile longè latéque spectaretur. Sed & ad alia templi ornamenta peristromata sacrasque Conversus vestes animum adjecit, nihilque non Deo dignum voluit, quantum illo largiente posset, in ipsum refundere gestiens largitorem, grati animi signa quanta posset referendo, & referre gestiendo. Et revera tantos conatus placuisse Numini & ipsi patuit & universis, tanta affluente cœli benedictione, ut à tot conditi primum Cœnobij sæculis, nullo unquam tempore, adeo celebre famâ, fortunâ, sacrâ & profanâ rerum omnium affluentiâ & beatitate emineret & effulgeret, donec communi patriæ tempestate & calamitate involveretur, & cataclysmo Suecico inundaretur. Jn quo tamen Franciſci noſtri, in adverſis conſtantia & erga Deum fiducia in ipſo exilio tantopere emituit, ut admirationi omnibus eſſet, gratiaſque non minus Deo quam rebus proſperrimis ageret, aſſereretque: ſi etiam neceſſaria vitæ & panis ſibi quotidianus deeſſet ac deinceps deforet, excogitaturum nihilominus quæ largitori rerum omnium daret, qui ſibi nihil deberet & tamen dediſſet & ſe tantopere ad reddendas gratias obligaſſet, quas aliter reddere non poſſet, niſi honorem ipſius pro virili promovendo. Jntercepit conatus maximos & præmijs æternis antevertere voluit Magnum Numen, & tantis quas nunc experimur procellis ac fluctibus, grandini & fluminibus in montes æternitatis præripuit, cum vix decennium Vineæ verè electæ & Deo dilectæ præſtitiſſet, cujus aliàs Vitæ præclarè geſta ſingulari & pleno volumine deſcripſimus. Deceſſit Præſul verè magnus & æterna dignus memoria 1. Oct. anni 1637. ſibi ad extremum uſque anhelitum præſentiſſimus, ſub Veſperis & cantico exultationis Marianæ Magnificat, cum paulo ante mihi imperaſſet Litanias Lauretanas pro felici morte recitare, & ut poterat quàm devotiſſimè reſponderet. Cujus Virgineum corpus ſub Anatomia adeo nihil corrupti odoris prodidit, ut qui aderant ſupra modum mirarentur. Sub hoc Vinea Domini verè floruit, latè fronduit & tanquam Octobri menſe fructum uberrimum dedit in tempore ſuo. Nunc vero ad ſemitam Hiſtoriæ redeamus.

Domus Dei decor.

Divina approbatio.

Rebus adverſis laudata conſtantia.

Nil ſanctius animi gratitudine.

Franciſci Abbatis Vita & geſta.

Extinguitur hoc ipſo anno memorabile ſolidè ad Deum converſæ & mirè pœnitentis Animæ exemplar, Venerabilis Maria Bonaventura, Romana Patricia, Monialis Ordinis noſtri, Monaſterij Turris Speculorum, quæ per ſacra Exercitia viri Sanctiſſimi Garziæ de Ciſneros noſtri à S. Jgnatio tantopere commendata & prolatata, ab eâdem ſuſcepta, tantos moventis gratioſiſſimè dextræ Dei impulſus experta eſt; ut tota prorſus mutata, & nova quaſi Numinis effecta Creatura, ex eo tempore admirationi omnibus eſſet, & brevi agone conſummata, expleret tempora multa. cujus vocationem & converſionem, plurimis, ut ſperamus fore ſalutarem, ſubijcere placuit. Deceſſit hoc anno die 26. Februarij. *De qua R. P. Nicolaus Lancicius è Soc. J. Tom. 1. Opuſcul. Spirit. Opuſc. 6. cap. 22.* quem nunc ipſum audiamus:

Ven. Maria Bonaventura.

Extat Romæ, inquit, *Monaſterium, Turris ſpeculorum appellatum, pluribus quàm centum è primâ Romanâ nobilitate Virginibus refertum, & magnæ probitatis famâ, eaque non inani celeberrimum, à S. Franciſcâ Romanâ fundatum, Ordinis Sancti Benedicti. Jn hoc Monaſterio anno 1626. vixit ex nobilibus orta parentibus Romanis Virgo, Maria Bonaventura, inſigni ſpecie corporis, & raro ingenij acumine, ac judicio prædita; aſtrorum cognitione, & ſcribendorum Italicè verſuum peritiâ ornata, & ob generoſitatem animi, ac morum ſuavitatem, cum eximiâ prudentiâ conjunctam, omnibus valdè charaſed ſpiritualibus rebus ac perſonis parùm addicta, & latis converſationibus cum domeſticis & ſecularibus plus æquo dedita. Hæc per occaſionem, ut ſpiritualibus ſe ſineret Exercitijs excoli, quoniam ob naturæ indolem ad præclara quæque aptiſſima videbatur, compellata, reſtitit initio, & cum cachinno conſilium rejecit. Tandem verò alijs quoque Monialibus eam perur-*

gentibus manus dedit, naturâ licet admodum repugnante; & rogavit Confessarium, hæc ut exercitia pro DEI amore sibi quoque traderet.

Apparavit se ad illa pura, & ingenti ad Deum fiducia, cujus amore insolitum sibi elegisset secessum, & insuetum silentij rigorem, cum diuturno meditandi labore; lætitiâ grandi, quod videret amplam sibi à Deo fieri tractandi, & agendi cum ipso liberrimè pro salute suâ, & beatâ æternitate potestatem; Firmissimo animi proposito vincendi naturæ repugnantiam ad solitudinem, & Exercitiorum difficultatem; Nudâ denique, & nullâ exceptione, aut limitibus circumscriptâ sui oblatione, suaque in Divinam Voluntatem libertatis transfusione; ut se, candido velut folio scribere dignaretur Deus, quæcunque deinceps vellet abeâ, sive deseri, sive vitari, sive inchoari, fieri, atque perfici,

His 4. affectibus armata in apertum cum naturâ, ac dæmone certamen descendit, & ipso Martij initio Anno 1626. Exercitia inchoavit; quorum primo die cum per horas aliquot summâ mentis attentione ponderasset finis, ad quem creata erat, excellentiam, mediorumque ad eum consequendum neglectum, deplorato inprimis tam insigni tantorum beneficiorum abusu, gratissque pro tam nobili Creationis suæ termino, ac præstantiâ mediorum ad eum obtinendam actis, imploratis deindè divinis ad illum necessarijs auxilijs; Tanto repentè lumine & fervore divinitus se repletam sensit, ut se generosissimè resolveret ad ineundam deinceps perfectissimam vivendi rationem, à vitâ anteactâ prorsus diversam.

Stabilitâ coram Deo hâc resolutione, ipso illo die Confessarium adijt, & successum Meditationum narratura, sic exorsa est; Pater non oportet amplius jocari cum Deo; agnovi, quid à me velit Deus, quid nolit; volo tota esse Dei, ex totis viribus conari, ut sine ullâ morâ sancta evadam, non qualiscunque, sed Magna; & citò, *& confirmata in proposito læta abijt, ac re cum nullo communicata, pulcherrimo quo solebat, non fœmineam, sed virilem elegantissimi scriptoris manum referente charactere, hanc sui oblationem post mortem illius primùm repertam, Italicè scripsit:*

EGO MARIA BONAVENTURA Serva indignissima Crucifixi, qui motus infinitâ suâ bonitate dignatus est hoc die Veneris, quarto Martij 1626. dum Exercitia facio, dare mihi tantum robur, post multas & infinitas inspirationes, quibus ingrata semper restiti, convicta tandem à Divinâ gratiâ in conspectu SS. Trinitatis, B. Virginis meæ Matris, S. Franciscæ, & S. Mariæ Magdalenæ, meæ peculiaris advocatæ, & totius Curiæ cœlestis, propono tibi & offero Jesu sponse animæ meæ, à me infinities offense, nunquam amplius tradendi affectum meum ulli creaturæ extra Deum; ubi agnovero intercedere affectum, & tui servitij remoram; quod desidero, & propono obire cum maximo, quo potero fervore, adjuta Divinâ gratiâ tuâ, sine quâ cognosco, ne me quidem unam cogitationem posse dirigere ad cœlum. Et hanc oblationem Deus meus, & propositum quod facio, avellendi me à rebus omnibus, quæ me possunt à tuo sancto servitio elongare, tam libenter facio, ut si post mea obsequia totâ vitâ meâ tibi impensa volueris me detrudere ad infernum, ero contentissima, dummodò in me tua sanctissima Voluntas adimpleatur. Quocircà scriptam hanc meam meæ propriæ manus tibi dono, & consigno Jesu Creator, & animæ meæ Redemptor, eamque in tuo sanctissimo latere depono, rogans per pretiosissima merita Sanguinis tui, ut mihi condones omnia peccata mea, nec permittas Dilecte Deus meus, te unquàm amplius à me offendi, cùm amplius non sim mea, sed tota Tua, Amen.

Factâ hac sui oblatione perrexit in faciendis Exercitijs per 10. dies tantâ animi puritate, ut in Confessione etiam Sacramentali toto illo decem dierum spatio, ne minimum quidem Veniale peccatum abeâ commissum fuisse deprehensum sit; eo item fructu, ut post absoluta Exercitia præcipuum ejus studium fuerit, conservandi animam in summa quæ posset reperiri in hâc vitâ puritate; Omnes internas & externas actiones suas faciendi planè & adæquatè juxtâ lumen sibi divinitùs concessum; Amandi crucem in omnibus & per omnia, cum desiderio patiendi quamplurima pro Deo, omniaque tolerandi sine excusatione, sine defensione; procurandi denique citò magnam sanctitatem, idque ob solum Dei gustum, & gloriam.

Ferebatur ad hæc proposita tanto affectu, ut ardere videretur ferventissimo illa quàm perfectissimè exequendi desiderio. Hinc omnes omninò divinas inspirationes, nullâ earum exceptâ, etiam in difficillimis rebus executioni perfectè mandavit, adeò immutata horum Exercitiorum beneficio;

ut

ut prorsus omnes inordinatæ affectiones, multorum licet annorum consuetudine in eâ roboratæ, ex ejus animo excesserint, idque tam perfectè, ut non tantùm non amplius placerent ea, quæ illi anteà in amoribus fuerant, sed vehementissimè etiam displicerent, & tanquàm res fœdissimæ & amarissimæ sensibilem quandam nauseam illi moverent.

Fovebat, alebátque, & augmentabat calorem istum quotidianis Vitæ, ac Passionis Christi meditationibus, fugâ occasionum peccandi, & otij; spiritualium librorum lectione; exactâ silentij observantiâ; repugnantiarum quarumdam assiduâ mortificatione; accuratâ sensuum, oculorum præsertim, custodiâ; ternâ aut quaternâ per hebdomadam SS. Eucharistiæ sumptione, maximè verò prævia eorum, quæ faciebat, aut dicebat consideratione, quibus studijs eò, Deo adjuvante, pervenit, ut à deliberatis Venialibus esset libera; sæpè verò nullam ad Confessionem asserret absolutionis materiam, sed aliquid ex vitâ anteactâ confiteri cogeretur; nec in plures, quàm duos aut tres ad summum, laberetur indeliberatos defectus per totam hebdomadam, eósque levissimos, dum interdùm, quod rarò accidebat, ob fragilitatem humanam à perfectissimo operandi modo recederet.

Nunquàm posteà de ullâ re questa est; nunquam ab ullo casu perturbata, multas licet & justas querimoniarum, ac perturbationum haberet causas; nunquàm deinceps minimam etiam temporis partem otiosè traduxit; nunquàm ullius dicta vel facta verbo vel mente perstrinxit; nunquàm ullam personam accusavit; nunquàm ullum ullius defectum alteri narravit; sed excusabat, & commendabat omnia. Tantus in eâ perfectissimæ Castitatis amor deinceps enituit, ut à primo Conversionis die usque ad vitæ suæ ultimum nullum prorsus Veniale peccatum, aut sine peccato defectum in materia Castitatis & honestatis admiserit. Eum in finem ab omni etiam involantaria impuritatis imaginatione rerum etiam non malarum, sed naturalium custodivit animam suam, eáque de caussa statim quasdam pias imagines, valdè pretiosas à magni nominis antiquis pictoribus miro artificio pictas, sibi anteà valdè charos, eliminavit è cellâ suâ, eam tantùm ob rem, quod parvula sanctarum personarum corpuscula repræsentarent non undique tecta. Nunquàm posteà, quod solebat anteà, usa est rebus odoriferis, vel pretiosis, solo tantum argenteo cochleari, & furcinulâ retentis. Omnes libros spirituales non tractantes abjecit. Ab omni etiam honestissimo tactu aliarum Monialium, & Vestium illarum abstinuit. A colloquijs secularium, pulvere nimirùm Religiosorum cordium, etiam consanguineorum, aliarumque illustrium personarum, quibus anteà magnopere delectabatur, penitùs sesè abstraxit, atque ita respectus humanos, tineas illas bonarum actionum, generosè calcavit, omnibus prorsus munusculis dandis accipiendisve à quocunque, & ad quemcunque contemptis. Quo verò plenius Divinæ se Majestati dicaret, capillos, quibus nuper prolixioribus delectabatur, ad ipsam capitis cutem abscidit; Omnes flores etiam manu artificiosâ, qua ipsa mirificè excellebat, efformatos extulit è cella; quin Reliquiarium adeò, Crucemque argenteam inde asportavit, sæculo è vilissima materia, quo inclusas pauculas sanctorum Reliquias, cum effigie S. Eulaliæ, ac numismatis sanctorum Caroli, & Franciscæ, schedulaque Votorum suorum, & Oblationis suæ pendentes è collo habebat, contenta.

Omnia, quæ faciebat, cum eximio fervore facere conabatur, & cum internis actibus valdè intensis, & ardentibus, ut eò majorem gustum præberet DEO, propter quem purè agebat omnia. Totum tempus ab officijs manualibus vacuum, orationi dabat tanto affectu, ut nulla alia esset occupatio, non superiori animi parti tantùm, sed inferiori etiam æquè jucunda. In istis porrò manualibus officijs orabat assiduè, habebatque in ijs non tantùm unitam DEO mentem, sed eam quoque plenam intensis ergà Deum affectibus, cum certò quodam ardore bullientis cordis & divina charitate æstuantis.

Cum fama esset, nullis teneri Virgines illius Monasterij ex Navarri sententia Religiosis votis, Maria Bonaventura conceptis, ad ea, & disertis verbis sesè obstrinxit; Et aliàs pia quadam Epistola, ad Virginem Gloriosam in cœlis existentem Italicè, & ferventer scripta, eandem Divinissimam Virginem sui ipsius, quæ, & quanta fuerat, constituit hæredem, anima, corpore, potentijs, viribus, sensibus, &c. Illi donatione irrevocabili transcriptis; quibus omnino Votis oblatisque DEO intimior facta, extrà Ordinem liberalem in se Ejusdem manum persensit, tum alijs in rebus, tam præcipuè in triplici spiritûs Gustu, ad

quem

quem in grada valdè sublimi repentè pervenit; Rerum, inquam, divinarum perpetuo gustu, cujus beneficio nullum deinceps etiam involuntarium passa est unquam in divinis rebus, prolixis concionibus, lectionibus, Missarum protractionibus, &c. tædium, quæ anteà nec sacro ad dimidiam horam duranti patienter adstiterat; Gustu ad Virtutes ac Sanctitatem tàm ardùè sibi indito, ut solâ simplici, & instantaneâ Virtutis alicujus apprehensione, citra moram efficàci eam exequendi Voluntate raperetur; Gustu denique ac fame insatiabili quarumvis adversitatum, & afflictionum, famam præsertim & honorem impetentium.

Vigebat quoque in eâ admirandus ad Cruces etiam corporeas affectus. Bis quotidiè per longum temporis spatium se flagellis acriter cædebat; ollas & lances in culinâ eluebat, in opera servilia ultrò, & spectantibus etiam politicis, contemptus, confusionis, sanctique pudoris avida se ingerebat. Infimæ Monasterij famulæ, manus horrendas, & fœtidâ scabie infectas habentis, medica herbarum folia purulento sanguine sanieque fluentia magnâ animi voluptate tanquam dulciora super mel & favum exsuxit.

Divinæ fruitionis tempus, cùm poposcisset charitas abrupit, carentes solatio sorores, jucundâ visitatione, & pijs colloquijs levans: morosâ & tetrica nunquam, graviter læta, ac piè hilaris semper. Juniores Monasterij Virgines, ut totas se Deo, ac spiritualibus impenderent, exemplo, precibus in cœlum effusis, pijs suavibusque sermonibus accendit. Affectum ad carnem & sanguinem penitùs exuit. Cùm contigisset, ut uno eodemque tempore quinque proximi consanguineorum in morbum incidissent, eique negata fuisset potestas à Monasterij Præside visitandi infirmos illos, quam tamen similem ob causam alijs Monialibus concedi cernebat, tulit id æquo, & hilari animo, cùmque Monialis alia ætate & auctoritate gravis id ei se impetraturam promisisset, obstitit omni conatu, nè id faceret; non decere, aiens, in Christi famulatu extortâ per preces uti licentiâ.

Nullam prorsùs rem, etiam bonam anxiè, & absque æquilibrio animi, aut cum perturbatione aliquâ desideravit, sed tanquam Imperatrix & Domina suorum affectuum non sequebatur illos, sed eos illuc, quò Deus & rectâ ratio vocaret, dirigebat, & nullo prorsùs casu, sive proprio, sive alieno perturbabatur. Hoc nempè erat ei maximè in Votis, primumque, & altissimum illius studium, ut per imitationem Sanctorum; ac Verbi Incarnati, ad similitudinem cœlestium Spirituum mentis & corporis sui statum componeret, & purissimâ Beatitatis tranquillitate, ferventem in rerum Divinarum amore animum, & corpus servaret tranquillum.

His pastibus currentem in Stadio Virtutum, seu potius volantem, cùm jam cœlo maturam videret Deus, acutissimâ pleuritide, & febris maximis doloribus, quibus per spatium quatuordecim dierum cruciata est, plenè purgatam ad se evocavit. Non erant fervori illius intensi satis dolores; petijt igitur magnoperè à quodam Dei servo, sibi ut eos impetraret gravissimos; quos cùm potiùs voto sentiret vehementissimos, adeò tamen generoso animo tulit; ut fassa sit Confessario humani quidpiam in tantâ acerbitate metuenti, omnes illas sævitias sine ullo impatientiæ nævo, aut perturbatione animi, imò cum magnâ lætitiâ internâ, majorumque tormentorum desiderio à se esse toleratos. Quare agones istos Christi patientis doloribus conjungens, summo cum affectu, & spiritûs ardore DEO offerebat, verba hæc interea Seraphico quodam ardore sæpius ingeminans, Propter te Domine, & tibi. Non plus Domine, non plus; O dilecte Deus, quando Te videbo! Accipe me Domine, veruntamen non mea, sed Tua Voluntas fiat. Hæc illâ iterante admirando Spiritu, brachiaque in cœlos extendente, cum tantâ vocis contentione atque clamoribus; ut cor ejus ex pectore exilire videretur, metuebat quidam Sacerdos secularis, cui Virtus Bonaventuræ perspecta non fuerat, dici talia ab illâ desiderio abbreviandorum dolorum, & fugâ Crucis; sed rogata desuper à Confessario respondit. Aliter se rem habere, & quantùm ad se attineret, paratam se esse ad tolerandas ipsas infernipœnas, si DEO ita videretur; sed cùm agnoscat, perfectiùs in cœlo se Deum glorificaturam, idcircò ad cœli domicilium se anhelare.

Ultimis Ecclesiæ Sacramentis muniendâ petijt antè sacrum Viaticum à Confessario, suo ut nomine (quando vehementiâ morbi sibi non permitteretur, ut ipsa quod cuperet, facere posset) scriptum quoddam secretum, à se morbi initio rectâ verborum formulâ conceptam legeret. Fecit id Confessarius allatâ SS. Eucharistiâ, legitque coram adstantibus Emissiones Paradysi ar-

den-

dentissimas, quibus continebantur Fidei, Spei, ferventissimæ ad DEUM charitatis, Complacentiæ, Benevolentiæ, Oblationis, adorationis, Detestationis, Abominationis, Doloris, Veniæ petitionis, laudis, Extollentiæ, aliarumque tum Cardinalium, tum Moralium Virtutum actus sublimissimi, intensissimi; quibus per lectis Sanctissimam Eucharistiam, & post eam Unctionem Extremam sumpsit tanto pietatis sensu, ut ad magnam excitârit devotionem spectantes.

Totum infirmitatis tempus transegit summâ quiete, & serenitate conscientiæ, & quamvis deploraret interdum Annos præteritos malè transactos, id tamen faciebat filiali cum dolore, sine detrimento internæ pacis, & cum spe misericordiæ Divinæ, Christique meritorum auxilijs. Toto infirmitatis tempore exactè obedivit sororibus sibi ministrantibus, nec de ulla re questa est. Cùm rogaretur ab aliqua, ut se Domino post mortem in cœlo commendaret, hæc modestè quidem, sed audacter promisit; tanquam secura de cœlesti gloriâ, se post mortem suam unam è Monialibus post se tracturam; & cùm interrogata fuisset, quam trahere vellet, respondit non verbis, sed facie & oculis, quos subitò defixit in Flaviam Domitillam de Maximis, Nobilem valdè, ac piam Virginem, quâ cum anteà sæpè de rebus divinis agere solebat. Et ita planè factum est; nam quindecim à morte Bonaventuræ diebus elapsis, prima omnium Flavia Domitilla vivere desijt, sanctè & ipsa mortua post contritionem de peccatis sibi à Maria Bonaventura promissam, & statim post mortem impetratam.

Sæpè in hac infirmitate excitabat sorores ad vitæ perfectioris studia; & in particulari ad fugam rerum à vitâ sanctâ avocantium, accusatâ vitæ suæ anteactæ tepiditate, & tot annorum à se expensorum jacturâ, neglectuque meritorum, & acquirendarum in cœlis coronarum.

Præmonita à Medicis, non superesse spem Vitæ, id sine perturbatione, & tristitia accipiens, cum magna resignatione animi; & tranquillâ ac serenâ cum Dei Voluntate conformitate, reliquum vitæ oppressa licet morbis, & doloribus, in valdè intensis ac ferventibus supernaturalibus actibus traduxit. Enimverò quicquid pro morborum ac dolorum remedio facere videbatur, actu quodam reflexo, & pio purè propter DEUM accipiebat; utque cum majori merito, ac DEI gustu hæc omnia perageret, impetravit à Confessario & Monasterij Præside, ut omnia & singula, quæ ex Medicorum præscripto eximia sacrarum illarum Virginum Charitas roborandis, fovendisque illius viribus exhibebat, sibi tanquam res à sanctâ Obedientiâ imperatæ atque præscriptæ præberentur.

Morti propinquior Vota Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ renovavit in manibus Monasterij Præsidis, sæpè iterans magno cum corporis & animi ardore; In æternum & ultrà. Petijt postea legi sibi altâ voce Psal. 102. Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intrà me sunt Nomini sancto ejus, quæ verba magno cum affectu audiebat, verbis similes suos affectus conjungens, subsistens etiam diuturnius in nonnullis Psalmi sententijs sibi charis, & familiaribus. Posthæc rogavit omnes adstantes, ut flexis genibus peterent à DEO velocem animæ suæ à corpore dissolutionem, ut pertingere posset quantocius ad DEUM perfectius amandum. Id cum fieret, Crucifixi Imaginem osculabatur frequentiùs erumpens in verba; Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto; In Te Domine speravi, non confundar in æternum; In Manus tuas Domine, commendo Spiritum meum; redemisti me Domine, Deus Veritatis; Semel exclamavit; O quantùm doleo, me loqui non posse; causam rogata, respondit, Quia etiam non possùm laudare DEUM, ut non tantùm cor meum & anima mea, sed caro etiam exultet in DEO meo. Sed cùm dictum illi fuisset, DEUM quem habebat in corde & anima, voces audire mentis, placidissimè acquievit.

Porrò cum totum infirmitatis & agoniæ tempus sine ullo peccato, & mentis perturbatione ac scrupulo transegisset, injecit ei unâ ante mortem horâ, boni totius inimicus diabolus cogitationem, esse in animâ illius occultum aliquod peccatum, cujus intuitu digna non esset exaudiri à DEO, nec foret liberanda è vitæ hujus miseriis, At evanuit inanis tentatio, quam primùm eam Confessario aperuit.

His peractis petijt, ut Indulgentia plenaria sibi à sanctissimo Pontifice Urbano VIII. nominatim missa applicaretur, eâque acceptâ perrexit in solitis suis affectibus, qui se per vultum & oculos in cœlum erectos, manuumque gestus evidenter prodebant, sæpiùs iteratâ hac sententiâ; Giesù, è Maria sian in mia cõpagnia: Jesus & Maria, sint mecum in Viâ.

Tan-

Tandem usum linguæ, ac reliquorum sensuum amisit, & cùm cessâssent pristini corporis morientis angores, per medium quadrantem horæ, membris modestissimè compositis sanctam animam DEO, quietissimè tradidit Anno 1627. *die* 26. *mensis Februarij; Anno ætatis suæ* 25. *quamvis non per integrum annum sanctè vixerit, verè tamen de illâ dici potest*, Consummata in brevi, explevit tempora multa; *& quod Sanctus Thomas de sanctis insignibus scripsit Opusc.* 17. *cap.* 7. Unus ab altioris sanctitatis gradu incipit, quàm sit summum alterius, ad quod per totam vitam suam alter pervenit; *quod item sensit Mellifluus Bernardus serm.* 23. *in Cantic.* Qui amat ardentiùs, volat velociùs, & citiùs pervenit; Perveniens, non dico repulsionem, sed nec cunctationem patitur; sine morâ aperitur ei, tanquam Domesticæ, tanquàm Charissimæ, tanquam specialiter Dilectæ, & singulariter gratæ.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXVIII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XLVIII.

Ven. Bernardus de Montgaillard Abbas.

HAud impari luctu Gallia hoc anno ereptum sibi à cœlis queritur Reverendissimum Dominum Bernardum de Montgaillard, Monasterij Beatissimæ Mariæ Virginis de Aurea Valle in Ducatu Luxenburgensi, sacræ familiæ nostræ Cisterciensis Abbatem. Js anno ætatis decimo quinto, in Fuliensi sanctissimo Cœnobio admirabilem, de quo supra, vitæ rigorem amplexus, generosissimo animo, mori quotidie pro Christo in carnis mortificatione conatus, cum ejus sibi charissimi juvenis vitæ meuuerer Jnnocentius IX. Pontifex Maximus, inde ipsum, ad Cistercienses transtulit, sola apud hos obedientia retentum. Fuit juvenili ætate, ob ingentia animi talenta, & singularem eruditionem admirationi omnibus, quem [mirabile!] decimum octavum ætatis agentem annum Gallia sui Regis Henrici III. summum Concionatorem obstupuit, nec minus deinceps in transitu Hispania & Jtalia miratæ, Roma ipsa mirum in modum extulit & suspexit; Belgium autem annos quadraginta maximo cum fructu & applausu audivit. Serenissimorum Alberti & Claræ Jsabellæ Principum Aula Regia, septem fere lustris Ecclesiastem coluit, & ab ejus ore Melliflui Doctoris æmulo tota pependit. Jdem generosissimo honorum omnium comtemptu oblatas Pamiensem, & Andegavensem in Gallia Episcopales insulas & Cathedras, constanter religiosissima humilitate recusavit. Alberti Archiducis jussu Nizellensis triennium, postmodum Aureæ Vallis tres supra viginti annos Abbas; utriusque sed hujus præcipuè, in utroque statu, non tam Reformator, quam de novo Fundator, dici jure merito potest. Vir fuit præclaris animi & ingenij dotibus ornatus, eximiæ in consilijs, tam secundum DEUM, quam secundum hominem, prudentiæ, omni scientiarum sive humanarum, sive Sacratiorum genere instructissimus, Divinæ & Spiritualis doctrinæ Magister insignis, Spirituum discretione mirabilis, in pauperes liberalis, familiari conversatione blandus, in quoscunque potuit beneficus; in eloquentia vix ulli secundus, Hæreseos & vitiorum oppugnator acerrimus, Catholicæ Religionis assertor invictus, humilis, mansuetus, nulli gravis, omnibus amabilis. Magnam vitæ partem, unica per diem refectione, plures Quadragesimas, bina tantum hebdomadis singulis tenuissimi cibi gustatione, noctes innumeras brevissimi delibatione somni, nuda cubans humo, sacro Bibliorum codice, pro cervicali contentus transegit. Tandem post acutissimas annorum plurium nephritidis & arthritidis passiones, novissimum vitæ decennium, patientia ad Medicorum etiam stuporem admiranda, in continuo traxit Martyrio. Perceptis Sanctissimi Viatici & unctionis extremæ Sacramentis, tres integras quibus supervixit septimanas, sacram quotidie mira devotione sumpsit Synaxim, & concessum à sanctissimo Domino nostro Urbano VIII. universale Jubilæum, triduo ante mortem in jubilo cordis est consequutus, ac tandem anno ætatis sexagesimo quinto, professionis quadragesimo nono, ipsa Dominicæ Ascensionis octava die, circa secundam pomeridianam obdormivit in Domino, sepultus juxta Dormitorij gradus, prout ipse ante mortem enixè petierat; vir signis prodigiosis illustrissimus, & nunquam sine honore nominandus. *Ex Vita Msta. & Henriquezio.*

Episcopatus oblatos rejecit.

Ejus memorabilis Virtutes.

Morbus supremus.

Felicissimè extinguitur.

18. Annorum Concionator jam Regius

Efflorescit non minus sub Margarita

ta de Kilkaldi, quam S. Renata Lotharingiæ Principe, S. Petri Remensis Cœnobium, ut revera non tam illa præesse, quam ipsa Deipara videretur, cui Margarita ut primum electa est, solemniter resignaverat, plurimis inde Cœnobijs exempla solidioris disciplinæ sumentibus, alijs inde Antistitas sibi postulantibus, uti hoc ipso anno Catharina Domina de Joyeuse ex Ducum ejusdem nominis familia ad Illustrissimũ Mozomense Diœceseos Remensis Monasterium expetita, ejusdemque loci Abbatissa creata est, Virgo multarum parens fœcunda virtutum, & zelo observantiæ Regularis perinclyta, insigne & Ordinis & sereniſſimæ familiæ ornamentum. *Ex Monimentis Cœnobij S. Petri Remensis, &c.*

Catharina Princeps de Joyeuse.

Mirum prorsus hoc ipso tempore & anno quot quantique eximia vitæ sanctitate Antistites ex Ordine nostro, & Abbates atque Monachi, diversissimis per Germaniam locis, ante sexcentos, octingentos & mille propemodum annos incinerati, insolentissimis prodigijs sese vivere ostendant, omnes in Benedicto Patre suo, tanto post, pro asserenda Ordinis renovatione & Gloria redivivi. Eos inter novus decretus rursum in terris Triumphus, insigni Bavariæ, Austriæ, Styriæque gratulatione ad octavum & septimum Cal. Octobr. sanctissimis & meritissimis Salisburgensis Ecclesiæ Pontificibus Ruperto Magno Bavariæ, & Virgilio Carinthiæ Apostolis, nostri Ordinis absolutissimæ perfectionis Monachis, felicissimis eorumdem, Reliquijs solemnissima pompa in magna Principum & diversissimorum Præsulum frequentia solemnissimè elevatis & translatis. Cujus solemnissimæ pompæ descriptio, à Patribus nostris Benedictinis Universitatis Salisburgensis Professoribus typo vulgata, passim manibus teritur. *Vid. R. P. Thomas Weiss. in Dedic. Salisb.*

Translatio SS. Ruperti & Virgilij.

IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.XXIX. Sancti Patris Benedicti. M.C.XLIX.

Iterum Mons Calvariæ, calvariam sacris altaribus dignissimam tumulo ad tempus condit, animo ad cœli Empyrei gaudia rapto, donec communi resurrectionis die, corpus tot afflictionibus emeritissimum, mercedem quoque tot laborum accipiat, Martyrum choris inserendum. Fuit sanctissimæ Vitæ Virgo Margarita, ab Assumptione appellata, inter prima sacri hujus instituti censenda sydera, sanctissimi illius Viri P. Josephi à Parisijs Capucini Spiritalis filia, ab illuminatissimo insigniter illuminata, & merito ab Assumptione dicta, cœlis ipsis desideratissima. Hæc post multos in Ordine nostro & rigidiore ejus Congregatione exantlatos labores gravi denique infirmitate correpta, cum vitæ sibi imminere finem facilè animadverteret, arcana prius conscientiæ Venerabili P. Josepho supra dicto detegere ardentissimè cupiebat. Verum procul aberat præfatus Pater, utpote Provinciæ suæ Visitator in obeundis longè latéque dissitis Conventibus occupatissimus. Unde conquesta Venerabilis Margarita Angelo Custodi suo, confidentissimè ipsum exoravit, cum & ubi versaretur ipsa nesciret, nec esset alius quem mitteret, & ubi in itinere illum offenderet, ut ipse in se Angelus id muneris susciperet, & ubicunque ille versaretur, absque mora ad ipsam properare juberet, ut tanto adjutore & Consiliario sibi perneccssario, ad portum salutis secura pertingeret. Res mira! Motu quamprimum mirabili, & vehementissimo quidem, adactum se vir sanctus persensit. Móxque Pictavos iter flexit maturavitque cum ramen nihil unquam ipsi de Urbe illa in mentem venisset, imo multa alia occurrissent, quæ ipsum ab hoc consilio arcere debuissent. Unde & abijcere motum illum & impulsum conatus, utpote cui nihil Pictavis agendum, multa vero alibi, eademque maximi momenti negotia vocarent. Jnstitit nihilominus ardentius & vehementius inspiratio, cui invitus obsequitur, vimque sibi cœlitus illatam causatur, Pictavósque occurrens, cum de Calvariæ statu inquirit, Margaritam suam ab Assumptione de vita periclitari intelligens, quamprimum invisit, quæ incredibiliter se exauditam lætata, Generalem Patri Josepho Confessionem, incredibili animi contritione, facit, cujus finis mors pacatissima extitit. *Amandus Tribout, &c.*

Margarita ab Assumptione.

Opera Angeli Custodis mirè utitur.

Confessarius ejus mirè adesse ipsi cogitur.

Rursum alij in terris sese cœlites Benedictini ceu Redivivos ostendunt & ad excitandos confirmandósque no-

ſtrorum pios ubique locorum, in reſuſcitando primævo Spiritu, conatus mortalibus immortales ſe ingerunt, atque admirandis prodigijs Helvetiæ, Sueviæ, viciniſque regionibus illucescunt, eximia Ordinis noſtri ſydera, Sancti Otthmarus & Notkerus, Sangallenſes olim Aſcetæ, inſigni etiam pompa, poſt tot ſæculorum, ab eo quo deceſſere decurſu, honorati & ſolemniter translati. Ut ipſi etiam cœlites, refloreſcentibus primævo flore Cœnobijs applaudere, & denuo, ſuis in terra convivere velle viderentur. Cæterum, ſi virorum hoc ipſo anno & tempore, cùm perfectionis, tùm eruditionis laude celebrium inire numerum conemur, verendum omnino, ne rem ſupra vires, imo ne immenſum atque innumerabile aggrediamur: tantus ubique eſt, ut virorum doctiſſimorum & Religioſiſſimorum, oris confeſſione, & ſcriptis manu propria litteris prædicatum audierimus & legerimus, quotquot in Lotharingia, Burgundia, & Francia, quotquot in Hiſpania, quotquot in Anglia, Scotia, Hibernia, viderint tot recentium Ordinis Reformationum Religioſos, non homines, ſed incarnatos Angelos & vidiſſe & audijſſe. De Germania noſtra extat præclariſſimũ, teſtis omni exceptione majoris, ſereniſſimi Guilielmi Boiariorũ Ducis aſſertum, ad ſereniſſimum fratrem Electorem Colonienſem; quod eandidè vertimus: *Meiſmet*, inquit, *vidi oculis, majorem Monaſteriorum partem, & eorum præcipua, tam inſigniter reformata, & in ſtatu tam bono, de quo quiſque cordicitus gaudeat*. Et: *Veniens ad Monaſterium ejuſmodi aliquod, videre mihi viſus ſum, verum antiquum zelum & pietatem, prout ea inſtituta erant, ſine dubio, à principio, & prout de ijs in Veterum monumentis ſcriptum ſcimus, &c.* Jta de reformationis noſtræ rudibus tunc initijs tantus Princeps anno 1597. multo deinceps ferventius, latiuſque invaleſcentis, & uſque hodie, omnium bonorum oculos animóſque rapientis. De Congregationum autem SS. Vitoni, & Mauri in Gallijs, Burgundia, Lotharingia, &c. Monachis talia venerandæ memoriæ Vir P. Stephanus Vitus Societ. Jeſu Presbyter magni nominis Theologus, ſcripſit pro exhortatione & conſolatione ſuperioris Germaniæ Religioſorum, ut non poſſint à Religioſis majora expectari: dum ipſe obſtupuiſſe ſe fateretur talia videndo, & revera Angelorum Choris interfuiſſe, expertumque non hominum ſed cœleſtium civium charitatem, idem confitentibus omnibus, qui per ejuſmodi Monaſteria tranſierunt. Nec minor Candidorum Fratrum noſtrorum per Hiſpanias maximè ſanctitas, & hinc fructus exempli omni prædicatione potentior, in ſacra familia noſtra Ciſtercienſi, ut alia Regna & Provincias taceamus: è qua hoc ipſo etiam anno & tempore occurreret magnus omnino numerus enumerandus, è quibus toti orbi cognitus Reverendiſſimus Dominus Angelus Manrique, poſt ingentia magni ingenij monimenta, & vitæ merita Magnus Calatravæ militiæ Prior deſignatus, nec multo poſt Pacenſis Eccleſiæ conſtitutus Epiſcopus, Ludovicus Bernaldo de Quiros, Spinæ Monachus, Generalis Congregationis Hiſpanicæ Reformator hoc anno octuaginta annorum ſenex in Domino quieſcens: Dionyſius Cucho, Franciſcus de Riva de Neyra magnâ apud Philippũ IV. Hiſpaniarum Regem auctoritate & plurimi alij.

SS. Othmarus & Notkerus translati.

Commendatio ſtatûs Monaſtici.

Ducis Bavar. Teſtimonium.

Angelici viri in Congreg. SS. Vitoni & Hydulphi.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC.XXX. Sancti Patris Benedicti. M. C. L.

INCOMPARABILI SPLENDORE & fragrantia Roſam, cœlis hoc anno aſſerit, ſuiſmet dignando manibus Rex Regum terris ereptum; primo in ortu Hortis Empyreis maturum, cœlitibus gratiſſimum. Js fuit Gabriel Nucalenſis Cœnobij Novitius, dignè nomine ſuo, verè Mariangelus à teneris unguiculis Virginum Virgini commendatiſſimus, Angelica morum elegantia, vitæ puritate verè Angelus. Jpſi, tam amici ſibi nominis innocentulo, verè ut pia, ut propria mater albæ gallinæ filiolo, amantiſſimè DEIpara conſuluit, & raro ſane noſtri extremi ſæculi exemplo, ſatis non habuit, ſi ante oculos ſolum ſuos haberet, niſi & ipſa tam dilectuli ſui Gabrielis eſſet in oculis, neque tam nutu, quàm diſertâ & materna voce, quin & manus beneficæ ductu, quid faciendum ipſi benevolentiſſimè oſtenderet. Viſibiliter proin atque vigilanti apparuit, & ferventiore tunc, ad acuratiorem Regulæ San-

Ven Gabriel Nucalenſis.

Ipſum Deipara ad Monaſterium ducit.

Sanctissimi Patris nostri BENEDICTI observantiam in Hispanijs Cistercienſium noſtrorum pio conatu, ut ijs ſe adjungeret, & conniteretur imperavit; namque id Jnſtitutum, Filio ſuo ac ſibi perplacere edocuit. Sed importunis, velut de meliore ex binis, quin & DEIparæ, ut dicebant, chariore amplectendo, nonnullorum ſuaſionibus, Carmelitarum Daſcalceatorum habitum induit, & velut de Voto in melius commutato primum gaviſus, paulo poſt, per magnum miraculum, exire compulſus eſt. De conſilio proin virorum pietate & doctrina præſtantium, omnia quæ circa ſe acta ſunt Venerabili P. F. Franciſco de Bivar Theologo celeberrimi nominis [necdum tamen noſtris accenſus] patefecit, qui ipſum illico ſatisfacere DEIparæ juſſis tam expreſſis voluit, & ad Monaſterium ſummi tunc ab Religione nominis, deſtinavit; quem & ipſe non multo poſt ſubſequutus, conſilium & juſſa Magnæ Virginis Matris, ut & ſibi convenientiſſima interpretatus, promptè acceptavit. Admisère libenter juvenem tam manifeſtæ Vocationis Aſcetæ Nucalenſes, cujus facile erat Spiritum & fervorem explorare, ut qui ſe prima fronte omnibus prodebant probabantque. Poſt multa proin ſigna miraculoſa Regulam noſtram, & cucullum ſacro in Tyrocinio amplexus & indutus, mirum illico in modum in omni virtutum genere profecit, ut Angeli hominis alacritatem, inque Divinis rebus ſublimitatem, mirarentur haud immerito univerſi; cum inter orandum cœleſtes expertus favores, ſæpè extra ſe factus in extaſim raperetur. Multis tandem infirmitatibus in ipſo anno Probationis exercitus, fractus, & graviſſimis doloribus conſumptus, ad extrema devenit, & ante obitum, Chriſtum Dominum, recentibus plagis, & corona ſpinea redimitum, ſeque ad cœleſtem patriam invitantem conſpexit. Excepit ſupremam, & Generalem quidem Angelici juvenis confeſſionem, prædictus Franciſcus de Bivar, & favores, quibus à Chriſto Domino, ejuſque glorioſa Genitrice affectus fuerat, plenius intellexit. Ex Relatione ſuccincta ejuſdem Venerabilis memoriæ Franciſci, ex quo, cum pro inſtituto litterarum in Hiſpanias commercio, ab eodem plenius inſtitui cuperemus & expeteremus, inque vicem nonnulla quæ ipſe rogaverat ſubmiſiſſemus, ad ejuſdem cæleſtis Vitæ fruitionem, ad Gabrielem nimirum ſuum evocatum intelleximus, & intereſſe necdum poſſe tam Amico conſortio utriuſque plurimum dolemus.

Perſuaſus Carmelitis ſe jungit.

Per miraculum egredi compellitur.

Vit Novicius Nucalenſis.

Ejus Generalis Confeſſio & felicissimus obitus.

Celebratâ longè latéque egregiâ Calvarienſis Congregationis noſtræ inſtitutione & Virginum ejuſdem ſanctitate, multus ad eamdem concurſus eſt, ita, ut multa deinceps vel nova à fundamentis conderentur Monaſteria, vel antiqua pari omnium in ijs degentium conſenſu, ſacro illi rigori ultro ſeſe devoverent, ſummæque Nobilitatis & teneritudinis Virgines ſtrictiorem hanc vivendi rationem ſummis animi Votis expeterent. Jn his fuit Jlluſtriſſima Domina Catharina de Roquelora, filia ſtrenuiſſimi Ducis & Caſtrorum Prætoris Mareſcalli de Roquelora, quæ calcatis omnibus, ipſa etiam, quâ donata fuerat à Rege inſigni Abbatiâ, ultro ſe abdicans, ſpecialis DEI miſerentis vocatione & inſtinctu, in Pariſienſe Calvariæ Cœnobium hoc ipſo anno ſe recepit, ſuperatiſque immenſis difficultatibus, undique ſacro propoſito objectis, Humilitati, propriæ voluntatis abnegationi, carnis mortificationi addictiſſima, tanta animi demiſſione, tanta repuereſcentis in Chriſto animi ingenuitate omnibus juxta SS. Regulæ dictata, obtemperabat, ut haud ſui Juris unquam exiti ſſe, frequentique inſervientiũ turba ſepram in ſæculo, ſed vilem lixam abjectiſſi mumque fuiſſe mancipium dixiſſes. Quæ tamen Virtutum arduarum præcellentiſſima ornamenta eo mirabilius in Catharina eluceſcebant, quo magis nata & facta ad imperium, omnibus videbatur: utpote quæ ingenio ſublimiſſimo, judicio acerrimo, mente illuminatiſſima eſſet, in ipſa honorum deliciarumque paleſtra liberaliſſimè & ſplendidiſſimè educata. Nunc verò paupertatis amantiſsima, ægrè neceſſarijs ad victum amictumque utebatur, tabellas, numismata, imagines, aliaque pretioſiſsima vaſa, quæ ſecum è ſæculo exportârat, libentiſsimè dimiſit, ſola inopia & omni vilitate contenta, abjectiſsima quævis Religionis munia ſumma animi alacritate ſuſcepit & ex-

Catharinâ de Roquelora.

Miræ ejuſdem Virtutes.

Sui contemptus mirab ilis.

peditè obivit, obtinuitque scripto à Superioribus, voce activa, & passiva in omnibus electionibus privandam se esse, imo de facto privatam esse, sempérque atque ubique locum sese novissimum occupaturam, non minore fervore contendens abjectissima omnium censeri, quam qui in sæculo inexplicabili honorum siti summa quævis appeterent atque exambirent. *Ex R. P. Amandi Tribout, & Calvariensis Congregationis dictatis.*

ADeodata de Ligneville.

Evincit denique hoc etiam in superabili generositatis & patientiæ exemplo Adeodata nostra verè à DEO data & electa Vergevillensis in Austrasia, sive Lotharingia Germanica Abbatissa, quæ in inducendam Monasterio suo Reformationem, nullum non lapidem quam diutissimè moverat & institerat; incredibili obstinatione licentiosissimarum Monialium pro virili obnitente, & sanctissimo suæ Antistitæ proposito contradicente. Et quamvis, iniquissima juxtà ipsa etiam obluctari viderentur tempora, Marte circum undique fremente, Suecis, Germanis, Ungaris, Croatis, Lotharingis pari omnes ferocitate omnia incessentibus & vastantibus; ipsa tamen invictissima animi constantia animosior tanto vehementius DEI, & Sanctissimi Patris sui BENEDICTI causam agere instituit, quanto magis DEI gratia & protectione inter tot tantaque pericula opus esse intellexit, suisque persuasum voluit, effecitque demum, hoc, ut diximus, anno, ut major pars capta tantæ patientiæ & pietatis exemplis manus tam sanctis quam prudentibus monitis daret, cæteris quaquaversum ita accommodatis, ut conqueri non possent, adeo deinceps Numine rem prosperante, ut inter tot undique minitantes tempestates Monasterium non minus omnium rerum affluentia, quàm Religione crescceret, tantumque evaderet ut omnium tota provincia fortunam & splendorem longè superaret. Crevit & numero non minus, quàm cæteris rebus, cum, suadente maximè Reverendissimo sanctæ memoriæ Philippo Francois Abbate S. Agerici (quo in omnibus sapientissimo moderatore & consiliario utebatur) indifferenter secundum S. P. N. BENEDICTI Regulam tam Nobiles quàm Ignobiles, nullas tamen alias, quàm pias & devotas, humiles & obsequentes & Crucem post Christum constanter, ferventer, & perseveranter ferre volentes & expetentes, susciperet, & generosissimè exercitas atque in sacro Tyrocinio probatas ad Professionem admitteret. Ut nemo non miraretur Unam Virginem, talia ac tanta, contra tot obstacula & impedimenta, contra tot ruinas & adversitates bellicas, ipsam fermè assiduo adversa valetudine afflictissimam, præstare & efficere potuisse. Sed vigor mentis, Zelus Gloriæ Divinæ, desiderium observantiæ, & disciplinæ Regularis, sitis salutis animarum, & prudentia extraordinaria, ipsi non solum hæc omnia facilia, sed etiam jucunda reddidere, DEO Opt. Max. pios ipsius conatus semper approbante & benedicente. *Jta prolixè Patres nostri Congreg. SS. Hydulphi & Vitoni*, qui satis deprædicare non posse laudes & Virtutes tantæ Antistitæ fatebantur.

Reformationis singulare studium.

Nobiles & Ignobiles admittit.

Zelus Gloriæ Divinæ.

Effulget hoc ipso etiam anno in Hispanijs admirandæ perfectionis & eruditionis laude Reverendissimus Abbas Antonius de Perez noster, postea, uti dicemus, Cæsar-Augustanus, pro eximijs vitæ meritis, Archiepiscopus, toto jam orbe omnium ore atque litteris celebratus, quem in tanto omnium applausu, tanto securius, superstitem etiamnum insigni præconio efferre ausa est, sanctissima Congregatio nostra Vallisoletana, quanto evidentius, nullis eum tangi, molliri, seu flecti posse laudibus, certum habuit, in tanta Universi acclamantis vocalitate surdum, laudumque ac meritorum suorum deprædicatione, ignarum; gloriæ certâ deinceps immortalitate, sæculo ejusque præconijs verè mortuum. Jta de ipso, & de ejus in SS. Regulam nostram Commentarijs, censuit ipse Reverendissimus Generalis Hispanicæ nostræ Congregationis, & qui ob maturitatem judicij Censores ex Ordine sunt designati: *Invenimus Spiritu & nomine Antonium: in quo DEUS duplicavit annonam, dum panem vitæ & intellectus, non dimidio integrat, sed integrum sine fractione frangit, quem parvuli (imo & magni) hucusque petierant, nec erat qui frangeret eis.* Nec minora quæ sequuntur: *Miramur Gre-*

Ven. Antonius de Perez.

Elogium R.mi Generalis & Censorum.

Gregorium illum Magnum, qui ſanctus laboravit pro Sancto, dum BENEDICTI Sanctiſſimi Sui Patris ſcripſit vitam, non laboraſſe Doctorem pro Doctore, Magiſtri ſui præcepta denodantem. Miror hæc Commentaria præteriiſſe Leandrum, Ildefonſum, Bedam, Anſelmum, Caſſiodorum, Rhabanum, & tot Doctorum turmas, qui ſub ſancta Regula militantes, nihil quod facerent, ex eapræterierunt; cur non quod docerent, cum Magni vocati ſint in Regno cœlorum? Sed ut hi omnes, imo & exteri Patres, quin & Oecumenica Concilia, & ſacri Canones ad Regulam iſtam aſpexiſſe videantur, non immerito ad Antonium noſtrum ſeſe ipſos ſuſpicor reſervaſſe, ut ſub una apparerent mente, & ſub uno pectore clauſi: Commentaria hæc noviſſima, exquiſierunt omnium Antiquorum ſapientiam, & inventam tradunt, &c. Extant omnia ipſius ſcripta Theologica, paulo poſt, quod ſperamus, ſummo rei litterariæ & ſcholaſticæ Theologiæ bono, typis orbi communicanda, quem haud immerito non nemo, ſummi nominis Theologus, licet diverſi omnino Ordinis, Theologorum Hiſpaniæ Primatem & Principem appellavit. Neque talentum illud ipſe abſcondit, verum ſummo Hiſpaniæ ornamento, atque utilitate, ex celeberrimis Cathedris, miro omnium applauſu, Univerſo expoſuit. *Ex Comment. ejuſdem in Reg. S. P. N.*

Encomium omni majus exceptione.

Ejus ingenij monimenta ad æternitatem ſingularia.

Contendunt aliqui hoc anno Hiſpanijs ereptum eundem Antonium, cœlis inſertum, magnum revera Pontificem, etſi juratæ ſemel paupertatis tenaciſſimum, & in extrema paupertate mortuum, non in Cathedrali Eccleſia, ſed in domo ſuæ Profeſſionis ſepeliri eligentem. Fuit Verbi Divini Prædicator verè mirificus, potens verbo & opere, cum jam Archiepiſcopus, ſuo more è Cathedra peroraret, tanta cum reverentia ab omnibus certatim confluentibus auditus, ut nec excreare quiſquam præſumeret, omniaque ſinguli ejus verba tanquam Angelico prolata ore inhianter exciperent, & cordi profundè imprimerent. Habeóque ex oculatorum ſynceriſſimorumque teſtium fide & aſſeveratione, tantum Archipræſulem, vultu & geſtu omni omnem ſanctitatem præferentem, ac ſola fere cute & oſſibus conſtantem, ubi primum Cathedram conſcendiſſet, & in oculis omnium eſſet, etiam antequam verbum aliquod protuliſſet, tantos animorum concitaſſe motus, ut plerique compungi vehementiſſimè ſe ſentirent, & in uberes lachrymas, alta ſuſpiria & gemitus erumperent, ut hinc facile omineris, quantum deinceps ipſo decurſu orationis, vir illuminatiſſimus, zeloſiſſimus & ſanctiſſimus profecerit, in omni planè vita admirandus, cujus vita & facta integrum tomum mererentur. *Gaſpar Scioppio, Stephanus Vitus Soc. JESU, ejus multis annis diſc. & pl.*

Ipſo hoc etiam anno ob inſignia vitæ merita, è Cœnobio S. Stephani ad ripam Silenſis fluvij in Regno Galleciæ extrahitur ad Epiſcopales Cathedram & infulas Illuſtriſſimus Dominus F. Chriſtophorus de Areſti, quem tamen alij nunc Epiſcopali ſimul onere & vita functum contendunt.

Chriſtophorus de Areſti Epiſcopus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXXI. Sancti Patris Benedicti. M. C. LI.

NON minus quam in diſciplinæ primævæ reſtitutione, in litterarij quoque ſtudij promotione paſſim tota Europa laboratur, ita quidem, ut quod Joannes Scotus, Alcuinus Neottus, Lanfrancus, Rhabanus, alijque olim noſtri, Doctiſſimi æquè ac Sanctiſſimi diverſiſſimis in Regnis in ſe ſuſcepêre, ut Scholas inſtituerent, totaſque provincias ad Liberalium artium ſtudia pellicerent, ſed & juxta Virtutis omniſque honeſtatis amorem diſcipulis inſtillarent, idem ipſum noſtri etiam hodie, non minore induſtria facerent, quin & Majores noſtros, eadem quidem moliendo, ſed majora attentando, longè etiam ſuperarent, cum vix hodie unum celebrioris nominis Monaſterium reperiatur, in quo non præter Humaniores litteras etiam Philoſoplica & Theologica ſtudia ſummo in flore & vigore ſint, & ex ipſo gremio, lectiſſimæ notæ Profeſſores alij alijs ſuccedant, & quotidie alij & alij in eoſdem labores & honores, incredibili cum excitatione animorum & ingeniorum, adoleſcant. Neque hoc ſolum in ſuperiore Germania, ſed & inferiore ſive Belgio, de quo in ſuis ad nos hoc ipſo anno 1631. die 12. Febr. datis Aubertus Miræus, celebri nomine ſcriptor, poſtquam & ipſe noſtrorum

Litterarum ſtudia à noſtris promoventur.

Florentiſſima hodie in ipſis Monaſterijs ſtudia.

rum in superiore Germania studia commendasset; sic ait: *Et vero in nostra Germania Inferiore non jacent. In Flandria nominatim Gerardimontenses Benedictini, exemplo Patrum Societatis JESU Scholas litterarias juventuti, undique confluenti, annis superioribus aperuerunt: Duaci Philosophiam publicè docent, in Collegio seu Gymnasio Vedastino, quod nostra memoria Cavarellus Abbas Vedastinus à fundamentis exstruxit. Alibi, nec uno loco, Theologiam explicant: ut meo quidem judicio, velut reddita juventute, familia Benedictina hodie reviviscere videatur* (Ecce BENEDICTI Redivivi solidam imaginem) *Quid in Hispania, Gallia, & Italia, & alibi Sodales vestri agant, in Originibus nostris Monasticis, Coloniæ editis, explicavi, nec hoc loco repeto.* Ita Miræus.

Gerardimontensium conatus.

Nec Germaniæ solùm Superæ Inferæque hæc gloria est, sed multo major Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, &c. longè plures & præstantiores Doctores & Professores Academijs atque universitatibus elargientium, quando non uno jam loco, neque in ijs solum, quæ propter nostros, vel per nostros conditæ sunt, Universitatibus sive Academijs nostri publicè litteras variasque disciplinas eruditissimè profitentur, verum communi Reipublicæ Christianæ bono, Collegia ejusmodi, Gymnasia, atque Universitates, sive ipsi excitant, sive in Gratiam Monachorum fundatas, summa auctoritate soli obtinent, ac moderantur. Præter enim ea, quæ supra commemoravimus vel commemorare debuissemus; nova Universitas Rhintelensis, sub hæc tempora, æterno nostrorum merito gloriâque excitata, fructum ingentem, & antiquo illi [quem abundè degustavit Majorum ætas, & nunquam satis miratur sera posteritas] haud imparem Ecclesiæ DEI, ex Monachorum laboribus & eruditione, uti & non ita pridem instituta Salisburgensis Academia, pollicetur.

Non minus in Gallijs, Hispania & Italia.

Universitas Rhintelensis.

Salisburgensis.

Jnvalescit Sanctitatis mirandæ famâ & gloriâ Congregatio nostra Calvariensis tantopere in Regno Gallia-rum, ut maximas etiam Principes raperet, & quæ semel contuitæ Angelicum hoc vitæ genus essent, omnibus statim mundi illecebris renunciare cuperent, ut tam sancti Jnstituti Virginibus convivere possent. Nupserat Marchioni des Planches Domina Elisabetha Du Puis du Fou, Illustrissimi Domini De Comeronda filia unica, quæ cum in Calvariæ Conventu Nannetensi Professioni cujusdam Virginis aliquando interfuisset, vehementer dolore cœpit implicatissimæ vitæ statum in quo versabatur, totaque desiderio Monasticæ vitæ incalescere, sed motum hunc importunum tentationem esse rata, statuit omnibus Misericordiæ operibus sedulo incumbere, ut propterea alter Thabita ab omnibus haberetur. Interim cessit è vita insperatò maritus amantissimus, ipsa vero viginti tres tantum annos nata ac sine liberis, consulente potissimum Venerabili Patre Petro ab Alenconio Capucino Calvariensis Jnstituti amantissimo (qui Martyr postea glorioſus occubuit) decernit, renitentibus omnibus & adversantibus, animo hærens tenacius Religionis Votum persequi. Credi vix potest, quot Generosæ menti obviantia impedimenta superare necessarium fuerit. Nobilis quidam authoritate Principis fretus ædibus Elisabethæ centum Equitibus circumdatis, vi omni adhibita, imbellem viduam rapere, ut primogenito suo nuberet, constituit: verum monita divinitus, ab ignoto viro, domo jam aufugerat, mutatis cum rustica muliere vestibus, per invia atque avia, insidias dechinans. Verum pertinax in proposito Nobilis, eam quacumque industria atque arte inquirens, ut vix alicubi quiescere vel momento posset, DEO tamen protegente, nihil effecit, cum Elisabetha omnibus elusis insidijs Andegavum evasisset. Sed neque hic finis periculorum & insidiarum, cum & formæ mirâ elegantiâ, & opum affluentiâ, nec non nominis ac familiæ claritate, incomparabilis insuper prudentiæ laude capti plurimi, omnibus eamdem illicijs atque artibus exambirent. Delusit insigni stratagemate amantes Marchionissa, cumque ex more gentis frequentes adessent ipsam ad templum comitaturi, ipsa currum ad Monasterium Calvariæ flecti jubens, quasi paucis superiorem loci allocutura, illos interea ad templum præmisit. Successit feliciter res, piamque detegens fraudem Elisabeth, & cucullum exambiens, mox intro-

Congregationis Calvariæ felices successus.

Elisabetha du Puis.

Ejus vita Monastica desiderium.

Impedimenta varia patitur.

Emergit in portum Religionis.

intromissa, plena gaudij, coram Venerabili altaris prostrata sacramento, in uberrimas totam se effudit gratiarum actiones, duabus ita horis insumptis, monitaque rivales ad portam præstolari, ad cratem occurrens, omnibus propositum detexit, valedicensque supremum, invitos atque attonitos domum quemque suam repetere coegit.

Mater ipsam extrahere conatur.

Interea Elisabetha molle fractumque superioris vitæ genus aversata, dum jejunijs, Vigilijs, humilitati, Obedientiæ, Orationi, sacrisque alijs exercitijs tota intendit, re comperta Mater ejusdem magnis itineribus Andegavum contendit, quo volentem nolentemque charissimam filiam Cœnobio extraheret, & è Monte Calvariæ tanti rigoris Instituto deturbaret. Obstitit invicto animo, illecebris, dolis, precibus, minis molestæ & importunæ parentis pijssima filia; ut proinde mœrore vehementissimo graviter percita Mater paulo post vita excederet. Doluit miserandam necem ejusdem, ut debuit ac decuit Elisabeth: *Sed DEO*, inquit, *præ matre amantissima obsequendum fuit*, cui & Matris animum piè commendavit.

Diaboli contra eam conatus.

Nihil non movit & tentavit Cacodæmon, ut tantam Heroinam proposito averteret, Domesticis ejusdem inter se concitatis, cui malo cum aliud non inveniretur remedium, invita obnixaque, necdum Ordinem solemniter professa, jubetur Parisios abire, ut domesticas bonorum tricas dissolveret. Nil tamen domi retinere amantissimam Numinis potuit, cujus favente gratia, lites omnes composuit, cognatos inter se conciliavit, acceptisque in dotem quinquaginta aureorum pro Monasterio Calvariæ millibus, hilaris reversa, id unum gratiæ pro tanta auri summa expetijt atque extorsit, ne hujus, vel Generis intuitu delicatius haberetur, fide à Superioribus data, nunquam se se quibuscunque Religionis rigore seu oneribus eximendam. Jnde Sanctissimam Regulam complexa & solemniter professa, tanta animi consolatione & voluptate, ut nemo non in summam raperetur admirationem. Amplexa non minori alacritate rigorem omnem, atque professa, vilissimis quibuscunque & difficillimis perfuncta munijs & laboribus, incredibili demissionis exemplo tantopere omnes rapuit, vt communi omniū Voto & inexplicabili plausu Superior eligeretur, summo totius Congregationis comodo, etsi ipsa inconsolabiliter doleret, & abjectissima omnium esse eligeret. Nec mores mutavit honor, cum tanta sui dejectione ipsa alijs præesset, ut solâ majoris humilitatis, modestiæ, verecundiæ notâ, re & nomine Prior omnibus dignosceretur. Denique post multos & strenuos in omni vitæ rigore labores, levissimâ tentata febri, morbum lethalem esse præcognoscens, etsi adversantibus alijs, sacrum poposcit Viaticum, & accepit. Adfuit morienti nobilis Ecclesiastes, qui audita ejus Confessione Generali, cum paulo post felicissimè extinctæ, parentare vellet, jubereturque Psalmum *De Profundis*, *&c.* ex more recitare, mallem, inquit, Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes* dicere, quippe, quam lugetis amantissimam Matrem *Sanctam* esse, & inter Cœlites præcelsam, utpote Angelicæ innocentiæ, ac Seraphici amoris æmulam, certissimè contestor, de quo ipso nemo ambigere potuit, cum in omni exercitio Virtutum, incomparabilis haberetur. *R. P. Amandus Tribout ex fideli relatione testium oculatorum.*

Elegitur Superior Congregationis.

Mors felicissima.

Memorandum & aliud Calvariensis Congregationis decus, hoc ipso anno ablatum terris, cœlis illatum. Fuit hæc Margarita Marsin à S. BENEDICTO cognominata, Monialis Congregationis prædictæ in Monasterio Morleacensi, cujus id erat cum DEO mirabile commercium, ut rapta semper spiritu videretur, solius quasi orationis nutrimento vivens, quod tamen nihil Regulari observantiæ, nihil omnibus Religionis munijs, pro exigentia rei obeundis, obfuit, imo plurimum juvit & promovit. Decessit prima Novembris festo omnium Sanctorum, eorum choris socianda anno 1631. atque in cœlum assumptam esse sanctæ memoriæ Anna de Goulaine, quæ tum Parisijs degebat, revelante DEO cognovit. *Ex ijsdem.*

Ven. Margaritha Marsin.

Tota extatica.

Professitetur solemniter Ordinem.

Sed & Germania nostra haud levi splendore gemmam Hierusalem inserendam cœlesti structuræ submittit, Jdam de Vörden Transaquensis Cœnobij Abbatissam. Hæc non tam Generis, quam morum & animi prædita

Ven. Ida de Vörden Abbat. Transaquensis.

ta Nobilitate, prudentia juxta admirabili, & singulari excelluit Magnanimitate, cujus regiminis anno decimo, summo cum ejusdem animi gaudio, ultima & perfectissima in Monasterium Reformatio introducta fuit, ipsa inprimis promovente & connitente, omnesque, Reformationi se accommodantes & conformantes, magno charitatis affectu & humanitate complectente & amplexante. Quæ alia inter Benedictinæ Regulæ, singularem prorsus, & Conservatricem totius disciplinæ omnisque sanctitatis, Silentij Regularis attendens utilitatem & fructum, incredibili studio sollicitè præcavit, ne horis & locis incompetentibus, ulli unquam causa daretur, tam sancti, tamque proficui quieti Monasticæ præcepti violandi, quod singulare totius Ordinis & disciplinæ Benedictinæ fulcrum, & quietis in Monasterijs ac pacis solidæ pignus esset, & neglectum, irregularis vitæ, infinitarumque turbarum, certissimum signum haberetur. Fuit ipsa admirabile suis omnibus Virtutis speculum, profuitque non minus suis quam præfuit, annis 24. hoc anno pridie Assumptionis Beatissimæ Matris Virginis, ad concelebranda ejusdem in cœlis solemnia anno 1631. evocata. *Ex monimentis ejusdem Cœnobij.*

Reformatrix strenua.

Sanctè in Domino requiescit.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXXII. Sancti Patris Benedicti. M. C. LII.

FRigidissima etiam Polonia, frigidissimâ ætate nostrâ Benedictini fervoris flammas, splendoris radios longè latéque spargit, & insigne hoc ipso anno, vigesima quarta Februarij sydus cœlis destinat. Hoc ex Culmensi Nobili Virginum Cœnobio prodijt, fuitque sanctæ memoriæ Magdalena, Culmensis Abbatissa. Illustri admodum familiâ parentes habuit, Mortescâ scilicet, veteri admodum & inprimis conspicuâ, ipsa Illustrior Virtute quàm genere, ut quæ veram animi Nobilitatè à teneris unguiculis studuerit comparare. Cœnobium præfatum ingressa est, invitis parentibus, ijsdemque multum obnitentibus, Monasticen est professa. Ob eximia deinceps talenta summæ Virtutis decora ejusdem loci Abbatissa electa: neminem radijs eximiæ perfectionis perstrinxit; merito Culmen Culmensis Cœnobij celebrata. Hæc Monasterium non solum suum perditissimo hoc tempore strenuè reformavit, sanctioris vitæ Gymnasium & Palæstram constituit, sed & quinque alia mira felicitate condidit; quibus lectissimarũ Virginum Nobilem omnino Coloniam induxit. Quin & Apostolico laborans Zelo, ut longè latéque Hæreses profligarentur & Hæretici in viam Veritatis & ad gremium Catholicæ reducerentur Ecclesiæ, Collegium insigne Patrum Societatis Jesu Torunij fundavit, & veteri nostrorum more, omnium Novorum Ordinum Patronos agentium, Patres illos insigniter fovit & promovit: verè altera è Christi disciplina Magdalena, è Schola Sancti Patris Benedicti Scholastica, cum insignibus probatissimæ pietatis, dignissimæ Humilitatis, & ferventissimi Zeli exemplis, hocce sæculum nostrum, in amplissimo Poloniæ Regno, haud leviter exornasset, & sacrum Ordinis rigorem latius restituisset, plurimasque ex lectiore Regni Nobilitate Virgines Numini lucrata adduxisset, ad præmia felicitatis æternæ evocata est. *Ex Menologio Polonico, Abr. Bzovio, Crammero.*

Ven. Magdalena Abbat. Culmensis.

Collegium Patrum Societat. fundat.

Jn Hispanijs mirâ effulget perfectioris vitæ summæque eruditionis famâ Reverendissimus & Illustrissimus Dominus P. F. Maurus de Villaroel; ex Monacho Sancti Salvatoris de Lorenzana in Regno Galletiæ, ac Congregationis Benedictinæ Generali, deinde Abbate Sancti Vincentij Salmanticensis, primùm Episcopus Sacensis, demum Oscensis in Regno Aragoniæ pro meritis electus Episcopus, ubi relinquens manifestæ sanctitatis insignia, usque hodie summo in honore habetur. *Ex Relat. R. P. F. Francisci de Ayaer. Mon. S. Turibij.*

Maurus de Villa-Roel.

Memorabili ad omnem æternitatem Charitatis in proximum exemplo Galliarum Regno prælucet Cæcilia à Sancto Carolo Cognominata, illustrissimæ prosapiæ (familiæ tacetur nomen) Virgo lectissima, sed vitæ spectatior sanctitate, ob hanc ipsam dignissima, quæ paucis post Monasticæ vitæ perfectionem annis, Novitijs præficeretur, non tam pro Magistra, quàm exemplari & speculo perfectionis futura. Hæc verè ardentissimo Charitatis

Ven. Cæcilia à S. Carolo.

tatis vulnerata telo, præmatura quidem, sed felici admodum morte, vitam sanctissimam terminavit: Cum enim inaudisset, sororem quandam magni nominis, quæ tunc Monasterio præerât, cum Cæcilia Religioni Calvariæ nomen dedisset, pestilenti febre graviter & periculosè decumbere, miserata pijssimè tam charæ matris dolores & periculum, magna animi contentione DEUM precata est, ut ægram valetudini redderet & vivam servaret, pro qua promptissimè ipsa suâ parata esset vitam offerre. Audivit factam ex ardenti charitate orationem DEUS; ipsaque Cæcilia paulo post lethali consumpta morbo excessit, alterâ superstite & pristinæ redditâ Sanitati. *Ex R. P. Amando Tribout.*

Pro maritura Numini se offerens impetrat.

Jn Germania, in immani Catholicæ Religionis, & Monasticæ Vitæ persequutione, cœlo se probant, multa Religiosorum pectorum millia, alijsque consilio Christi, de civitate in civitatem fugientibus, alijs, in Voluntarium pro Numine Sacrificium sese offerentibus; incredibile dictu est, quanta sese exempla prodiderint, admirandæ in omni Martyrio patientiæ, in fame, siti, nuditate, inque omnibus periculis constantiæ & magnanimitatis.

Nostrorum invicta Generositas.

Novimus ipsi qui indignissima, & atrocissima, ipsa quoque morte duriora passi, Divina tamen protegente gratia, ad multorum salutem reservati, ipsis hostibus, ob incredibilem, in omni tribulatione, dolore & angore patientiam summæ extitere admirationi. Sunt qui famem extremam, nuditatem, carceres, vincula, verbera crudelia experti, ut pedem tamen è sacra moverent, statione nunquam consensere. Fuit, qui defluas sterquilinij aquas, quantum capere corpus humanum poterat, violenter infusas, bibere coactus, toto dein conniſu Hæreticorum & insultu pedibus protritus, ingens mortis periculum, æquissima fronte, animo sereniſſimo, patientissimè toleravit; imo gratias Numini immensas egit, quod ejus causa hæc pateretur. Paucos, de quibus constet, jugularunt omnino & peremerunt, vel quod paria ab exercitibus nostris metuerent, vel quod inde Martyrum honorandos titulo scirent & inviderent; etsi unus præ alio crudeliùs sæviret, & multi qui necem inter supplicia evaserant, postea ex nimia â tormentis debilitate interirent. Jn Monasterio Jmperiali Weingarttensi juvenem Fratrem Venerabilem F. Rupertum ex Jllustrissima familia Comitum Khuon de Belasij, Liechtenberg &c. natum, Carolo, Matre Perpetuâ Comitissâ de Lamberg Supremi S. C. M. Cubicularij Joan. Maximiliani amitâ, Joan. Jacobi Archiepiscopi Salisburgensis ex fratre nepotem, innocentissimæ vitæ juvenem, cæteris Religiosis vix fuga servatis atrocissimâ febri detentum, immaniter tractarunt, horrendum verberibus dedolarunt, aliquoties, donec nigresceret suspenderunt, seminecem de novo cruciarunt, donec demum aliquis asciam capiti gravi ictu infligeret infigeretque, & generosissimus adolescentis animus carcere corporis solutus, ad præmia Martyrum evolaret, quod non semel ipsus prædixerat, &, quod mirabile! hostis adventum, nemine suspicante disertè designans, quâ fugiendum esset, seriò monuerat, ne in hostis manus inciderent; uti revera res sese habuit, hoste, unde nunquam putabatur, fugientes excipiente & trucidante; & qua venturus credebatur, omnibus securè evadentibus. Projectum nudum in lectisternij sacco juvenis cadaver, ea, eo ipso colore, corporis reliquit lineamenta, cujusmodi in sacra Christi apparent syndone, apparentibus profundi in capite vulneris signis, & circumfluentis undique sanguinis, argumentis quoque evidentibus castissimæ mentis, pedis alterius supra alterum ab ipsa coxendice & utriusque brachij & manus obiectu, Pudorem protegentium. Fuit vitæ verè innocentissimæ, juratus sui corporis hostis, tanto obedientiæ studio, ut jussus, in ardentem fornacem certò se commissurus videretur, abstinentiæ & devotionis studio addictissimus, abhorrere ab omnibus sæculi solatijs, solide comprobatus, nihilque abhorrens magis, quàm de suorum inaudire Nobilitate, nudis plerumque genubus, sacris assuetus exercitijs & orationi incumbere, quibus tantopere intentus erat, ut si circum omnia ruerent, ipse immotus & quasi insensibilis, nulla se penitus

Calamitates nostrorum tempore belli German.

F. Rupertus Khuon à Belasij.

Horribiliter tractatur & occiditur.

Ejus vitæ innocentia.

ratione moveret, vel circumspiceret, nulli sermoni attentus, nisi de Divinis rebus esset, talis per omnia, qualem primævo Ordinis sæculo, optimum quemvis fuisse, nobis imaginamur. Sepultus in Cæmiterio Fratrum occultè fuit à fidelibus famulis, hostibus tunc fortè aliorsum evocatis, è cujus tumuli medio, unica atque elegantissima frumenti excrevit spica, quam cum pro thesauro, tanquam Martyris, nuper Novitiorum magister ad maturitatem expectaremus, uti mors illum, ita & messor mihi præmaturè cum gramine demessuit, meamque multum lugentis expectationem delusit. Occubuit expectatissima sibi die & hora 6. Julij, ipsâ Apostolorum Petri & Pauli Octavâ, consummatus in brevi, & explens tempora multa; cujus memoria extat in Benedictione.

Frumenti spica unica tumulo excrescens.

Extinguitur hoc etiam anno lucidum Prælatorum in Germania sydus Reverendissimus Pater ac Dominus Wilhelmus Rivius Abbas dignissimus Monasterij Sanctorum Petri & Pauli Abdingkhofensis, Zelator disciplinæ Monasticæ ferventissimus; de Ordine nostro summoperè meritus, alia inter beneficia viris præstita, plurima per Westphaliam & Saxoniam Virginum reformans Monasteria, & novo fervore sacras Virgines accendens, magno inde fructu, & ædificatione fidelium consequentibus. Vivere in terris desijt hoc anno post decantatas Matutinas S. Michaelis Archangeli, inter verba beatissimæ mortis prænuncia & magna supremæ luctæ solatia: *Maria Mater Gratiæ, &c. & horâ mortis suscipe*, susceptus inque somnū desideratissimæ, post tot labores, quietis resolutus. *Ex mónim. ejusdem Cœnobij communicante Reverendissimo loci Abbate Leonardo van der Becke, &c.*

Wilhelmus Rivius Abbas Abdingkhofensis.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXXIII. Sancti Patris Benedicti. M. C. LIII.

Miraculum nostræ ætatis insolentissimum, non sine sacro horrore & religiosissima reverentia prodendum. Horret autem animus nostris referre verbis, quod ipsissimet sancti scriptoris possumus, de sanctæ memoriæ, æqualis nostræ, Annæ de Goulesne, postea, uti diximus Annæ Mariæ à Jesu Crucifixo dictæ, vita admirabili prorsus, Divinique Numinis in ipsam Gratiarum profusionibus, planè inexhaustis. Sic ergo habet: Sæpè inter Missarum solemnia, puellum Divina facie, sole ipso clariorem in sacra hostia conspiciebat; sæpè Divinis luminibus collustrata undecunque radiabat, atque ea, quæ non licet homini loqui, Deo præceptore, sibi distinctissimè explicata mirabatur. Sæpè cum pro Religionis more statis horis decumbere vellet, fiebat super eam Omnipotentis Dei manus, raptamque in extasim, noctes integras cubili astantem, quæ ad Matutinas, fores pulsabat, Soror stupens reperiebat. Interdum ubi ex Obedientia, vel operi manuum, vel scriptioni vacabat, cadebat super eam excessus, conversisque licet in cœlum, fixisque oculis, ita tamen perfectè (res mira!) opus exequebatur, atque si tota ingenij & mentis industria, in id solum incubuisset. Humilem animum deprimebant eminentissima hæc charismata, tanto siquidem candore, tantâ innocentiâ & simplicitate Patribus Spiritualibus, quos ad probandum hujusmodi Spiritum, si ex Deo esset, sæpè Superiores adhibebant, morem gerebat in omnibus, ut non solum ex fructibus arboris nobilissimæ bonitatem augurarentur, sed potissimum ex subjectione & Obedientia, quæ mirabilius in hoc sydere emicabant, quam ipsimet invisitati motus. Stupendum prorsus, quod sequitur: Die sacro Parasceves, annui Tyrocinij, ubi dirè semet flagellis cecidisset, juxta Congregationis ritum, in Cella *Calvaria* nuncupata (quippe quæ ipsam ad vivam referret) ac circa meridiem, ante prandium, extensis brachijs, ter *Pater* & *Ave* recitaret, visa est ab omnibus, ipsa Anna, inibi mirabiliter extendi, atque in Crucifixi morem deductis manibus, brachijs pedibusque invisibiliter aptari, abscedenteq; Conventu, ex Superioris mandato, ipsa cum nonnullis ex antiquioribus remansit, hujusmodi Crucifixionis, quis futurus esset exitus, observatura. Viditque per tres horas, in hac corporis violentissima extensione, debilem Virginem, viribus exhaustam, jejunam, immotam, perseverasse; quo tempore eam dolorum suorum acerbissimorum participem nobiliter

Ven. Anna de Goulesne.

Ejus Visiones.

Raptus extaticus.

Stupenda gratia.

Sacris signaculis insignitur.

esse-

effeciſſe Chriſtum Dominum, eo credibilius eſt, quod ſeipſam colligens Virginali pudore tota ſuffuſa, tota humili verecundia erubeſcens apparuit, manibus, pedibus, lateri, vulnerum veſtigijs impreſſis, incredibili in his partibus facto dolore, qui ſingulis diebus Veneris augebatur. Stygmata hæc, multo ſanguine manarunt aliquamdiu; ſed importunis precibus, innumeris corporis afflictationibus, congeminatis ſuſpirijs à DEO obtinuit, ut dolores nihil minuerentur, ſed nullum Divini in eam amoris ſenſibile ſignum pateſceret. Præter illa ſacratiſſima vulnera, in partem acerbiſſimorum cruciatuum, quibus auguſtiſſimum Chriſti Domini caput, aculeato diademate redimitum inhorruit, adſcita eſt, tanta dolorum vehementia, ut ſingulis Ferijs ſextis moritura crederetur. Die Feſto Jnventionis Sanctæ Crucis, idem Crucifixionis genus iterum contigit, ſtupentibus & videntibus omnibus. Pulſato etenim ultimo ictu horæ meridianæ, obſervabant, manu quadam inviſibili, extendi Virginis corpus modeſtiſſimè, decentiſſiméque alternatim brachia, pedes, manuſque luxante, ſtatimque ac tertia hora dabatur, priſtino ſtatui corpus mirabiliter reſtituente. Communicavit inſuper perfectiſſimè intimis agoniæ Sponſi dilectiſſimi mœroribus, quibus triſtem eſſe ad mortem, ſacratiſſimam animam querebatur. His, aliiſque ſingularis in ipſam Divinæ benevolentiæ monimentis, ſed præcipuè, qua ſe indies magis deijciebat mirabili humilitate, motus Confeſſarius, probavit innocentem hanc mentem paſci debere cœleſti edulio quotidie ſumpta ſacratiſſima Euchariſtia. Jnde locupletiſſimis DEI miſerentis benedictionibus afficiebatur, tota ſpiritualem ignem ſpirans, tota amore ebria, tota in DEUM extra ſe rapta. Cum autem Divina patiebatur ſenſuumque omnium motibus orbata, pæne mortua credebatur, ſi Superiorum alicui videbatur, aliquid ei intimandum; Verbulum hoc (*Obedientia*) pronunciabat, & ſtatim in Auribus Cordis Annæ, vox quædam arcana inſonabat, quæ de Voluntate & mandato Matris eam admonens, relicto DEO ipſo, totam jubentis imperio mancipabat. *Huc uſque ſcriptor, dignior, ut propior nobis tantarum rerum relatione, & R. P. Tribout.*

Ea viſibilia ſigna tolli ſuppliciter exorat.

Ita & agonizanti in horto compatiebatur.

Extaſes mirabiles, quas inter obedientia ſola prævalet.

Feliciſſimi noſtrorum ex tot laboribus & periculis in Anglia ſucceſſus, DEO ipſo mirificè ſuorum tam generoſorum pugilum conatus commendante; Romano item Pontifice merita eorumdem agnoſcente & probante, atque ad inſtantiam Reverendiſſimi & Jlluſtriſſimi viri Domini Abbatis Conſtantini Cajetani, Collegium Gregorianum in Urbe ijſdem Congregationis Anglicanæ Patribus, eorumdemque pari intentione in idipſum propagandæ Fidei Catholicæ ſtudium educatis alumnis, aſsignante. Jnſtrumentum Conventionũ & promiſsionum factarum per Collegium Gregorianum de Urbe, cum ſacra Congregatione de Propaganda Fide, ſubijcimus.

Jn Nomine Domini Amen.

Anno à Nativitate ejuſdem Domini noſtri JESU Chriſti, Milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo. Jndictione 15. *die vero* 7. *Maij. Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D.N. Urbani Divina providentia Papæ VIII. Anno nono: Cum ſit, quod A.R. D. Conſtantinus Cajetanus Syracuſanus, Abbas S. Baronti ex Congregatione Caſinenſi Collegium Monachorum Benedictinorum Gregorianum nuncupatum in Alma Urbe trans Tyberim prope Ædes S.P. BENEDICTI erigi, multiſque Privilegijs & gratijs, à felicis recordationis Gregorio XV. muniri curaverit, prout latius in litteris Apoſtolicis ſub plumbo expeditis* 15. *Kal. Junij* 1621. *Cumque idem R. D. Conſtantinus in eiſdem litteris, ejuſdem Gregoriani Collegij Abbas Præſidens perpetuus conſtitutus, conſiderans inter Divina opera, juxta Sanctum Dionyſium Areopagitam, illud eſſe Diviniſſimum, quod potiſſimum ad ſalutem animarum ordinatur, recolenſque S.P. Benedictum, innumerabileſque illius alumnos & Monachos ab initio inſtitutæ Religionis Benedictorum per plura ſubſequentia ſæcula pro infidelium Hæreticorum & Schiſmaticorum converſione & ſalute laboribus plurimis, ac itineribus Maximis inſudaſſe & profuſo etiam ſanguine, & denique vita ipſa decertaſſe, ac illorum exempla ſibi proponens, veſtigiaque ſequi ac premere volens, Sacræ de propaganda Fide Congregationis ab eodem Pontifice anno* 1622. *erectæ Jnſtituto inhærens, ac de illius Patrocinio & auxilio confiſus, ad omnipotentis DEI gloriam,*

Erectio & confirmatio Collegij S. Gregorij in Urbe.

Urbani VIII. Diploma.

ejusq; sanctì Evangelij per universum mundum propagationem ejdem Sacræ Congregationi idem Collegium innixum esse cupiens, infra præfata publico Instrumento, ac solemni stipulationis vinculo firmanda & observanda obtulerit: Cumque ejusmodi oblatio in sacra Congregatione de Propaganda Fide bis fuerit, referente Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinale S. Sixti, examinata, & tandem post maturam deliberationem admissa & acceptata, idemque Eminentissimus & Reverendissimus Dn. Cardinalis S. Sixti, & perillustris ac Rev.mus Dominus Franciscus Ingolus ejusdem sacræ Congregationis Secretarius, ad eamdem oblationem recipiendam, ac super ea Instrumentum eis benè visum conficiendum fuerint deputati, eisque data facultas, ut eumdem Abbatem Præsidentem, ejusque Successores totumque Collegium præfatum, sub Patrocinio & Tutela S. Congregationis (salvis contentis in Bulla dicta Gregorij XV. & Juribus Dominorum Protectorum dicti Collegij) reciperent: qui Abbas Præsidens, Successores & collegium præfatum propterea nullo modo dubitare possunt, quin eadem sacra Congregatio ex sua benignitate eisdem omne auxilium, patrocinium ac favorem præstitura sit, quam in creditis dicti Collegij exigendis, quam in supplicando Sanctissimo D. N. Papæ, ut Privilegia & prærogativas Collegiorũ Pontificiorum, præsertim in ordinatione Alumnorum ipsius Collegij, tam secularium, quam Regularium, eorumq; promotionem ad Magisteria litteraria, aliasque gratias concedere dignetur. Hinc est quod in eis dictus A. R. D. Constantinus Cajetanus Abbas S. Baronti ex Congregatione Casinensi & Gregoriani Collegij de Urbe Abbas Præsidens (salvo & reservato inprimis & ante omnia consensu & beneplacito Sanctissimi D. N. Papæ, præsenti Instrumento & omnibus in eo contentis, nec non salvis omnibus & singulis in Apostolicis litteris Erectionis Grezorij Collegij de Urbe contentis, salvisque in omnibus & per omnia Juribus & Prærogativis Eminentissimi Domini Cardinalis pro tempore Protectoris, quibus per hanc oblationem, & infradictas conventiones & promissiones derogare nullo modo intendit, quod in omnibus & singulis infra dicendis repetitum esse voluit, & declaravit sponte omnibusque per se & suos in dicto Collegio Successores in infinitum. Idem Collegium Gregorianum de Urbe nuncupatum Patrocinio, auxilio & tutulæ dictæ sacræ Congregationis de Propaganda Fide submittendo promisit & convenit eidem sacræ Congregationi, & pro eâ dictis Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali, & Perillustri ac Rev.mo Domino Francisco Ingolo ut supra deputatis, præsentibus, & perpetuis futuris temporibus, quod in præfato Collegio, ad habitum & Professionem non recipientur, nec acceptabuntur, nisi, qui ultra Vota Monastica in Religione Benedictina consueta, quartum etiam Votum Missionis emiserint, sub infra scripta forma: Ego N. promitto & juro ac voveo, quod ad nutum ac mandatum Sacræ Congregationis de propaganda Fide, ad ea loca, prædicandi Evangelij, gratia, juxta Ejusdem sacræ Congregationis Institutum & Regulas me transferam, ut quæ, etsi longissimè dissita ab Urbe fuerint illius Eminentissimi Domini Cardinalis me destinaverint, eo miserint. Sic me DEUS adjuvet & hæc sancta DEI Evangelia. Quod si alibi professi, & in numero Monachorum Collegiorum præfati Collegij Professorum adscribi voluerint; idem Votum Missionis, præscripta forma servata emittere omnino teneantur, exceptis Abbate & Ministris pro tempore ipsi Collegio inservientibus.

Ad Instantiam Rev.mi Abbatis Const. Cajetani.

Secundo promisit & convenit etiam, quod in eodem Collegio Alumni diversarum nationum ad Ejusdem Sacræ Congregationis mandatum, pro habitantium tamen commoditate & capacitate, recipientur, in eóque instruentur, & si Collegij reditus excreverint, adeò, quod supportatis oneribus Collegij supererit unde ali & nutriri possint, de victu & vestitu, ejusque necessarys providebuntur. Hujusmodi autem Alumnis licitum sit, si voluerint, absque alia dictæ Congregationis licentia, aut assensu, in eoden Collegio Religionem Benedictinam profiteri, in alijs vero Religionibus, aut in Benedictina, alibi tamen quam in dicto Collegio, minimè, nisi servata forma Juramenti, ab eadem sacra Congregatione Alumnis Collegiorum Pontificiorum præscripti, quod Iuramentum ijdem Alumni in manibus Abbatis Præsidentis ejusdem Collegij pro tempore, præstare omnino debeant ac teneantur, eodem prorsus modo, quo illud ab Alumnis Pontificijs præstatur, cujus quidem Juramenti formula, in calce præsentis Instrumenti erit registranda: addita clausula pro Religione Benedictinorum ad favorem Collegij, juxta supertus adnotata. Et præmissa omnia & singula, dicti Eminentissimus & Rev.mus Dominus

Alumni diversarum Nationum.

Car-

Cardinalis S. Sixti, & Perillustris & Rev.mus Dominus Franciscus Ingolus, ut supra deputati, & vigore facultatis & auctoritatis, eis per dictam sacram Congregationem indultæ, acceptando (salvis contentis in dicta Bulla & Juribus Domini Cardinalis Protectoris pro tempore) idem Collegium Gregorianum nuncupatum de Urbe, illiusque Abbates Præsidentes pro tempore, Monachósque, Alumnos, Ministros, &c. Agentes, quoscunque, sub Patrocinio auxilio & favore Ejusdem Congregationis de Propaganda Fide, benignè in Domino receperunt & amplexi fuerunt. A qua sacra Congregatione pro sua benignitate idem Collegium, Abbas, Præsides & Successores, aliique præfati expectare poterunt omne auxilium, Patrocinium & favorem, tam in creditis dicti Collegij exigendis, quam in supplicando Sanctissimo D. N. Papæ, ut Privilegia, prærogativas, & alias oportunas gratias Collegiorum Ponificiorum, & præsertim circa Ordinationem Alumnorum ipsius Collegij tam Regularium quam Secularium, eorumque promotionem ad Gradus & Magisteria litteraria concedere & elargiri dignetur. Quæ omnia & singula præmissa, dictus A. R. D. Abbas promisit per se & suos in dicto munere Successores in perpetuum attendere, & ad unguem ac inviolabiliter observare & complere; eaque fecit, ac facere dixit ob singularem devotionem quam gerit erga Eandem sacram Congregationem, ejusque sanctum Institutum, quod est, propagandi Catholicam Fidem in Universo Orbe. Pro quibus idem A. R. D. Abbas se ejusque Successores in infinitum, ac dictum Collegium, & illius bona quæcunque tam mobilia quam stabilia, Jura, credita & actiones quascunque præsentes & futuras obligavit in forma Cameræ Apostolicæ cum Clausulis, &c. citra &c. Posita manu ad pectus &c. Super quibus &c. Actum Romæ in Ædibus Monasterij S. Petri ad Vincula, cujus Ecclesiæ dictus Eminentissimus Dominus Cardinalis S. Sixti, est Titularis, ibidem præsentibus Admodum Illustr. & Adm. Reverendis Domino Papirio Silvestrio filio Illust. Equitis Cinthij Silvestrij de Cingulo Auximanæ Diœcesis & A. R. D. Maria fil. quon. Ioan. Baptistæ Oldoini Ianuen. testibus ad prædicta vocatis, habitis, atque rogatis.

Sub Patrocinio S. Congreg. de Propaganda Fide.

Ad eamdem propagandam obligati.

FORMULA JURAMENTI A BALUMnis Collegij Gregoriani de Urbe præstandi.

Ego N. filius N. Diœcesis N. plenam habens Instituti hujus Collegij Notitiam, Legibus & Constitutionibus ipsius, quas juxta Superiorum explicationem amplecter, me sponte subjicio, easque pro posse observare promitto. Insuper spondeo & juro, quod dum in hoc Collegio permanebo, & postquam abeo quocunque modo sive completis, sive non completis studijs, exiero, ante elapsum triennium, nullam Religionem Societatē aut Congregationem Regularem, præterquam in Religione Benedictina, & in hoc Collegio Gregoriano de Urbe, sine speciali sedis Apostolicæ licentiâ, vel Ejusdem Sedis Nuntij ingrediar, neque in earum aliqua Professionem emittam. Item spondeo & juro, quod Volente Eminentissimo Protectore, aut dicta sacra Congregatione de Propaganda Fide, aut ejusdem Sedis nuntio, Statum Ecclesiasticum amplectar, & ad omnes sacros, etiam Presbyteratus Ordines, cum Superioribus visum fuerit promovebor. Denique spondeo & juro, quod Ejusdem Eminentissimi Cardinalis Protectoris, vel præfatæ Congregationis de Propaganda Fide, vel ejusdem Sedis Nuntij, sine mora, in provinciam meam revertar, ut ibi in Divinis administrandis, laborem meum ac operam pro salute animarum, impendam, quod etiam præstabo, si cum præfatæ Sedis licentia; aut post triennium præfatum sine dicta licentia, Religionem, Societatem aut Congregationem Regularem ingressus fuero, & in earum aliqua professionem emisero. Sic me DEUS adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia.

Formulæ Juramenti præstandi.

Pro Domino Dominico Fonthia Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Not. de promissis rogato, Ego Adrianus Gallus ejusdem Curiæ Not. præsens Instrumentum subscripsi, & publicavi, rogatus.

Adeo dignam observatione hanc Anglicanæ de Propaganda in Patria Fide, prolationem, & cum sacra Congregatione Romana unionem præfatus Reverendissimus & Illustrissimus Abbas & Marchio Cajetanus habuit, ut me sequenti statim anno, pro evulgatione commodiore tam sanctæ intentionis summopere in Martyrologio seu Menologio hoc ipsum inferere exoraverit, his ipsis quæ miserat Verbis.

Nonis Maij: Romæ Festiva Commemoratio S. Gabrielis Archangeli, in Collegij Gregoriani Ordinis S. BENEDICTI, ejusque Alumnorum per universum mundum, Fidem Christianam æque ac Catholicam propagantium, Custodem ac Patronum

Commemoratio Anniversaria Institutionis.

num cooptati, eò quòd ea ipsa die & anno Christi 1632. *ejusdem Collegij unio facta est cum sacra Eminentissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium Congregatione de Propaganda Fide.*

Innotuit statim hoc anno 1633. felicissimum hoc nostrorum, sese pro Christi nomine & Romanæ Ecclesiæ Fide asserenda, victimas offerentium studium, multósque mirificè accendit, insigni deinceps fructu consequente.

Ven. Marina de Escobar.

Evolavit hoc ipso anno 1633. 9. Junij ad perennes cœli delicias, Marina de Escobar Virgo Hispana Nobilitate Generis, ac virtutum omnium ornamentis excultissima, quæ inter cæteros cœli cives, singulari cultu Sanctissimum Patrem nostrum BENEDICTUM venerabatur, quem non semel sibi adstitem, & salutis solatijque plena documenta tradentem audire & intueri meruit. Ille occurrens quandoque in Comitatu diversorum Cœlitum, sequentia monita concionabundus ingessit, merito huc referenda, ut & alij tam Divinis instruantur & concitentur dictatis. Thema seu proloquium orationis erat, illud Matthæi 5. *Beati pauperes Spiritu, &c.* Tum verba sic orsus est texere: *Verè beati pauperes Spiritu, & qui ob DEI honorem patiuntur multa, hi enim erunt divites & à benignâ Domini manu multis donis bonisque replebuntur: Tu verò anima mea* (Marina) ex singulari providentia, pulveré terræ contempsisti, tam prompta voluntate, tam læto corde, quod tibi à Domino datum est, ut parata fueris omnia Regna omnesque mundi thesauros abijcere & conculcare. Nunc anima mea per vinculum Charitatis, fortiter alligata es DEO, & DEUS tibi, qui etiam præter ingentes gratias, quas citra omne meritum tuum, ex purissimo amore in te effudit, plures adhuc accumulabit tibi, quarum tamen notitiam in hâc terra nullam habitura es; Multa imo vero plurima largitus est Tibi DEUS. Adnitere ergo mea Anima, ut pro viribus tuis gratam te præstes tantis miserationibus ac beneficijs tibi collatis. Cura diligenter ut talenta, quæ Dominus tibi credidit, cum fœnore reddas, ad quod aderit tibi Dominus exuberanti cum auxilio, ut exequi tanto ferventius id possis quod abs te rationes debiti tui poscunt. Quæ gratia, quoniam omne meritum tuum longè superat, habes unde te in conspectu Divinæ Majestatis quam profundissimè deprimas. Nec dubites Anima mea, quin assiduâ exercitatione Virtutum amoris Divini, quo te Dominus intimè amplectitur, semper sis particeps futura, modo tu hanc flammam charitatis, per tuam extingui socordiam non sinas. Quanta vero res sit, DEUM amare, & amari à DEO, non est animus hoc loco tibi pluribus explicare, Dominus hoc facere per seipsum dignabitur. Interim hoc unum habe, Te in omnem æternitatem permansuram apud DEUM; qui sit Benedictus! Perge proin solatio plena perseverare in pace & tranquillitate animi tui. His dictis S. Pater ipsi benè precatus cum cæteris videri desijt. Sed & pluries deinceps eidem, maximè sub extremos vitæ dies ipsi apparuit, & tandem felicem mortem prænunciavit: quam præcessurus esset Adventus Deiparæ cum Angelorum, aliorumque Cœlitum Choro, ejus animum in cœlestia subvecturæ: quin & ipsum Regem Gloriæ venturum obviam prædicebat, sponsamque sibi charissimam dulci pacis osculo excepturam, in præparatum purissimæ Voluptatis thalamum deducturum. Quæ omnia quarto post die evenere, quando Marina post gravissimas cum dæmone luctas, mille identidem in Cœlum præmissis suspirijs, inter suavissima JESU & MARIÆ Nomina, in sponsi sui amplexus felicissimè evolavit. *Ex Vita ejusdem Marinæ.*

S. P. Benedictus ipsi familiaris.

Mira exhortatio.

Humilitas commendatur.

Mors prænunciata.

Mors beatissima.

Clausit hoc ipso quoque anno cursum Vitæ laudabilis Venerabilis P. D. JOANNES BAPTISTA NANUS ex Patricio Veneto Monachus Casinas. Elogium vitæ ut accepimus, dignum est ut inseramus.

Joan. Bap. Nanus.

Studia ejus.

Adolescens pietatem, humaniores que disciplinas in seminario Romano edoctus est Rei Maritimæ postmodum, Venetæ nobilitatis instituto, aliquandiù operam navavit: tum Parisijs biennio, mox triennio Madriti cum Reipublicæ ad eos Reges Oratoribus exacto, non vulgarem ex Aulis, ex diversarum gentium consuetudine usum, ac prudentiam collegit. E Gallijs Belgium, & Germaniam: Ex Hispania Lusitaniam omnem animi gratia peragravit. Venetias

tias regressus alia ex alijs munera publico bono ad annum ætatis trigesimum sextum prudenter administravit. Quo tempore introspecta à Divinitus rerum caducarũ, quæ fucato splendore mortalium mentes excæcat, inanissimâ vanitate, animum honoribus, ac sæculo multam salutem dicere, ne suæ saluti dicere cogeretur, induxit. Ergo ad S. Georgij Majoris Venetiarum Monasticen Professus ex D. Benedicti placitis, omnem Cœnobij disciplinam, & minutissimos quosque ritus, cujusvis prærogativæ, & immunitatis fugitans, strenue sectabatur. In obeundis humilioribus obsequijs promptus, & alacer, non erubuit inter juniores socios, homo id ætatis, à Veneta Nobilitate, gravissimisque Senatoribus videri publicè dum eas functiones exerceret, quæ primo ad Religionem ingressu Tyronibus committi solent, utpotè leviores, & puerilibus annis, atque imbecillitati magis accommodatæ: Noverat enim Christianæ Philosophiæ præcepta in Religioso lycæo addiscere volenti, cum cætera sæculi perversa dogmata, tum verò in primis propositeram recti verecundiam dedisscendam esse, maximumque exhiberi adultæ sapientiæ argumentum, repuerascere in Christi gratiam, ac desipere. Absoluto tyrocinio, laxius vivendi opportunitatem ad arctiorem instituti custodiam traduxit; haud ignarus, illiberalem eos, ac miseram servitutem in Claustris servire, qui se in libertatem, quam liberè Numini addixerint, dennò conentur asserere; contra verò honestissimam esse, ac jucundissimam eorum conditionem, qui semel ultrò admissa votorum vincula studiosissimè præcavent, nè dissolvantur, nevé procedente tempore minus firma evadant, & laxiora. Intra cellulam, quàm diutissimè latebat, studiosus silentij cultor, & sicuti amans continebat sese: non desidiæ & otio; sed rerum divinarum contemplationi, lectioni sacræ, ac studijs litterarum perpetuo vacans. Imbecilli, ac fracta valetudine cum uteretur, & jugi, ac molesta pituita laboraret, crebra deambulatione effœtum corpus recreabat; loco tamen quantum poterat, remotissimo, nè cui molestiæ, vel impedimento esset; tum etiam ut secum ipse multò præstantioris Philosophiæ exercitationi, quàm Peripatetici olim deambulando insisteret. Die noctuque Divinis laudibus celebrandis intererat semper, quo in genere piam esse animi alacritatem, & inflammatum studium testabatur, inter primos accessus ad Chorum, inter novissimos recessus. In exteriore totius corporis membrorum habitu ad eximiam Religiosæ modestiæ speciem conformato, interior animi tranquillitas, & pulchritudo elucebant: Macies ac pallor vultus, quos inedia, vigiliæ, & cæterà vitæ rigidioris incommoditates, non parum indulgentis naturæ severitas invexerant, plurimum illi venerationis, ac reverentiæ conciliabant, nec vulgarem pietatis sensum affabanti intuentibus. Ne firmissimo ad omnem virtutem, ac sanctimoniam præsidio, bonorumque omnium copiosissimo fonte seipsum propria socordia fraudaret; Missam quotidie faciebat, præclaram inter litandum religiosi animi significationem præseferens: Ad Aram nisi vocis, ac mentis precatione diù, attenteque meditatus non accedebat. Qui sciret, quanto nos ipsi studio, animique puritate ad divinissima mysteria comparaverimus, tantumdem ex ijs solere in nos utilitatis, ac fructus dervari. Ab omni fastu, ac jactantia prorsus abhorrens, de seipso, generis, ac Patriæ splendore, muneribus in Republica gestis, nationum quas vidisset, varietate, ac moribus, Regum aulis, in quibus diù commoratus fuisset, nunquam loquebatur, nisi ab alijs interrogatus, idque etiam perparcè, ac pene invitus. Magistratus verò, ac Dignitates in Religione tantum aberat, ut quæreret, ambiretuè, ut nihil accuratius fugeret, nihil pertimesceret vehementius; in humili, ac laborioso privatæ vitæ statu sub Obedientia jucundissimè conquiescens; ut mihi verè videar posse affirmare, mortem illi, tùm alias ob causas, tum ob eam præsertim jucundissimam illi fuisse, quòd nullis dum honestiæ disciplinæ præfecturis functus vitæ cursu peropportunè fungeretur: Id verò Christianæ demissionis sublimitati, non abjectioris animi dissidentiæ ac languori adscribendum esse argumento sunt, in quotidianis ministerijs, quæ illi demandabantur, mira in obeundo sedulitas, ac prudentia; sed quo studio altiores gradus, ac speciosiora munera declinabat, eodem vulgarium functionum occupationes, ac abjectiora ministeria sectabatur.

Trium votorum quæ in religiosa professione nuncupasset, diligentissimum custodem se præstitit; nam integritatis, ac pudicitiæ studium, & curam singularem, somni breves, producta vigiliæ, parcior cibatus, & perpetuum fermè jejunium, multa frigoris, & æstus perpessio, castissimi sermones, otij fuga, vel eo tacente disertissimè omnibus

Ejus in Rep. munera.

Ut Monachus.

Animi demissio.

Repuerascere sanctum.

Ejus cura in votorum observatione.

Studium contemplationis.

Nemini molestus.

Chori labor Deo gratus.

In Missa celebranda assiduus.

Ab omni fastu alienus.

Prophanæ abhorret loqui.

Mors illi jucundissima.

Sedulus in demandatis.

Vitæ integritas.

Paupertas ejus.

nibus pervulgabant. Paupertatem vero ita colebat, ut ejus duritiem, & incommoda videretur habere in deliciis: Omni superfluitate resecta, res omnes ad vitæ usuram necessarias ita usurpabat, ut illud ex Regula secum repetens (Monachus omni extremitate contentus sit) vetustiora novis, deteriora humilioribus præferret; hinc cubiculum non alio peristromate, quàm religiosæ nuditatis ornatu spectabile; hinc habitus decens, non elegans, non tenuis, non sordidus; hinc in libris, & cætera supellectile, nihil exquisitè cultum, aut comptum.

Nulla curiositas in Cella.

Nulla curiositas, nulla sæculum redolens inanemque virtutis animum contestans accuratior concinnitas visebatur, si quos in Cœnobijs aspiceret comptiores, eorum vicem, & imprudentiam vehementer admirari solebat, ac dolere; quippe qui castissimam religiosi amictus speciem profano cultu corrumpentes, non sine gravi totius Ordinis injuria, & dedecore, ipsis etiam profanis hominibus, vel mediocri, seu probitate, seu

Vanitas scandalosa ipsis secularibus.

prudentia præditis, ultrò se ipsi vanissima ostentatione irridendos propinarent, eademque arte, atque industria existimationis, ac famæ jacturam facerent, qua inanem gloriolam, & nominis celebritatem aucuparì conarentur. Nam sicut Monastici vestitus honestissima simplicitas Regibus olim in pretio, & admiratione fuit, ita nunc sacrarum vestium decorem adscitiij nitoris, & elegantiæ fuco contaminatum, ipsi etiam vulgo, & infimæ plebeculæ deridiculo esse conspicimus, ac contemptui: siquidem mollia indumenta (ex D. Ber. verissimo sensu) animi mollitiem indicant, &

In Apolog. ad Gulicl. Abbatem.

vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, nec tanto studio corporis cultus curaretur, nisi mens prius neglecta fuisset inculta virtutibus (Ut in hac tempora nimium ex vero cadere videamus illud ejusdem Doctoris:

Ibidem.

Jam Religionis antiquæ, non solum virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Habitus noster qui humilitatis esse solebat insigne, à Monachis nostri temporis in signũ gestatur superbiæ) Pecuniæ verò usum ita oderat, ut ab ejus etiã contrectatione & aspectu vehementer abhorreret; nec nummos

memorabile exemplum.

apud se quamvis perexiguo numero vel tempore, nec in itinere constitutus residere patiebatur. Venetijs in D. Georgij sodalitio, quamvis ad religiosos usus quoscunque omnia sibi ab Cœnobij Oeconomis prolixissimè

Nihil ultra necessitatem.

polliceri posset, nihil tamen ultra necessitatem quæsivit unquam, vel admisit. Sub Religiosam Professionem, præter insignem pecuniæ vim, in præsens numeratam, annuos scutatus biscentum sacrario de paterna hæreditate legaverat: De hac ille numerorum summa tantum abest, ut in vestes, libros, aliasvè hujusmodi res quàlpiam suo nomine expendi curaverit, ut ne

Magna reverentia.

præsens quidem esse, cum per Agnatos quotannis accuratissimè publicis Cœnobij Ministris representabatur, sustineret. At verò

Obedientia Virtus.

Obedientia virtutum omnium parens, ac custos præcipuâ sollicitudine culta semper ab eo est, & privatis studijs, tametsi pietatis specie & spiritualis profectus lenocinio blandirentur promptissimo animo prælata: Quo etiam fiebat, ut vitæ communis, & disciplinæ sectator acerrimus, conventus publicos perpetuo frequentaret, indictasque omnibus functiones studiosissimè amplecteretur. A suscepta Religione ad

Abstinentia.

extremum usque ætatis annum carnium esu, nisi gravi morbo implicitus decumberet in lecto, abstinuit semper: quò difficilius factu videbatur illi persuadere, ut stomacho in pejus quotidie prolabenti consuluerus, carnes esitaret, tum ipsomet stomacho reclamante, qui meliores cibos magis aspernaretur, ac respueret; tum animi decreto protractam ad illud tempus vivendi rationem, nisi periculosa ægritudo intercederet, ad obitum usque merdicus retinendi. Nihilominus admoneuti mihi (quem

Ejus Confessarius.

vitæ suæ moderatorem esse voluerat) ut solidioribus escis confirmandæ virium imbecillitati paulatim assuesceret, nihil contrà in excusationẽ prætexens promptissimo animo obsequentem se præstitit. Si quando superiores ob tenuẽ hominis constitutionẽ & profectiores annos in publicã Cœnobij munerum distributione, quæ paulo laboriosiora, atque humiliora putantur, immunem illum reliquissent, ferre non poterat, cæteris in opere versantibus nullum sibi onus

Vilissima expetit.

soluto, ac libero ferendum esse; nec quiescebat quoad modestissimis precibus impetrata beneficij loco ministerij cujuspiam exercitatione, laboris immunitatem illam à se deprecaretur. Agebat jam annum ætatis quinquagesimum, Vitæ Monasticæ quartum decimum, cum lethali febre correptus

Extrema Infirmitas.

est. Toto ægritudinis tempore nulla vox in perferendo Morbo admittendisque Medicamentis perturbati animi vestigium, nulla productioris vitæ cupiditatem, nullæ propinquantis mortis horrorẽ, vel metum præseferens audita; lamentationes nullæ, nulli questus: sed æquitas animi, moderatioque summa, & admirabilis quædam in

omnibus

omnibus cum Divina Voluntate conformatio. Resignationis. *Aliquot ante mensibus, quam supremùm ægrotaret, audivi ex eo cùm diceret, arbitrari se, fore, ut quamprimum discederet è vita; quippe qui vires quotidie prolabi, & notabilem in modum deficere sentiret, ac suæ stirpis nonnullos laborantes itidem ex stomacho brevioris ævi fuisse recordaretur. At verò cùm gravius decumbenti in lecto semel assiderem: meus frater, inquit, hoc eodem invaletudinis genere conflictatus, annosque totidem natus, quot ego nunc, naturæ concessit; significans, quæ antea mecum de vicina morte commemorasset, ea inpræsens certissimo rei eventu comprobari. Demum tertio decimo ægritudinis die, susceptis eximiæ pietatis specie salutaribus Sacramentis, ingravescentis* Mors felix. *morbi vehementiæ succumbens, animam placidissimè exhalavit. Anno* 1633. *die* 25. *Februarij. Omnium animos qui aderant gravis religiosa permixtus iocunditate mœror invasit, eo sublato, cujus ad superos felici demigratione (ut spes est) ita congaudebant, ut charissimi interim sodalis religiosissimo convictu, & castissimæ disciplinæ documentis orbatos se, ac destitutos ferreni ægerrimè. Præclara Jo. Baptistæ virtus, ac probitas per omnem sodalitatem nostram evulgata, celebre illi nomen, ingentemque apud omnes venerationem comparavit: hæretque in animis omnium ea penitus infixa opinio inter Casinensis Congregationis alumnos, qui multis abhinc annis vitæ sanctioris titulo maximè illustres numerantur Jo. Baptistæ Nano haud ignobilem locum meritò assignari ab omnibus.* Magna viri æstimatio.

Decessit Placentiæ in D. Sisti Monasterio, ubi alterum jam annum ex animi sententia traducebat, vicissim ipse toti sodalitio acceptissimus. Defuncti cineres, & ossa peculiari tumulo Placentini Patres concluserè, quo aptius peculiarem in ipsum Amorem, atque observantiam testarentur. Quanti factus?

IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.XXXIIII.
Sancti Patris Benedicti. M.C. LIIII.

MEmorabilis hic annus duorum illustrissimorum illatorum cœlis è terris syderum, Dominæ quondam & Ancillæ, consimilibus postea & vocationis gratia, & vitæ sanctioris norma. Ven. Franciſca de Calouette. Domina fuit Franciſca de Calouette Monasterij de Calvaria in Urbe Morelatensi Fundatrix beneficentissima; famula Franciſca, paupere proculdubio, adeóque nullo censa nomine familia. Erat hæc Dominæ suæ nunc memoratæ à secretis, simplex licet, DEI tamen sapientia plena puella, quam alendorum educandorumque natorum causa, sibi in obsequium adsciverat, ita Dominam demerita, ut altera alteram Christo, ad lectioris vitæ consortium lucraretur, utraque sanctissimo nostrarum de Calvaria Monialium instituto, sese devovens, ut suam post Christum proximè crucem bajularent. Ancilla, ne desineret ancilla dici & esse, inter conversas accensa, eâ postea vitæ sublimitate eminuit, ut nemo non DEO ipsi charitate junctissimam animadverteret, Acceptum quippe sacrum velum, omnibus quam primum virtutum cumulis implere constituit, & verè implevit, singulare totius Congregationis facta ornamentum. Mortificationi inprimis, & orationi studuit, quibus post exantlatos prius multos labores, & immensos animi angores superatos, ad intimum Christi Domini familiareque contubernium DEO miserente assurrexit. Jnde raptus ei ad DEUM elevatæ quotidiani, extases frequentissimæ, crebræ revelationes. Sed hæc in oculis tantummodo sororum, & privatos inter parietes; quod DEUS etiam in oculis omnium ad suam & Ordinis gloriam, ad solatium & incitamentum multorum voluit, contigitque, cùm in publica & solemnissima supplicatione, necessitatis publicæ causa & ipsa interesse cogeretur. Adfuit autem fune ad collum appenso, ipsa in oculis suis minima, & quasi malorum omnium impendentium rea; verum prodente Numine quanti esset, hæsit statim hujus rapta amoribus in ingressu Chori, sopitis sensibus omnibus, tota amoris æstu, oestroque sacratissimo percita, magna in populi frequentia, nemine non advertente, cujus hæc manu fierent, DEUMque in famula sua glorificante. Humilitati inprimis atque Obedientiæ addictissima erat, nihil proprij corporis necessaria curans, obsequia. Jnterdum cum coquinæ vasa curaret, in extasim rapiebatur, ac siquando tardius, hoc modo impedita, operi manum admovisset, vocato ad se Custode Angelo statis horis jam omnia parata cernebat. Vix

Franciſca Conversa Calvariensis.

Extatica lingo.

Ejus merita fiunt publica.

dum modico sese cibo reficeret à raptibus libera, semper nihilominus Deo cohærens, dum, quid comederet? rogaretur, planè comedere se ignorabat. Jpsam crebris insultibus cacodæmones turbare conati, invictâ ejusdem in DEUM fiduciâ etiam contemptim rejecti sunt, & desputi. Contigit subinde ægritudine corporis correptam, ab obeundis laboribus & consuetis impediri munijs; ex quo ipso plurimum dolens, supplex quamprimum Virginem Matrem exorabat, atque illico mirabiliter convalescens, quæ necessaria erant opera feliciter exequebatur. Contigit id quandóque cum pleuritide desperata laboraret, eo die quo moritura credebatur: vocatâ siquidem in opem MARIA, lectulo exiliens viribus pristinis recuperatis ad solidum pensum contendit, mirantibus alijs & rogantibus: unde isthæc insperata novitas? unde robur & vires essent? Fassa ingenuè est simplex Virgo: *Matrem*, inquit, *Virginem sanctissimam in auxilium vocavi, quæ memet tangere dignata, absolutæ sanitati restituit.* Fuit grata admodum sanctæ memoriæ Matri Annæ de Goulaine, de qua supra, & visa utraque est sæpius, cum ipsis per Superiorum licentiam licebat colloqui, inter loquendum rapi in extasim, ita ut per multas horas immotæ hærerent, corporibus in terra sine ullo vitæ sensu, spiritu vero inter cœlites diutissimè conversatæ, intelligentes utraque quid ipse Optimus DEUS & Dominus animabus illum verè quærentibus impertiretur. Vidit sancta hæc soror Franciscа, Annam aliquando, dum Professionem suam legeret sive repeteret, loco in quo versabatur multâ cœlitum turbâ completo, ambitioso Angelorum famulatu ad osculum pacis deduci, multasque alias cœlestes habuit visiones & visitationes. Verum denique tot tantisque cœlestibus ornamentis cultissimam, inque innocentissima mente aggregatis divitijs locupletem, abesse sibi diutius cœlum non est passum; ac proin febri vehementissimâ correpta, ita languere cœpit, ut vita ejus planè à medicis desperaretur. Jntellexit periclitari de vita tam charam Numini sponsam R. P. Joseph de Morlaix, Franciscæ quondam nutricius, totóque tunc Regno Galliarum celeberrimus Ecclesiastes Capucinus, cui nihil magis in Votis fuit quàm morienti adesse, sed cum subitus casus, sacro ejus desiderio nimiopere obsisteret, ita ut per aliquot dies abesse cogeretur, exorato Numine, morienti præcepit, ut ad occursum usque suum operiretur. Paruit humilis Virgo, neque enim priùs, manifesto miraculo, vitam, etsi ad immortalitatem plurimum anhelans, abrupit, quàm præfatus occurreret Pater, ipsóque intuente felicissimè moreretur; nimirum postquam sibi injecto in collum fune, ab omnibus publica pœnitentia veniam poposcisset: tunc enim, utpote quæ imperio subditam mortem habere videretur, converso in dextrum latus corpore, capite in manus Jnfirmariæ inclinato, Sacramentis omnibus ritè præmunita, pacatum Spiritum sponso tradidit hoc ipso anno 1634. die 4. Aprilis, cujus multa facta miracula referuntur, omnibus ad sacrum funus ejusdem occurrentibus *Sanctam* proclamantibus, & ut talem venerantibus. Acciviſſe paulo post etiam Dominam suam visa est, & ad præmia æternitatis evocasse, quæ nimirum decimo pòst die, 13. Aprilis ejusdem anni plurimis bonorum operum cumulis dives in eodem Monasterio, felici transitu Franciscа Franciscam sequuta est: cum utraque insigni sanctitatis exemplo cæteras sorores excitasset, suamque in omni vitæ rigore constantiam & generositatem insigniter comprobasset.

Infestos inferos patitur.

Ope Deiparæ sæpius convalescit.

Visio ejus.

Mori differt in gratiam viri alicujus sacri.

Sanctissimus ejus Obitus.

Moritur & Domina ejus ejus.

IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.XXXV. Sancti Patris Benedicti. M.C.LIIII.

DIrissima hoc anno Germaniam fame atrociter flagellante, dum bello exhaustos diuturno, rerum juxtà omnium inopia premeret, nec infimam solum plebeculam affligeret, sed & delicijs assuetos pessimè haberet, felibus, canibus, muribus, cùm inedia consumptis, tum in alimentum quæsitis, gramine, fœno, stramine, luto ipso in cibos hominum versis. Tanta omnium in calamitate mirum omnino, quanto sese Charitatis solidioris affectu Ordo noster in omnes extenderit, seque ipsum defraudans, inopes, famelicos, moribundos complexus sit; sufficiat exemplum, valde tamen his ultimis temporibus memorabile adduxis-

Fames atrocissima.

Ordinis nostri liberalitas.

duxisse. Præerat tunc, haud ita pridem restitutis, suo quibusvis Ordini per Wirttenbergiam Cænobijs, Archisterio sanctissimi nominis Hirsaugiensi Reverendissimus & Amplissimus Dominus Andreas Geist à Wildeck, vir non minus Virtute omni, quam genere Nobilis, ex Jmperiali Monasterio Weingarttensi, cujus Priorem egerat laudatissimum, sanctissimorum illius loci Præsulum haud immerito Successor designatus; ut qui ipsorum à puero vitæ perfectionem sit imitatus, incomparabile suæ ætatis exemplar perfectionis.

Andreas Abbas Hirsaug.

Ejus fama Virtutis.

Hic etsi summis infimisque, nemini non (quibus vel semel novisse contigerat) probaretur & commendaretur à Virtutibus maximis, ab eximia tamen charitate & liberalitate, celeberrimi erat apud pauperes nominis, ita ut longè latéque apud eosdem tanti Præsulis fama innotesceret, quo factum, ut universali famis diritissimæ plaga amplissimas provincias invadente & pessundante, ad Patrem hunc pauperum universi recurrerent, eumque in tanta rerum omnium indigentia nullam uspiam etiam apud opulentissimos sperarent opem, ad alterum sui sæculi Nicolaum & Joannem Eleemosynarium non recurrerent solum, sed Monasterium quasi obsidione cingerent, casulas ex ramis arborum struerent, omnes ad Cænobium aditus occuparent, ut qui eò iter intenderant, expauescentes, haud procul inde castra militaria abesse autumarent. Res mira! Nullum omnino quotidie, & quidem longo tempore, dum fames duraret, præterijt seu neglexit Ejusdem munificentia. Et hanc majorem fuisse prius quam animadverterent Oeconomus & Granarius, ex ijs conijcere licet, quæ postea contigerunt, ita cæca manu liberalis in omnes fuit. Numini plus credens quàm sibi, Andreas Christi jussu dispensare in turbas sibi in deserto visus, illi Jesu miraculo & confisus & asuetus. Sero animadvertère, quorum intererat, etiam Religiosis & domesticis providere: & confluentibus magis ac magis quotidie turbis, cum in tantum numerum, nemo nisi Numen sufficeret, & horrea, granaria, promptuaria, pena, exhausta omnia videbantur, ita ut pauciss imis ascetis vix in hebdomadem sufficerent, plureſque in messem menses supereſſent. Quiritari primum rei domesticæ curatores, quos inter & Acatholici etiamnum erant, necessario retenti, donec vel exemplis nostrorum ducti & verbis, Romanæ se adjungerent Ecclesiæ, vel suæ, juxta rerum experientiam, satisfacerent functioni, certè miracula experti, & confessi: quiritari, querelis illorum accensi, Religiosi. Frustra omnia, oculatiore Andrea Præsule, non horrea, sed Dei manum attendente, haud sine indignatione illorum, qui nihil suis reservari necessitatibus, justa mensura deprehenderent. Jntervenit amicissimus, non minimi nominis Prælatus, & commodum intervenire Ascetis & rerum curatoribus visus, cum ipsi nihil proficerent querelis & precibus. Obstupuit horreorum inanitate conspectâ hospes Abbas, & rogatus dicere quod res est, promisit non solum, sed obligari se asseruit, quod deinceps eo loco subsistere Religiosi non possent, ea nuperrimè occupata loca, Acatholicis necessario cessuri, dum alimentorum penuria coacti, ad suos reverti cogeretur. Ergo multis in rem argumentis Abbas Abbatem aggressus, dum in Religiosos denique peccare diceret, & in periculũ Ordinis, ac deferendi in manus Hæreticorum loci Sanctissimi; nil aliud responsi retulit: nunquam cogitaret à se pauperem repellendum; Deum dum daret, sese quoque daturum, & quo indigeret ipse pane, cum paupere dimidiaturum. Abiret ipse prior, qui pauperibus suum hic panem voraret; equos suos retraheret, quos ipse pauperibus præferre impium duceret; sua & pauperum communia omnia esse. Retulit ipse, cui responsum hoc modo fuit, & cum equis suis onerare Hirsaugiam nolle, liberè fassus, pedem retulit, Andreæ & Religiosis abundante ad miraculum, quibus quotidie, & largius quàm aliàs alerentur, & Abbate dispensante in omnes & singulos pauperes, & quidem largissimè, ut cæcus juxta & stultus esset, qui non ejusdem prodigiosa beneficentia obvenire animadverteret, qui tot millia tam paucis in deserto pavit panibus; non idem miraculum quotidie renovari, & oculis & manu indubitatè deprehen-

Pauperum Pater.

Inexhausta prodigiosæ liberalitas.

Incredibilia visa quiritantibus superti omni inopia.

Deterrere ipsum frustra conatur quidam Abbas.

Manifestum denique omnibus fit miraculum.

henderet. *Ex oculatorum testium relatione.*

Nolumus alia recensere recentissima Benedictinæ liberalitatis nostræ ætatis exempla, miranda sane, etsi non ita ut Andreæ nostri jam dicti prodigiosa, ipsi, ex parte vidimus, (quis vetet locum nominare), qui nominatissimus est, vel hoc ipso nominandus, Cremiphanense nimirum superioris Austriæ Illustrissimum Monasterium) una unius dici quotannis liberalissima largitione, præter panem & vinum ad sexaginta boves, in unam unicam multorum millium confluentium pauperum eleemosynam, memorabili prorsus exemplo dispensari. Quod ipsum Benedicto Redivivo convenientissimum esse, neminem crediderim esse, qui ambigat, etsi hoc non inter prodigia, sed pulcherrima Benedictinæ Charitatis exempla numeremus.

Cremiphanensis Monasterij Benedictina liberalitas.

Mortuus sub hoc ipsum tempus Reverendissimus Dominus P. F. Franciscus de Bivar, Nucalensis in Hispania Monachus, sanctorum lectissimorum ejusdem Cœnobij collega non solum, sed & institutor felicissimus, vir longè doctissimus & ingeniosissimus, cujus in Flavium Julium Dextrum Commentaria, nemo unquam satis mirabitur, & deprædicabit, quem & nos comercio litterario Amicum meruimus, & in cœlis Patronum nobis pollicemur. Fuit Philosophus & Theologus incomparabilis, Mathematicus præterea insignis; Historicus mirificus planè, judicio, rerum cognitione, & industria prorsus singulari. Fuit dum Romæ ageret, Congregationis Amplissimæ Procurator Generalis, ob præstantissima animi talenta, in summa apud omnes & S. R. E. Cardinales, & ipsum summum Pontificem æstimatione, cœlo dignior quàm terris, adeóque ab illo præmaturè abreptus, Collegis sanctissimis & discipulis, quem tantoperè amaverant, secum habere contendentibus, & facilè à Numine impetrantibus. *Ex Mss. ex Hispania communicatis.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXXVI.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LVI.

Accendendis virorum, frigidissimâ nostrâ ætate, ad sacram Generositatem animis fragili usus sexu Deus Optimus Maximus, iterum aliud insigne perfectioris vitæ Speculum in tenerrima ac nobilissima Virgine Catharina à S. Trinitate exhibet. Ea, jam data fide viro Nobili, de celebrandis paulo post nuptijs & Matrimonio ineundo, ad festa sese Hymenalia præparabat, ignara omnino, quid de se Regum Regis statuerat Divina voluntas & providentia. Commendatura proin Numini & Numinis Matri Virgini, seque & sponsum & quem elegerat statum, peregrinatione ad celebre aliquod peregrinorum frequentia & devotione Cœlorum Augustæ Sacellum suscepta, dum ibidem Divinæ Matri se totam expectorat, ejusque sese animitus commendat protectioni & gubernationi, *Divinitùs* edocetur (rem distinctiùs non exponit historiæ scriptor) & intelligit; minimè mortali sponso, sed Deo ipsi in Monasterio se desponsandam. Acquievit illico Voluntati Divinæ Generosissima sponsa, & omnem amorem carnis & sæculi aversata, ad florentissimum tunc fama & disciplina Fontis Ebraldi Cœnobium se contulit, seseque amantissimo Numini devotissimè totam devovit & consecravit. Verum Antoniettæ postea Aurelianensis Ducissæ Sanctissimo vitæ illecta exemplo, altiora spirans, & suspirans, ad rigidius institutum, rogatâ & acceptâ Superiorum licentiâ, nostrarum de Calvaria Monialium se transtulit, & ad magnam illam, & humilem ex tanta Principe Christi ancillam in Leincestrensi Cœnobio sese recepit, admirandis illius vitæ exemplis mirificè accensa, eaque pro virili imitata. Congregationisque Calvariæ primaria Alumna effecta, exemplar paulo post singulare omnis perfectionis omnibus extitit. Ipsam amantissimus Sponsus Christus, diuturno prorsus Probationis quindecim annorum tempore, summa mentis ariditate flagellavit & exercuit, ipsa nihilominus incredibili animi generositate, labores omnes & arduitatem tolerante patientissimè ac superante; postea primùm summo Orationis & devotionis, nec non gustus supernaturalis rerum Divinarum dono à Numine donata & honorata, ita ut hoc tota ferveret & amore colliquesceret, & verè jam non sibi, sed soli illi qui pro se in Cruce devixerat, viveret, & cum castissima illa Agnete, in ter-

Ven. Catharina de S. Trinitate.

De Vocationis gratia edocetur.

Fit Monialis Calvariensis.

Regula vitæ ejusdem.

terris etiamnum agens, in eadem læta erumperet: Ecce, quod concupivi jam video; quod speravi jam teneo: dum in terris posita, Sponso suo etiam corporaliter, ex singulari Superiorum licentia frueretur, sacra quotidie Synaxi refecta, & inexplicabili abblandientis Sponsi solatio mirificè recreata. *Inde*, inquit vitæ scriptor, *raris in Virtutum Lycæo incrementis ac cumulis in dies augebatur, & spiritualibus decem dierum* (ex more Congregationis) *Exercitijs, intentissima, vix è cella nisi ad Cœlum egrediebatur, ut unius finis solitudinis, alterius initium esset: Obedientiæ nihilominus, ita addicta, ut nihil inconsulta Superiore, imo minutissima quæque eâ imperante faceret*, quasi absque omni merito factum esset, quidquid obedientia non dictasset, & imperasset. Nec frustra à Sanctissima Trinitate cognomen habuit, cujus consideratione & veneratione ut Cherubim & Seraphim exarsit. Jesu autem suo, altera sanè & Rediviva Catharina Alexandrina fuit, cui nec Martyrium in tanto tamque ultroneo vitæ rigore defuit, etsi amor Numinis acerba omnia quàm dulcissima redderet, & nihil gratius Sponsæ, quàm Sponsi amore omnia dura perpeti, esset. Ita denique post multa & admiranda Virtutum exempla corpore mortua fuit, animo priusquam etiam corporis solueretur ergastulo, pridem inter Superos cõmorante. *Ex Vita, & R. P. Amando Tribout, &c.*

Obedientia Virtus.

Altera Catharina Alexandrina Martyr.

Extinguitur hoc anno magnum sanè Ordinis & Jnferioris Germaniæ sydus Reverendissimus & Jllustrissimus Dominus Philippus Caverellus, celeberrimi & potentissimi Belgij Archisterij apud Atrebates, dignissimus & meritissimus Antistes. Præsul verè eximius & æterna dignissimus memoria, singularis eruditorum Mecœnas, bonarumque litterarum, & artium cultor præcipuus. Hic insigne Collegium Vedastinum Duaci construxit; ubi Ascetæ nostri Vedastini, ab ipso Universitatis Fundatione, ad hanc usque horam, Philosophiam, Theologiam, cæteraque Liberales Artes profitentur. Sed & Monachis Anglis in eadem Urbe, memorabili sanè exemplo & merito insigne Monasterium condidit & dotavit. Benedictinis similiter sanctimonialibus, novæ Reformationis ibidem ædes & Ecclesiam exstruxit, easdemque summa cum gloria Ordinis, & exempli utilitate, Gerardimontibus, vel alibi etiam promovit ac fovit; sed & alios Ordines similibus liberalitate & beneficijs æternum demeruit; ut tanquam Pater & Fundator ab ijsdem recognosceretur. Fuit à Principibus Belgij summo in honore habitus, & ad summi momenti negotia electus & destinatus, ad pacem etiam cum Hollandis ineundam legatus, Bibliothecam sui Cœnobij exquisitissimorum scriptorum & librorum copia splendidissimam reddidit; Templi ornatum pro Numinis & loci dignitate insigniter promovit, integerrimæ vir vitæ, omni ornatu Virtutum cultissimus, & pro eximia humanitate, omnibus amandus & venerandus, ac proinde summo cum omnium luctu & comploratione hoc ipso anno extinctus; paulo ante mortem periculi commendandi Commendatarijs Monasterij admonitus, & ipsum præsciviſſe & prædixisse, atque multa alia toti Provinciæ impendentia mala prænunciare auditus est. Successit paulo post Cardinalis Aquensis, & tota Artesiæ Provincia redacta est in Gallorum potestatem. *Ex Monument. ejusdem Cenoby.*

Moritur Philippus Caverellus Abb. S. Vedasti.

Insignia tanti Præsulis monimenta

Ipso anno moritur Rev.*mus* Placidus de Arestj S. Juliani de Samos absolutissimus Monachus, inde pro meritis Episcopus de Paroguoij in Jndijs, ubi sancto fine in summa paupertate decessit.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXXVII. Sancti Patris Benedicti. M. C. LVII.

Iterum magnum cœlis sydus hoc anno infert florentissimum Sanctorum copiâ Galliarum Regnum, magnam Regiæ familiæ Tutelarem, consanguineam Regum maximorum. Hæc fuit Maria de Estouteville Abbatissa Hederensis celebris in agro Parisiensi Monasterij, quæ alto procerum orta stemmate, & Regiam stirpem sanguine attinens, calcato sæculi à teneris unguiculis fastu ac luxu, sese hostiam incruentam Numini summa animi devotione consecravit. Adultior cum floreret manifestis Gratiæ desuper datæ donis, ad regimen illius Cœnobij magno suo dolore evecta, nihil priùs habuit, quàm solidæ Reformationis jacere fundamenta, & disciplinæ rigidioris

Ven. Maria de Estouteville.

Reformatrix meritissima.

dioris sibi creditis commendare utilitatem, rectamque ad perfectionem semitam non tam verbo quàm exemplo demonstrare, ipsa purissimæ castimoniæ, charitatis ferventissimæ, Obedientiæ perfectissimæ, humilitatis & abnegationis absolutissimæ typus & Regula omnibus facta: quæ Dominationis impatiens, susceptum Religionis Jmperium toties læta, ex more Reformationis, deposuit, quoties in vita recepit. Demum post adductas commissas sibi Virgines ad strictæ Votorum observantiæ, rigidius institutũ atque exercitium, moribus non solũmodo ad præscripta Sanctæ Regulæ ex amussi compositis, sed erectis etiam murorum molibus, amplificata atque exornata nobiliori ex parte Ecclesia, constructis, Claustro, Capitulo & cæteris Regularibus locis sive ædificijs, sacra plurimum cumulata supellectili, ipsa omni decore ornata pieratis, Christi conspectus beatissimi cupida, animã tot fœtã meritis, è cella (quam modicam semper omnique ornatu vacuam studiosissimè coluit & incoluit) ad Cœlũ Regnumque gloriæ, quod terreno Principatui ab initio prætulerat, felix & lætabunda emisit, quarto Jdum Januarij, sepulta in Choro Ecclesiæ, lachrymis filiarum spiritalium ferè inundata, quibus perpetuum sui desideriũ, & constantem suæ Sanctitatis reliquit opinionem. *Ex Menologio Gallico, & vita ejusdem Msta.*

Felix & lætabunda moritur.

Hispanias illustrat mirificè non tam eruditionis fama, clarissimus, quam sanctitatis opinione & meritorum magnitudine spectatissimus, Jllustrissimus & Reverendissimus Dominus P. F. Maurus de Villaroel. Hic ex Monacho Sancti Salvatoris de Loranzana in Regno Galletiæ, pro eximia Virtutum omnium connexione Generalis Ordinis Benedictini per Hispanias constitutus magno animi ardore, & disciplinæ Regularis Zelo, sese cœlo non minus quam terris commendans, ad varias deinceps dignitates pro meritis expetitus, Abbas Sancti Vincentij Salmanticensis creatus, exinde ad Episcopatum Jacensem, mox ad Oscensem in Regno Aragoniæ promotus est, Pontifex verè suis oviculis speculum, exemplar & Regula omnis perfectionis factus, ut merito supra candelabrũ positus, nemini non admirationi esset, & venerationi. Est autem Osca Jlergetum, vulgo Huesca, insigni Academia celebris civitas, si quæ ulla alia Hispaniarum, à studijs litterarum antiquissimo jure longè spectatissima & famosissima, in qua nimirum tot ante sæcula Sertorius, referente Plutarcho, Academiam excitarit, ut Hispanam illic juventutem bonis litteris excolendam curaret: ita ut mérito tanto post, Urbi illi tantus eruditione Pontifex, studiosæ juventuti non minus ab litteris, quam Vitæ perfectione commendatus pro exemplari exhiberetur. Jbi, inquit P. F. Franciscus de Argaer, relinquens notæ sanctitatis vestigia, summo in honore habetur.

Maurus de Villa-Roel Generalis.

Fit Episcopus Oscensis & Iacensis.

Dignus tanta urbe & sede Episcopus.

Claret hoc ipso tempore in Monasterio Hortensi in finibus Castellæ sanctæ memoriæ Rodericus à Cruce sacræ Congregationis nostræ Cisterciensis Monachus, qui cum annos plus minus quinquaginta temporalium administrationi præfectus, non minus ideo inter externas curas (quantũ ex actibus ejus omnibus innotuerat) interius Deo sibique vacaret, missione tandem impetrata sub finem vitæ, & hâc sanctissimè exacta longum iter felici explexit exitu. Cujus corpus delatum ad Capitulum, ut ibidem inter preces Fratrum sepulturam præstolaretur, inusitata & mirifica fragrantia domum replevit, quæ funus mox sequuta, in Capitulo etiam per triduum persevevit. *Ex Angelo Manrique, &c.*

Rodericus à Cruce.

Mortalitatem hoc anno exuit Reverendissimus Dominus Antonius Winghe Abbas Jllustrissimi Cænobij Lætiensis in Germania inferiore, alter Ludovicus Blosius, sive redivivus in utroque Benedictus, *vir omnium opinione*, uti Catalogus Abbatum habet, *Sanctissimus*. Js ex Canonico Cathedralis Ecclesiæ Cameracensis, factus Monachus Lætiensis, verè nil aliud in cucullo se quæsisse quam purè Deum & placentissimã Deo summam vitæ perfectionem, in omni actione ostendit & comprobavit, ob hoc ipsum cæteris in speculum vitæ propositus, & ad Abbatialem dignitatem evectus, in qua ita se habuit, ut omnibus Venerabilis haberetur. Fuit amator sanctarum Reliquiarũ singularis, quas undecunque potuit in thesaurum Monasterij collegit,

Antonius Winghe Abbas Lætiensis.

git, & splendidè excoluit, non tam Sanctorum vitæ lectione, quàm imitatione eosdem colere aggressus, quamvis & lectionem supra modum Religiosis utilem commendaret, & Reverendis Patribus Rosweydo & Bolando Authoribus præcipuus & Adjutor præclari illius Operis, *Vitæ Sanctorum*, esset. Fuit à Numine igne tribulationum uti aurum excoctus & probatus, ita ut ob bellicos motus & incommoda plurima, tantus vir exul mori cogeretur; Montibus Hannoniæ, quo confugerat, ibidem sanctissimè in Domino requiescens, & apud Patres Societatis, quos intimè coluerat in vita & foverat, sepultus.

Ut aurum purgatus obijt.

Antonij non multum dissimilis, hoc ipso quoque anno è vivis excessit Reverendissimus Dominus Petrus Trigautius Ursidungensis in Hannonia Abbas, rigoris & disciplinæ Monasticæ promotor strenuus, omni Virtutum genere, sed demissione inprimis animi cultissimus, quem à privato Religioso minimè discerneres, sine famulo plerumque non domi solum, sed & in itinere & urbibus incedens. In egenos largissimus, in omnes benevolus, ubivis singulare exemplar summæ integritatis fuit. Basilicam Cænobij pretiosissimis tapetibus, vitam S. Gisleni Patroni referentibus, alijsque spectatissimis ornamentis excoluit. Sed & statuam S. Sulpitij argenteã confici curavit, quin & Bibliothecam splendidam condidit, magnóque insignium librorum thesauro auxit, magno sui apud summos infimósque relicto desiderio ex hâc vita decedens. *Ex monimentis Ursidung.*

Petrus Trigautius Abbas Ursidungensis.

Supremus hic idem annus fuit Reverendissimo Domino Andreæ Geist à Wildeck Sanctissimi illius & Sanctorum feracissimi Wirtenbergiæ Archisterij Hirsaugiensis dignissimo Abbati, vetustissimis loci illius incolis & Antecessoribus vitâ quàm simillimo. Js in Jmperiali Vinearum, vulgo Weingartten, Cænobio tenera in ætate Monasticen professus, sanctioris jam tunc vitæ specimina egregia edidit, puerulus etiamnum *Sanctulus & Sanctutius* appellatus. Fuit in omni vita nihil in eo reprehensibile deprehensum, cum speculum puritatis, disciplinæ, omnisque pietatis omnibus esset, inque omnibus mortificationi studeret, devotioni addictissimus. Prior postea sui Monasterij designatus incredibile omnino est, quantum in arctiore, non solum in suum, sed alia quoque Monasteria, inducenda reformatione, & disciplinâ dies noctesque laboraverit, primævum quantum in ipso steterat, fervorem Ordinis reducturus. Jnde restitutis decreto Ferdinandi II. gloriosæ memoriæ Wirtenbergiæ Monasterijs, Hirsaugiæ Abbas electus, sanctissimi & felicissimi loci expendens dignitatem, omnium quasi, illic quiescentium, in se Spiritum resuscitavit, tantumque ac talem sese vitæ exemplo præbuit, ut ipsi quoque Acatholici, quin & ex ipsis juratissimi Catholicorum atque inprimis Monachorum hostes, Præsulem tantum solidè bonum, virum verè Religiosum, imò incomparabilem, multi etiam sanctum deprædicarent.

Obijt Andreas Abbas Hirsaug.

Innocentia vitæ ejus.

Prior Weingartensis.

Mortuus immaturè est, cœlo pridem maturus, & sanctis laboribus immortuus, cùm pro sacrorum Ordinum bono, nullis parceret sumptibus, nullis laboribus, sed dies noctesque in excutiendis è pulvere Monasteriorum monimentis & donationum instrumentis tamdiu neglectis, inexplicabili patientia occupatissimus, ex ipso pulvere & fœtore gravi correptus morbo, eodem paulo post consumeretur, singulari procul dubio Numinis providentia, ne tantus Præsul desolationem sui & tot aliorum Cænobiorum intueretur, & sanctis Hirsaugiensibus illud sibi à Numine deposcentibus, ut sanctus sanctis jungeretur, ijsdem ibidem conquiesceret, & consepultus, inde quoque cum ijsdem in die regenerationis glorioſus resurgeret. Obijt verè Pauperum prodigiosus Pater die vigesimo octavo Aprilis, qua ipsa sanctissimæ memoriæ Joannes Barrerius Fulienſium nostrorum Jnstitutor decessit, à cujus Reformandi Ordinis Spiritu, haud multum abfuisse, si per ipsum licuisset, opinamur; relictis non paucis sui sacri fervoris in scripto monimentis. *Ex oculatis test. & propria scientia & cognitione.*

Maturus Cœlo suis præmaturè moritur.

Novissimum Hirsaugiæ decus.

Romæ eodem anno, non sine magna sanctitatis opinione decedit Reverendissimus Dominus Maurus Cambi Januensis, qui Monachus effectus in Monasterio celeberrimo Beatissimæ Vir-

Ven. Maurus Abb. S. Pauli.

Virginis Montis Serrati in Catalaunia, ad placita tantæ Reginæ formatus, inde patriæ suæ redditus, Abbatem S. Catharinæ Januensis strenè egit, demùm Abbas S. Pauli extra muros Urbis Romanæ renunciatus, insigne sanctioris vitæ exemplum Romanis prætulit, & ibidem sancto fine die sexta Augusti decessit. *Ex Cornelio Margarino Abbate B. M. V. de Annona, S. Pauli Professo.*

Urbi Rom. decus

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXXVIII. Sancti Patris Benedicti. M.C. LVIII.

ILLustrissimæ & Reverendissimæ sanctæ memoriæ Margaritæ de Kilcaldi Sancti Petri Remensis meritissimæ Antistitæ sub hoc ipsum tempus revelatur Divinitus suæ ad superos vocationis imminens paulo post terminus, & videtur ipsa quã pro se exoraverat, & instituerat Monasterio præesse, Augustissima Abbatissa Deipara ipsam præmonuisse, &, quod vero simile, etiam de ea quæ dignissimè succederet, edocuisse. Egit proin omnibus modis, ut sese onere exoneraret, sibique etiamnum superstiti Coadiutricem adjungeret. Hæc fuit sereniſsima Francisca Renata Lotharingiæ Princeps Caroli Lotharingi, Ducis Guisiæ, & Catharinæ Ducissæ de Joyeuse lectissima filia sanctissimæ memoriæ Renatæ hujus nominis secundæ, ejusdem S. Petri Remensis Antistitæ neptis, sexto statim à Nativitate mense S. Petro in eodem Monasterio oblata, atque sinu amitæ tam Deo charæ excepta, & sanctissimè educata, ac dein Ordinem professa, ut velut de S. Editha legitur, sæculum potius ignorasse, quàm reliquisse videretur. Et dignissima sane extitit, quæ Margaritæ & adjungeretur & succederet, utpote in qua Renatæ utriusque resuscitatus Spiritus esset, & Redivivus Benedictus se proderet, talis ac tanta Antistita, quæ Gallias, Ordinem ac sæculum suum insigniter illustraret. *Ex R. P. Amando Tribout Priore Dervensi.*

Ven. Margaritæ de Kilkaldi de morte revelatio.

Coadiutricem sibi adjungit.

Francisca Renata Ducissa Lothar. Coadiutrix.

Crescunt admirandis successibus, fructu mirifico, Sanctissimæ Ordinis Congregationes & Reformationes, sancti Mauri per Gallias, & Sanctorum Vitoni atque Hydulphi per Burgundiam utramque atque Lotharingiam, ita, ut non inter Religiosos solummodo, sed inter intuentes omnes atque audientes. miri consequerentur. Divinæ gratiæ effectus. Et verè Redivivus in omnibus Benedictus ac primævus restitutus Benedicti Patris Spiritus videbatur, cùm in tanta multitudine Religiosorum, in tanta diversitate ingeniorũ adeò concors, imo una quasi omnium mens & anima, ad unum idemque propositum respiceret, ad unum eumdemque scopum collimaret, ad amussim Regulæ se conformaret; tantâ paulo post eorumdem, apud sæculares opinione invalescente, ut tanquam cœlo delapsos ad salutem mortalium Angelos revererentur, nec minus solo contuitu & exemplis quàm verbo, ut sacri vocamus compungerentur. Jnde magni ad eosdem patres mortalium pro consilio & solatio sacro concursus; etsi nunquam deessent, qui instinctu Cacodæmonum, eorumdem patientiam exercerent, crescentibus ex hoc ipso eorumdem meritis, & accensis ferventius Virtutum studijs, ita ut ipsi seipsos mirarentur, & alter in altero operantem Dei manum agnoscentes sancta sese mutuo charitate arctè stringerent & amplecterentur, inque hac conversationis dulcedine, etiam in extrema paupertate abundare omnibus bonis viderentur, & in summo vitæ rigore nihil rigoris adverterent, sæpè sibi visi delicatius vivere, quàm perfectioris vitæ professio admitteret, cùm tamen, modico & paupere contenti victu, vix famem exsatiarent, nedum delicatè pascerentur, mel & saccarum cibis miscente eo, cujus amore ebrij, nil nisi ipsum quærerent & saperent, ipsóque potiti & pleni, ipsius dulcedinem, omnia aspera & amara dulcorare animadverterent & experirentur. Et revera corpus non minus refici quàm animus desuper infusa gratia videbatur, cum delicatuli aliàs atque imbecilles firmiore deinceps valetudine redderentur, & qui natura Melancholici erant, præter naturam hilares, agiles, & amabiles omnibus evaderent, volare tunc sibi visi, qui ægrè antea pedes incesserant, Numine in sanctis ejus mirabilem se ostendente. Horum successibus & generositate animati atque excitati deinceps plurimi, sese ipsis junxère & devovère, liberè & ipsi confessi, postquam se semel generosè resolvissent, ea quæ asperrima

S. Mauri Cong. flos, &c.

Ad nostra undique pro auxilio concurritur.

Mira ipsa natura mutatio.

pri-

primum sibi visa essent, plena solatij reperisse, tantaque in verâ sui resignatione, corporis mortificatione, strictissimaque silentij Regularis observatione emolumenta expertos, ut execrabilis modo prioris vitæ excæcatio, & plena tribulationis juxtà atque insipientiæ videatur. Quo factum ut integra se deinceps & illustrissima sese Cœnobia adjungerent, & qui primum humana seducti fragilitate in partes secesserânt, diu multumque tergiversati, ipsa Sociorum & Collegarum alacritate & hilaritate capti atque illecti & ipsi manus dantes, sæpe alacriores, quàm priores, & ad aspera omnia ultronei redderentur, magno Confratrum totiusque Congregationis applausu & gaudio, sese mutuo, ut animalia Evangelica alterna alarum motione concitantium, nilque deinceps quàm sublime & cœleste cogitantium & molientium, cœlo ipso, & BENEDICTO inprimis Admirabili parente, totque millibus Fratrum cœlo pridem receptorum, de redivivo tanto pòst in his posthumis fratribus, Spiritu S. P. N. congratulantibus, omnesque eorumdem conatus juvantibus, & promoventibus. *Ex oculatorum testium fide & relatione.*

Felicitas in sacro rigore.

Mirâ etiamnum Germaniæ tam superæ quam inferæ jactatione turbinum bellicorum, diversissimis passim se locis, invicta nostrorum comprobatur patientia, infinitis exemplis non cœlo solum & superis, quin & hostibus ipsis probata & comendata, plurimis in vinculis & tristi captivitate, alijs in extrema rerum indigentia & inopia; plurimis inter exteros precariò viventibus, & extinctis; & merito vel pro Martyribus, vel proximo Martyrum in honore habendis: quorum omnium recensere nomina magni omnino laboris esset, sufficit autem scripta in Libro Vitæ: uti & illorum, qui afflictissimo illo tempore, rebus integris, in exules & pauperes adeò extitere liberales, ut & in ipsis Sanctus Pater Noster in solidè Benedictina totique terrarum orbi perspectissima Hospitalitate & liberalitate, verè Redivivus agnosceretur. Ex illis moritur exul Reverendissimus Dominus Humbertus Maricollensis celeberrimi in finibus Hannoniæ, Monasterij Abbas meritissimus, inde etiam singulariter celebrandus, quod cum

Nostrorum afflictio & constantia.

Redivivus S. P. N. in Hospitalitate suorum.

præter religiosissimæ Vitæ laudes, Antiquitatum sedulus pervestigator esset, præter alia & laudabilis vitæ & ingenij monimenta, librum quoque reliquerit, de origine & successibus sui Maricollensis Cœnobij, à quo tamen hoc ipso anno, nulla sua culpa exulans in Domino requievit. *Ex monimentis ejusdem Cœnobij.*

Moritur eodem anno antiqui moris & Vitæ Religiosus Asceta Monasterij Lunælacensis in Bavaria, ad ejus nominis lacum, & elegantem Marcam intra Alpes Iulias siti, R. P. Eustachius Schöppl ejus loci senior, qui cum in omni actione Enoch exemplo, cum DEO ambularet, & in contingentibus quibusvis tam sibi, quàm alijs ad Numinis voluntatẽ, & cuncta dirigentis providentiam cauto & diligenti mentis intuitu respiceret, alios quoque in omni sua vita eodem intueri & respicere volens, in usu assiduo, ex omni casu ea orationis Ecclesiasticæ, Dominicæ post Pentecostes Festa septimæ, verba habuit, & toties quotiescunque congeminavit: *DEUS, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, &c.* haud vulgari & casus subiti, & absque DEI ordinatione & in famulo suo comprobatione non provisi exemplo, ea ipsa Dominicæ die [quæ hoc anno in decimã octavam Septembris incidit] dum Oratio illa, hora VI. Canonica recitaretur, omnibus prius sacrosanctæ Ecclesiæ eo temporis puncto necessarijs munitus, è vita mortali ad immortalem egreditur; nemine non in optimo Sene gratiam Vocantis DEI agnoscente & gratulante. *Ex monimentis ejusdem Cœnobij.*

R. P. Eustachius Asceta Lunælacensis obijt.

Memorabile.

Certant dignissima & sanctissima æmulatione, & contentione, de exactiore sanctissimæ Regulæ observantia, & cujusque Reformationis Constitutionibus utraque Congregatio & Vallisoletana, & Cisterciensis sive Hortensis, summa utriusque utilitate, dum suarum quæq; rerũ strenuè satagit, utraque plurimùm proficit, DEO tantopere utrique favente, ut totas phalanges sanctitatis opinione celebrium cœlo transmitteret.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXXIX. Sancti Patris Benedicti. M. C. LIX.

INter spectatissima & eminentissima Germaniæ atque Ordinis Sydera merito censendus Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Dn. Antonius Vien-

Antonius Episcopus Viennensis.

Viennensis, ex Abbate Cremiphanensi, meritissimus Episcopus, Sacri Romani Jmperij Princeps Jllustrissimus, Ferdinandis Secundo & Tertio à Consilijs intimus, hoc ipso anno, ipsis Calendis Aprilis ingenti Cæsaris ipsius & Augustæ Jmperatricis luctu extinctus; cujus revera merita de Ordine, de Monasterio, de Episcopatu, de Jmperatoribus, & Jmperio, nemo unquam satis explicaverit. Certè disciplinæ Monachicæ adeò promotor strenuus fuit, ut ob hoc ipsum singulariter benedici à Numine meruerit, cujus gratia & auxilio tanta effecerit, cujusmodi ante ipsum Antecessorum nemo; ita ut merito Secundi Fundatoris titulo & plausu dignissimus sit. A Domo quippe Domini incipiens Basilicam sui Cænobij, ipso vetustatis squalore obscurâ, & incultissimâ, ad id splendoris evexit, ut nullius non animũ deinceps, ejus Majestas, percelluerit; cui & sacrariũ (Sacristiã vulgo vocant) splendidũ adjecit, pretiosissimis cultissimũ ornamentis, ita ut nihil ipsi potius esse DEI honore ex hoc ipso appareret. Jnde ad Fratrũ & sacrorũ in Christo filiorũ cõmoda conversus, quo promptiores ad DEI obsequiũ, & SS. Regulæ studiũ essent, duo longo tractu, & prospectu jucundissimo Dormitoria à fundamentis exstruxit. Jnde infirmis ut pius consulens pater, Jnfirmitoriũ condidit, & cõmodissimis conclavibus necessarijsque instruxit; aliaque Monasterij ædificia splendidè reparavit atq; ornavit. Numerũ dein. Religiosorũ plurimis capitibus auxit, nulla de re magis sollicitus, quàm ut & disciplina Religiosa, & Philosophicis, & Theologicis, omnibusque liberalibus artibus quàm sctissimè instituerentur. Miranda omnino, quæ unus hic Præsul idemque felicissimus Oeconomus summo Monasterij sui commodo præstitit, quæ inter tria præstantissima Dominia Beensteinium, Schornstattium & Crembseciũ coemit, multaque alia proventuum accessione illud augendo locupletavit. Quã autem insigni erat in omnes charitate & beneficentia, non minus alijs quoque locis plus quam paternè consuluit, & Glunicense Cænobium gravibus oppressum debitis, ac sæculari fere manu totaliter administratum, ære alieno liberans pristinæ dignitati restituit, eidemque Abbatem è suo assumptum gremio præfecit. Sic & Schlierbacense, ad incitas penè redactum, & ob omnimodam pauperiem desolatum, non solum debitis liberavit, sed & veteri Monasterij destructa fabrica novum cum templo à fundamentis exstruxit, Religiosósque inducens ejsdem utilem Abbatem præstituit. Sic & Seraphicum Patrum Capucinorũ Ordinem, veteri nostrorum more imortaliter demeruit, quibus amœnissimo extra Valeriam (hodie Welsium) civitatem loco Monasterium cum templo è fundamentis excitavit, & ipse postea factus Episcopus solemniter consecravit. Jpsum proinde comperta mira ejusdem in administranda Oeconomia dexteritate Ferdinandus II. sanctæ memoriæ Jmperator Viennã, ut Ærario Aulico præesset, evocavit; cui officio ita sedulo incubuit, ut nec pecunia ærario deesset, nec debita, uti antea sæpius, contraherentur, ita ut admirationi & Cæsari, & Aulicis omnibus esset, inde ob singularem prudenti ã & ingenuitatem à Ferdinando II. mox etiam Tertio, ab arcanis sibi consilijs esse jussus, magnus per omnia utrique comprobatus, & insigniter dilectus. Demeruit utrumque mirificè summi momenti negotijs adhibitus, & gravissimis legationibus dexterrimè perfunctus. Mortuo demũ Melchiore Cleselio, Eidem in Episcopatu Viennensi subrogatus, non minus bene meritum Episcopũ, quàm antea Abbatẽ egit. Declaratus postea ab Augustissimo Jmperatore Sacri Romani Jmperij Princeps, ut suis quoque successoribus idem honor perpetuus esset, impetravit, omnesque immortaliter demeruit. Mox totum se in promovenda commoda Episcopatus convertit, & quod Antecessores, minus dignè & commodè habitassent, ædes destruens Episcopales, amplum, insigne & splendidum Palatium construxit, & summa omnium cum admiratione intra triennium absolvit; nec propterea debita contraxit, sed dissolvit, quin & redditus annuos mirifice auxit, adeò insigniter, ut successores merito sibi gratulari possint, quod modo habeant in Copia, quod alij inopia pertulerunt.

Magna ejusdem merita.

Splendidè struit.

Multa coemit.

Capucinorum Ordinem demeretur.

Ferdinando II. ab Ærario.

Ferd. III. ab Intimis Consilijs.

Inde Episcopus sit Viennensis & S. R. I. Princeps primus.

Mira felicitatis Oeconomus.

Tan-

Tantum tamque benè meritum, de Orbe, de Ordine, de Jmperio, de Jmperatore, virum, abripuit hic annus dum jam Collegio Eminentissimorum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium inserendus esset; & galero purpureo donandus; cum nulla proficerent contra invalescentem nimis morbum, remedia, offerente pretiosissima clinodia, margaritas & gemmas Jmperatrice Augusta, quæ contrita & cum sorbitiunculis ingesta optimum præsulem juvarent. Sed frustra omnia, ipso post sumpta summâ devotione Sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta feliciter in Domino obdormiente, non plebis solum universæ & Aulicorum, sed Augustis etiam lachrymis deplorato, cui in Cathedra S. Stephani, Sacellóque S. Catharinæ tumulato, solemnissimis postea Exequijs, præsentibus Jmperatore, Jmperatrice, Principibus, & totâ Aulâ, piè parentatum fuit; corde ad filios sacros, quos unicè dilexerat, Cremiphanium translato. *Ex Monimentis, & Catalogo Abbatum ejusdem Monasterij.*

Ipse purpura Cardinalitia, non ipsi purpura præripitur.

Augustis lachrymis deploratur.

Hoc ipso etiam anno magnum omnino Sydus splendidissimo Galliarum Regno, cœlis dignius, eripitur, & inter cœlestia collocatur Sanctissimæ memoriæ Margarita de Kilcaldi Abbatissa illustrissimi Cœnobij S. Petri Remensis; sive, ut ipsa vocari gestiebat, *Ancilla Abbatissæ* (cui resignaverat & cessérat honorem) *Deiparæ*, hujus procul dubio vocatione, cujus ante annos duodecim prædictione, ad participium gloriæ assumpta. Omnipotentis siquidem Matre familiariter usa, fateri sæpius ingenuè audita ust, nihil unquam ab illa, irritis votis petijsse, quin & ipsa, quo solemniter ab Archipræsule Remensi inaugurata esset die, ab eadem cœlorum Augusta, disertè edoctam, duodecim omnino annis, Monasterium Sancti Petri à se gubernandum, ac postea felici commutatione se donandam, & in Domino quieturam, quod reapse contigit. Vixit igitur & præfuit Margarita, nunquam non tanquam certa mori. Unde cùm ipsâ administratione sua, pararetur ad mortem, nihil etiam eâdem sanctius, nihil prudentius, nihil demissius fuit. Communi & vulgari aliarum cibo, potu, veste, habitaculo usa semper, factis magis quam verbis imperans, sanctissimæ Regulæ Observationem, eo efficacius & facilius persuadebat, quod non aliter viveret, quàm juberet, & quàm doceret. Quare etiam impensè ab omnibus amabatur & colebatur, ipsa omnium Virtutum suarum sanctis illecebris amabilis facta, & merito suo Venerabilis. Quæ tandem, multis laboribus & vigilijs fracta, fine duodennis suæ Prælaturæ anni instante, gravi languore correpta, ad communem Sororum Jnfirmariam, deferri voluit, munitaque Divinis Sacramentis, cum omnes consummatæ Sanctitatis, patientiæ, charitatis & pietatis exemplo ad perfectionis solidum studium vehementer excitasset, inter amantissimarum filiarum lugubres fletus & castissima oscula, tranquillissimè & beatissimè obdormivit in Domino, tertio Nonas Februarij, anno ætatis sexagesimo septimo; ad pedes Augustissimæ Abbatissæ, imaginis Cœlorum Jmperatricis, quam ipsa post Benedictionem Abbatialem, ut diximus, Throno Abbatiali cum hoc lemmate [Dominæ Abbatissæ] imposuerat, uti suas rogaverat & conjuraverat, sepulta. Auxit multis ædificijs loca Regularia, & recuperatis bonis, annuos redditus, sed & de decore Domus Dei sollicita, multa Ecclesiæ comparavit egregia ornamenta. Jn his præcipua fuerunt, vas insigne auro, argento, & gemmis distinctum, in quo insertus erat annulus sacræ catenæ quâ Archiapostolus, & Vicarius Christi Sanctus Petrus, Monasterij Patronus, Antiochiæ arctè vinctus fuit. Deinde Crux argentea. Jtem imago Sanctæ Scholasticæ S. P. N., sororis, cum ejus SS. Reliquijs argentea. Jtem duo thuribula pretiosa. Jtem Analogium in usum sacri Altaris. Effigies Beatissimæ Matris Virginis viginti filibrarum, cuncta argentea & inaurata, ac mirâ arte celata. Adfuit morituræ, filia dilectissima amantissimæ Matri sereniss. Coadiutrix Francisca Renata Ducissa Lotharingiæ Guisia, insigniter & verbis postremis & exemplis animata, quæ aliquamdiu absens ob negotia, sex diebus ante felicem Margaritæ ad superos transitum reversa est, & omne charitatis debitum strenuè explevit, funus tam charum, quàm preciosum debito cum honore,

Ven. Margarita de Kilcaldi.

Ipsa, quam edocta à Deipara die est, moritur.

In communi cum sororibus Infirmaria vult mori.

Sepulta ad statuam Deiparæ Abbatissæ.

Francisca Renatæ erga morituram obsequia.

re, loco quem vivens designaverat tumulatum: ipsa in calentissima sanctitatis succedens vestigia, neque multo post solemniter consecrata. *Ex vita Margaritæ, & R. P. Amando Tribout, &c.*

IESU CHRISTI ANNUS S. M. DC. XL.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LX.

MOntis Serrati & Vallisoletana in Hispanijs Congregatio, viris & summè perfectionis laude, & singulari eruditione clarissimis effulget mirificè; è quibus diversis locis, Academijs & Universitatibus, ad Cathedras doctissimi quivis evecti, nonnulli in Pontificias sublati sunt, quibus plurimum ornamenti magno virtutum splendore, plurimum commodi, memorabili meritorum copia attulere. Ex his hoc ipso anno ad sedes, quod sperandum, Beatorũ Empyreas translatus est Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Placidus, Placentinus prope Salmanticam Episcopus, vir summis honoribus longè dignissimus, contemptu inprimis sæculi generosissimus & gloriosissimus. Cum enim Illustrissimo ortus Genere, è familia Pacieca (Pacheca) è Vetustissimis Ferreiræ Principibus, & Marchionibus Carpensibus, magno apud omnes respectu esset, dulce jugum Christi, & servitium cunctis mundi deliciis & vanitatibus prætulit, & in Sancti Vincentij Cœnobio Salmanticensi cucullum amplexus, in Domo Dei abjectus esse elegit, quantò minor in oculis suis factus, tantò majoribus gratiis à Numine evectus, ita ut magni ab omnibus, & ipsis maximè superioribus fieret, quem & cum insigni eruditione excelleret, ac præter eloquentiæ & singularem facundiæ nitorem, Zelo juvandi proximos totus arderet, ipsum pro concione dicere jusserunt, tantopere in hoc ipso munere commendatum, ut totâ paulo post Hispaniâ celebraretur: ipsumque audire Rex ipse Catholicus expeteret, magnóque cum gustu audiret. Concionator proin Regius renunciatus, maximo id fervore, nec minore etiã fructu peregit: vitæ quam maximè integrioris exemplo, eloquentiam juvante, ingensque verbis pondus afferente; sed & non modicam conciliante auctoritatem ipsâ Generis Illustrissimi dignitate, juxta quam summa animi demissio, & magnarum contextus virtutum, intentos omnium oculos animósque rapiebant & sumopere afficiebant. Nec ita solummodo Regi, Aulæ, & confluenti ad tantum Oratorem populo se probabat, sed & Ordini suo, ita ut pro eximijs talentis & spectatissimis Virtutibus, paulo post, summa omnium gratulatione, totius Congregationis Generalis eligeretur. Quo in munere, ita se gessit per omnia, ut eo dignissimus factis ipsis comprobaretur, omnes omnino quos regendos susceperat, suo exemplo antegressus; ijsdem tanto etiam promptius tanto parenti manus dantibus, & vestigia imitatione prementibus, quanto inexcusabilius videbatur, oscitantiùs agere, cùm tantæ familiæ virum, tamque tenerè educatum atque ab ipso Rege habitum, adeò generosè omnes sacri rigoris difficultates subire, & superando cæteros antevertere intuerentur. Demum Placentinus renunciatus Episcopus, & Comes Perniæ, (qui Comitatus Episcopatui est adjunctus) in perfectissimo statu se constitutum intelligens, & quasi expavescens, in id unum tota animi intentione incubuit, ut juxta Apostoli monita, muneris sui rationem haberet, & credito sibi gregi pro virili consuleret. Quod cum feliciter, uti fideliter, aliquamdiu summa cum laude & merito immortali præstitisset, hoc tandem anno, cursum vitæ explevit, & magno sui apud omnes relicto desiderio, mortalitatem exuit, relicta post se famâ nominis immortali. *Franciscus de Argaer & rer. Hisp. Script.*

Placidus Placentinus Episc.

Summa familia.

Concionator Regius.

Creatur Episcopus.

Moritur.

Nec minore gloria effloruit hoc ipso tempore ex eâdem Congregatione eodemq; Hispaniarum Regno Illustrissimus & Reverendissimus P. F. Martinus de Rianno, frater germanus totius Castelliæ Regni Præsidis, vir & ipse incomparabilis, quique pro vitæ eximijs meritis, ad varias promotus dignitates, Regium & ipse Concionatorem summa cum omnium admiratione egit, & ad Legionensem Episcopalem celeberrimam Cathedram provehi merujt, in qua re vera, tanquam lucerna fulgentissima posita super candelabrum celsissimum eluxit, suisque verbo & exemplo, non tam præfuit, quàm profuit, insigne & ipse totius

Martinus de Rianno.

Creatur Legionensis Episcopus.

Ordi-

Ordinis & fulcrum & ornamentum, ut sibi haud immerito, & Rex ipse Catholicus & Regnum universum de tantis pastoribus gratularentnr; imo Sacræ Romanæ Ecclesiæ, plurimum inde solatij accresceret, dum in tantorũ, tamque vigilantium pastorum laboribus atque vigilijs securè acquiesceret, & de uberrimo fidelium per ampliſsima Regna fructu à talium Præsulum exemplis, magna prorsus sibi pollicereturEx Hispan. rer. Scriptoribus.

Matthias Langius Abbas Mariamontanus.

Evocatur hoc anno ad præmia æternitatis Reverendiſsimus & Ampliſsimus Dominus Abbas MARIÆ montanus Dominus Matthias Longius, primævo Ordinis sæculo dignior quàm isto, huic tamen necessarius magis & utilior, antiquis omnino moribus, & à puero maturis, ita, ut admirationi merito esset omnibus, & Virginem & Angelum, præseferre in omni actione visus. Js in Monasterio Sacrosancti SANGUINIS Christi Vinearum, vulgo Weingartten, Monasticen professus, Professionis seriæ exemplar se Confratribus præbuit, talis & semper & ubique, ut nunquam non Professionis suæ meminisset, talis omnino per omnia, de quo sibi Superiores & Collegæ omnes plurimum gratularentur. Momenta temporis omnia sedulo attendit, & appendit, sed & utiliſsimè ob hoc ipsum impendit, otij juratus hostis fuit, sacri silentij Regularis, tenaciſsimus custos, ut qui ejus dignitatem & utilitatem inter præcipua Ordinis haberet, & deprædicaret. Minutiſsima Regulæ inter momenti maximi res habuit, atque ad eadem, quantum per consuetudinem loci licuit, sese ad amussim accommodavit. Jn omni quod proponeret, susciperet & ageret, perspicaciſsima se prudentia prodidit; in loquendo verborum consideratiſsima paucitas, & nihil sine pondere fuit. Jpsius erga DEUM charitas singularis ex ipsa devotione facile apparuit, cum in Oratione, mira corporis & angelica quasi compositione totus quasi absorptus videretur, & fortè interpellatus, quasi à somno dilectorum Domini excitatus, attonitus se colligeret; ac dein loquentem attenderet. Erga proximos charitate accensiſsimus fuit, neminem unquam seu verbo seu facto visus offendere, venerari omnes solitus, dolentibus condolere, congaudere gaudentibus, omnibus benè velle. Et sanè ejus similem vidisse non meminimus, adeo cautum, attentum, modestum, sobrium, compositum, ut planè appareret cum Henoch & Noe, in omnibus vijs suis *cum Deo ambulasse*, & huic præsentior semper quàm sibimetipsi fuisse. Sic incedentem semper, cum observarent omnes, & merito colerent, petente sibi Coadiutorem sanctæ memoriæ Abbate Georgio, in Matthiam facile consensêre Weingarttenses omnes, nemine quàm ipsomet qui electus fuerat, reclamante, etsi necquidquam: nemine sibi gratulante magis, quàm Georgio, de tanto cum tempore successore. Verùm biennio post, vacante diutius, nec minimum periclitante Mariæmontano Venustæ Vallis in Comitatu Tirolensi Cænobio, Abbas postulatus anno millesimo sexcentesimo decimo quinto 27. Octobris omnem felicitatem loco illi una secum intulit, & disciplinam inprimis sedulo curans, Religiosorumque augens numerum, in Oeconomiam inde strenuè incubuit, omneque æs alienum feliciter dissolvit, prata, agros, vineas, prædia redemit, miro prorsus rerum successu, ut nemo dubitare posset, singulari omnia ipsi obvenire Numinis benedictione. Tum ad Cænobij ruinosi & minus pro Religiosa disciplina accommodati, restaurationem conversus, postquam ea quæ meliorari poterant emendasset, ingentem & pretiosiſsimam Conventus fabricam, à fundamentis (in magnam attollens sublimitatem ex montis satis præcipitis declivitate) incredibili labore & dexteritate exstruxit; ea omnino Architecturæ moderatione, ut nemini non intuentium insigniter probaretur, nihil ad ostentationem, etsi elegantia omnia, & quàm commodiſsima essent, ut fateri cogerentur universi & domestici & hospites, Matthiæ Abbati ob hoc tam egregium opus immortalem à præsentibus & posteris memoriam deberi summamque gratiarum actionem. Nec infelicior in templi structione & expolitione fuit, ita ut longè latéque tanti Præsulis nomen celebraretur, cui summa vitæ integritas, maximam apud vicinos omnes conciliavit auctoritatem, apud exteros laudem,

Jn omnibus vijs suis cum Deo ambulans.

Eligitur Abbas Mariamont.

Jn omni vita cautiſsimus.

Monasterium elegantiſsimè construit.

Templum insigniter excolit.

apud

apud sereniſſimos Principes amorem. Verum ille nihil ſibi honoris arrogans, ſed & totum DEO adſcribens, cum ſuis Religioſis, ita vixit, non ut Dominus, ſed ut illorum omnium, in procurando neceſſaria miniſter, in elargiendo ut Pater, omnibus revera omnia factus, ita tamen ut ab omnibus non minus timeretur quàm amaretur; etſi ad correctionem, non tam ſtrenuitas & rigor valeret, quàm exemplum, cujus contuitu, nemo non quidquid in ſe vitioſum eſſet, & deprehenderet facilè, & in ſeipſo confunderetur. Ita præſtitit feliciſſimo, dum vixit, Cænobio, & felicitatem etiam ſucceſſoribus reliquit, præter nummorum ſufficientiam, etiam omnia optimè conſtituta, & mortem facilè ex annis & defectu virium prævidens ſuam, ad eamdem ſeſe etſi tota vita comparaſſet, ſub extrema tamen, totus in hoc unco fuit, ut paratiſſimus vocanti Domino fidelis revera ſervus & prudens occurreret. Ita munitus denique omnibus, ex more ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Sacramentis, placidiſſimè deceſſit, ingenti ſui relicto deſiderio, maximo non ſolum Mariæbergenſium, ſed ſuorum Weingartenſium luctu, quibus conſulere nunquam deſijt, & per calamitatem belli Sueco Germanici, plures benignè complexus, paternè fovit & aluit, ornamentum utriuſque Cænobij, imo Ordinis univerſi ſempiternum. Mariæmontani Parenti optimo ſequens Epitaphium poſuêre:

Præfuit ſanctiſſimè non minus quàm utiliſſimè.

Sanctiſſimè vita excedit.

Epitaphium.

Anno Chriſti M. DC. XL. XX. Maij Matthias Reverendiſſimus Dominus Abbas XXXV. Monaſterij S. MARIÆ de Monte, poſtulatus ex Monaſterio Weingartenſi, qui Monaſterium hoc partim reſtauravit, partim de novo re.edificavit, pluribuſque prædijs: Vinetis & proventibus auxit: eaque propter meritiſſimo, ALTER FUNDATOR audit. Præfuit autem Adminiſtrator annos ſex, Abbas verò viginti quatuor.

Ex lamina ſtanni feretro & tumbæ impoſita. Habuit fratres germanos duos, alterum Oeconomum & Priorem Cæſareenſem, alterum Joannem Abbatem Ochſenhuſanum, utrumque fratris minimè diſſimilem. Cæterum memorabile valdè, Matthiæ poſt aliquot annos corpus, repertum non ſolum incorruptum, ſed barbam, quam ante obitum habebat candore niveam, juvenili flavedine commutatam, haud dubio indicio Angelici animi, corpus Virgineum olim inhabitantis, atque ob hoc ipſum, tanto poſt incorruptum, exemplo noſtra ætate inprimis memorando. *Ex monim. Weing. Mariæberg. oculatiſque teſtibus.*

Corpus poſt aliquot annos incorruptum.

Ipſo anno 1640. die 23. Decemb. moritur Ven. Vir P. Wenceslaus Aſſulus Monachus Cladubrienſis Cænobij DEIparæ ſacri, qui tentatione olim victus cum inde ſe ſurripere vellet, ab ipſa DEIpara retentus, religioſiſſimam deinceps vitam duxit, & cum grandi aliquando ſtatua B. M. V. è ſublimi prolapſus prodigioſè ſervatus fuit. *Ex monim. ejuſdem Cænobij.*

IESU CHRISTI ANNUS S. M.DC.XLI. Sancti Patris Benedicti. M.C.LXI.

NE abſque purpurâ Sanguinis toties Cœlis in Ordine noſtro commendatâ etiam poſtrema hæc noſtra ætas, DEO, & Angelis, & hominibus ſpectaculum eſſet, in arenam & ſcenam hoc annô prodijt ſanctæ memoriæ, inſignis Chriſti Athleta P. F. Ambroſius Barlo Congregationis noſtræ Anglicanæ Presbyter Monachus. Js Anglus patria, hanc pro Chriſto juvenili ætate deſerens, Monachũ Duaci, in Monaſterio Sancti Gregorij profeſſus eſt. Jnde non minus quæſitâ denuo & repetitâ, quam relictâ olim patriâ glorioſus, fidei propagandæ & propugnandæ zelo æſtuantiſſimus, ut illam & concives Chriſtô lucraretur, ingentia pericula ſubire, labores perferre, moleſtias tolerare in præcipuis habuit: quin & ſuum denique cum vita Sanguinem, Chriſto pro patria, imò pro hoſtibus æque atque amicis offerre geſtijt, & generosè obtulit, poſt ſanctam vitam, & diuturnos viginti quatuor annorum labores in excolenda Domini Vinea exanthlatos, copioſumque animarum fructum DEO oblatũ, pro defenſione ſanctæ Rom. & Apoſtolicæ Fidei, hoc ipſo anno, quarto Jduum Septembris Lancaſtriæ Martyrio conſummatus, ætatis ſuæ quinquageſimo quinto, profeſſionis ſuæ 25. Sacerdotij vigeſimo quarto. *Ex litteris ad me datis Rev. D. P. F. Clementis Reineri ejuſdem Congregationis meritiſſimi Generalis, &c.*

Ven. Ambroſius Barlo Anglus.

Vir Apoſtolicus.

Martyrio coronatur.

Sed

Sed & cœlestis in terris Cœlestina nostra familia lucidissimum hoc ipso anno cœlis Sydus transmisit sanctæ memoriæ Petrum Santutium ex Manfredonia, in Apulia plana nunc Capitaneata, virum planè incomparabilem; quippe qui vitæ asperitate, orationis ac meditationis assiduitate, virtutum omnium ornatu, rebus præclarè gestis, muneribus in Ordine laudabiliter obitis, charitate in proximos, mirabili erga DEUM confidentia & affectu, cœlestibus visionibus & revelationibus, virtute eijciendi cacodæmones, diversorum & gravissimorũ curatione morborum, Spiritu Prophetiæ, meritorum aliorum & diversissimorum gratia, etiam postquam vita defunctus illatus est tumulo, & provinciam ac regionem circumpositam infinitis demeruerit meritis, & Ordinem universum insigniter exornaverit. Ejus vitam descripsit prolixè ejusdem sacræ Reformationis scriptor insignis, typis Bononiæ expressam anno Christi 1648. *Ex R. P. Philippo Malabayla, &c.*

Ven. Petrus Santutius Cœlestinus.

Miraculorum gloria illustris.

Sed & tertium ex Ordine Sydus hoc ipso anno ambitiosius sibi exambiens digna ambitione cœlum, terris, & fœcundissimo Sanctorum, etiam postrema & perditissima ætate nostra, Galliarum Regno, mœrenti abstulit, sanctissimæ memoriæ Dominam, Catharinam de Roquelora (de cujus conversione supra) Ducis præstantissimi & Castrorum Regiorum prætoris Marescalli filiam: de cujus vitæ fine, ita sanctus vitæ scriptor, cum mirâ ejusdem ad sacrũ Calvariæ nostræ Institutũ vocationẽ describisset: *Tandem*, inquit, *multis aucta virtutum insignibus, clariórque Sanctitate, quàm stemmate, ardenti febre correpta, multóque æstu diu tosta, gangrena corpusculo tabido exitium afferente paulo post conficiendam, & ad immortalia transferendam intelligens, miranda virtutum omnium exempla, non aliter quam sol, qui quo occasui instat propius, eo copiosiori luce splendet, edidit, maximè verò humilitatis, rerum omnium abdicationis, pœnitentiæ, patientiæ, vehementissimæque in Christum Dominum, Matremque ejus integerrimam, dilectionis: solitaque dicere: Nunquam ad DEUM ægrè & renitenti mente proficiscendum, sed expeditè, alacriter, ingenuè. Nullum remedium quantumvis acerbum sensibusque adversum respuebat, porrectumque semel pharmacum in ultimis constitutæ, vel guttulam aquæ sorbere impotenti, cum in honorem fellis & aceti, quo sacrum Christi Domini os in Cruce maduit, hauriendum sibi intellexisset, data manu auidissimè faces ipsas deglutivit. Ejus una vox, cum præacutis forficum novacularumque ictibus caro ipsa crebrius dissecta, lachrymas ab ipsis spectantibus cieret & horrorẽ: Sit adorandum Nomen IESU, Sanctaque Matris MARIÆ benedictum!* Subdens: *Tu nosti, Sponse amantissime, meipsam totam tibi tradidisse, nec ad modicum, propter immensum amorem tuum, sed quodcunque, quantumque visum fuerit, amantissimæ Bonitati DEI mei, & Domini mei, Propitius esto peccatrici animæ, sed tuæ in æternum Christe IESU! Ardentiori febris æstu ac igne depasta, inter ipsos acutissimos dolores, ad ipsam proximæ mortis objectam tetram imaginem, immota pace fruens, hac una cogitatione tripudiare animum dicebat, nimirum, SE BENEDICTINAM MORI CALVARIÆ ALUMNAM, Sacratissimæ Virginis, ad Crucem morientis filij stantis, filiam, indignissimam licet, sed suam, sed Ei prorsus addictam.* Denique Verba ejus novissima hæc fuère: *Offero tibi Domine IESU quos tolero exiguos dolores, in unione acerbissimorum cruciatuum à Te agno innocente, propter me multis criminibus ream, exantlatorum, atque hæc dicens expirávit, anno Christi, 1641.* Ita Præfatus author.

Ejus resignatio

Benedictina novi gaudet.

Ven. Catharr. de Roquelora.

Sed & altera hoc ipso anno à Benedictinis, verè Benedictis Calvariæ alumnis, Christum sese in vestigio sequutam, verè crucis bajulam, verè crucifixam, quotidiano Vitæ exemplo comprobans, agonem suum feliciter consummavit, sanctæ memoriæ Mater Ludovica à Sancto Placido, Virginalem pudicitiam, vitæ rigidioris inclementi austeritate, tanta sensuum mortificatione, tanto suimet ipsius odio custodivit, vallavitque, ut non mortificata, sed verè mortua dici posset, incredibili pœnitentis Vitæ severitate & feritate semet ipsam tractans & conficiens, longo, quotidianóque Martyrio, sese Numini immolans: cujus ab obitu Virgineum corpus, totum tabo ex horrendo flagellorum usu diffluens repertum, invicti animi Generositatẽ, cum summa omnium admiratione, manifesto comprobavit. *Ex R. P. Amando Tribout.*

Ludovica à Placido.

Insigne ejus dictum.

Eo-

Eodem anno meritissimus de Ordine & Congregatione inprimis Bursfeldensi magno bonorum omnium luctu extinguitur HenricusSpichernagel Congregationis ejusdem lectissimus Præses, celeberrimi Monasterij S. Pantaleonis Coloniæ Abbas meritissimus, multorum scriptorũ laudibus eximiè celebratus,ob egregias animi & corporis dotes nemini non amore dignus visus & admiratione atque veneratione. Fuit hic ferventissimus disciplinæ Monasticæ assertor & promotor,ipsius exemplar omnibus omnium virtutum factus; laborum omnium etiam in gravi senio patientissimus,cum ipsum Reformationis gratia, nec senium retardaret, neque ulla itinerum vel temporum difficultas, verè fulcrum singulare & ornamentum Ordinis suo tempore habitus; id consequutus, ut etiam à morte nomen ejus sit in omnium ore & benedictione. Curis confectus & laboribus requievit in Domino 3. Maij, anno Christi 1641. ætatis suæ 76. *Ex Monimentis ejusdem Cœnobij & communicatis adm. Reverendi P. Antonij Erckelens de nobis merititissimi.*

Henricus Bursfeldensium Præses Generalis.

Ornamentum Ordinis.

Quo ipso etiam anno vita excessit, non minor industria ac Zelo Monastico Reverendissimus Henricus Gysenius S. Hereberti in Tuitio prope Coloniam Abbas, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, & Professor in Universitate Colonienſi,pro eximijs vitæ meritis ad Abbatialem evectus dignitatem, quase dignissimum probavit; quem magna & laudabilia meditantem vix quinque exactis in regimine annis, magnæ suorum expectationi bonum Numen præripuit, plurimum à bonis omnibus deploratum. *Ex monimentis ejusdem Cœnobij.*

Henricus Abbas Tuitij.

IESU CHRISTI ANNUS,M.DC.XLII. Sancti Patris Benedicti. M. C. LXII.

ITerum triumphanti in cœlis Ecclesiæ Generosissimus ex OrdineBenedictino miles & Heros, vexillum gloriæ cum laurea Martyrij infert, digno cœlitum plausu exceptus. Js fuit Venerabilis P. F. Albanus Roe, qui eodem DEI amore, quo patriam juvenis reliquit, eodem, quò totum se Christo in Ordine consecrans, quartum de missione Apostolica Votũ edidit, eodemmet ipso patriam repetijt, ut vel sanguine proprio, post ingentes labores & pericula, eamdem Christo lucraretur. De ipso sic Reverendissimus Dominus P. F. Clemens Reinerus Congregationis Anglicanæ Præses Generalis, felici nuncio Ordinem, & Christianum Orbem vulgatis typo litteris beans & accendens: *Beneditus sit*, inquit, *Gloriosus Rex Martyrum IESUS Christus, pro cujus Fidei defensione hoc anno currenti 1642. die 31. Januarij, Londini Martyrium, Generoso,alacri,& excelso animo subijt Reverendus P. F. Albanus Roe Congregationis Anglicanæ Ordinis S. BENEDICTI Presbyter & Monachus Anglus in Monasterio S. Laurentij de DEI custodia, vulgo dicule-wart, Diœcesis Tullensis professus, ætatis suæ anno circiter sexagesimo. Causa condemnationis fuit, syncera professio Fidei Catholicæ Apostolicæ Romanæ, functio Sacerdotalis, & constans exercitium illius, per plurimos annos, in solatium Catholicorum dicti Regni, &c. Tenor verò sententiæ, sicut mos est in Anglia, quoties morti proditores adjudicantur, eum ferunt sensum: ut condemnatus viminea crate majori trahæ impositâ post caudam equinam, per sordidas, asperas, & inæquales plateas, ignominiosè ad locum supplicij raptatus, in majorem cruciatum sub patibulo (profacinorosissimorum & infamium hominũ justis supplicijs præparato) semistranguletur laqueo: deinde ut redeunti ad se amputentur virilia, & igne comburantur. Tunc ut cultro aperiatur venter, ac erutis ilijs, etiam cor & viscera spiranti adhùc, ac reluctanti manu carnificis evellantur, & in ignem juxta positum projectantur. Denique ut reliquum corpus, in quatuor partes dissectum, & elixum, ad varias civitatis portas, in demortui ac consanguineorum perpetuam ignominiam suspendantur, &c.* Jta citatus Clemens Reinerus noster, & nos in Annalibus Benedict. Addit autem in suis ad nos, cum relatione hâc, datis, de alijs nonnullis nostri Ordinis viris,eamdem sententiam passis, etsi ad exequutionem necdum deducta sit, ita inter alia tam Albeni glorioſum agonem, quàm reliquorum è nostris expectationem describens: *Accipe, & una mecum oculis præ gaudio lachrymantibus, intuere hunc speciosum botrum, quem Vinea Anglo-Benedictina produxit, uberiorem Vindemiam, postquam persecutionis fervor exteros ramos æque decoxerit, mox datura: nam ex nunc plures sunt conjecti in careeres, ex qui-*

Albanus Roe Congreg. Angl.

Vir Apostolicus.

Sententiam mortis excipit.

Plures expectant imo desiderant eandem sententiam.

quibus tres, licet adhuc viventes, eamdem mortis sententiam acceperunt, alij præstolantur, &c. quorum etsi aliqui in exilium missi, alij dimissi sunt; non alia tamen de causa, quam quod sanguine Martyrum & exemplo, ipsimet Hæretici metuerant, plures quotidie Romanæ Ecclesiæ lucradons & aggregandos. Quod DEUS Opt. Max. interveniente Apostolorum Regina Deipara, primisque Anglorum Apostolis & Episcopis à Magno Gregorio nostro destinatis, clementissimè largiri dignetur.

Maurus Episc. de la Jaca.

Felici somno in mortem resolvitur Reverendissimus & Illustrissimus P.D. Maurus de Villa-Roal ex Monacho S. Salvatoris de Loretzana, ejusdem loci Abbas, tum S. Vincentij Salmantini; inde Ordinis Generalis, demum Episcopus de la Jaca, Præsul meritissimus, Virtutum omnium speculum, omnem substantiam suam relinquens Domui Professionis. *Ex communic. Ant. de Soto Major, &c.*

Congregatio Nostrorum Sanctorum Vitoni & Hydulphi in Gallijs, Lotharingia & Burgundia, felicissimis successibus, ob eximiam exempli sanctissimi famam, & contuitum, multa & mira apud ipsos quoque sæculares effecit; cum gravissimi etiam & sceleratissimi peccatores, ultro faterentur, tantos sibi ad vitæ anteactæ detestationem stimulos addi, ut vix sibi à lachrymis temperarent; & quantum ad vitia quæcunque antea essent affecti, tantum nunc abhorrerent ac detestarentur. Inde multus ad Pedes nostros confluxus diversorum opem & salutem quærentium & in viam salutis dirigi cupientium; multorum item cucullum exambientium, vel alias in quovis statu, totos se directioni tantorum virorum permittentium. Fuitque tanta illorum apud sæculares reverentia, ut planè non aliter atque Angeli descendentes è cœlo passim exciperentur, & quacunque incederent deducerentur. Et reapse afflictissimis quibusq; maximo erant solatio, dum maximum non solum pondus verba ipsorum haberent, sed vel maximè ipsi sanctissimi mores, & disciplinæ Monachicæ gravitas, magnam omnibus auctoritatem conciliarent, omnes intuentes & attonitos redderent, omniumq; studia raperent, famâ longè latéque omnium audientium corda occupante. Quin & ipsi de se ipsis mirabantur, ijs vel maximè, qui remissius antea, etiam in Religione habiti, delicatius enutriti, mollibus lectulis usi, varijs distractionibus recreati, aspirante Numine sacræ huic Reformationi nomen dederant, experti quamprimum, quantum Gratia DEI in omni rigore dulcorando posset: cum longæ illis Vigiliæ, protractum, multis Horis Divinum officium, frugalis mensa, labor manuum, silentium strictissimum, jejunia frequentia, lanearum vestium ad nudũ corpus & cilicij usus, promptissima ad ardua quævis, absq; ulla tergiversatione obedientia, subjectio proprij judicij omnimoda & gravia alia, quæcunque ipsi contraria naturæ exercitia, ita deinceps suaviter saperent, ut nunquam satis prioris vitæ segnitiam detestati, veram fuisse miseriam & calamitatem faterentur, dum jam longè alijs & solidis animi delicijs affatim fruerentur, & juxtà promissa Sanctissimi Patris & Patriarchæ sui Benedicti, processũ Conversationis, reapse inenarrabili dilectionis dulcedine currerent viam mandatorum DEI, imo altùm evolarent in ejusdem via Consiliorum; tanta omnium inter se charitate, tanta charitatis exhibitione, ut jam in illa æternæ pacis habitatione sedem fixisse viderentur; tanta erga senes quoscunque nedum Superiores reverentia, erga ægrotos compatientia, inter se gravitate & modestia, ut qui frui vel ad horam illorum consortio posset, beatum se, non aliter atque illa Sabæ Regina, in contuitu Salomonis, fateretur: dum ita ordinatè omnia fieri cerneret; & nihil non priscam Sanctorum Patrũ simplicitatem & sanctitatem redoleret, sanctissimæ paupertatis studiũ ubivis se proderet, omnes mundo verè se mortuos comprobarent, & revera DEUM solum seipsis quasi neglectis toto cordis desiderio, totâ mentis intentione, omni viriũ intensione quærerent; imo summa in pace, maxima animi consolatione ipso fruerentur. *Et hæc omnia testium oculatorum fide & relatione.*

Rigor Vitæ dulcis Religiosis.

Primævus Ordinis fervor.

Successus Congreg. SS. Vitoni & Hydulphi.

Mira Dei in Reformatis gratia.

IESU CHRISTI ANNUS. M.DC. XLIII.
Sancti Patris Benedicti. M.C. LXIII.

NEc impari viris, & Heroibus quidem, pia æmulatione, sancta contentione, veræ Amazones nostræ, non æmulari solũ charismata meliora, sed viros,

Pia æmulatio sacrarum Virginum.

viros, quin & vires, ac fidem hæc audientium & attendentium superare aggressæ, nulla superabiles arduitate, verè spectaculum factæ mundo, & Angelis & hominibus, DEO autem holocaustum quotidianum, cum, qui secundum carnem saperent, etiam Religiosi, omni Martyrio acerbiorem, ut & diuturniorem, tenerrimarum Virginum, quin & puellularũ, etiam genere Illustrissimarũ, ac Serenissimarum vitã cernerent, & toti obstupescerent, ad nutum quemvis Superiorum suarum in enses, ignes, aquas, ut sic dicamus, nulla vel mora, vel exceptione atque excusatione ruituras, intentas simul & cupidas, quævis, vel maximè ipsi naturæ contraria & adversantia, sibi imperari, subituræ omnia, alacerrimo animo, imo etiam impossibilia, ad amussim sanctissimæ Regulæ, ausuræ, uti recentissimis patuit exemplis, DEO ipso miraculis conatus simplicissimæ obedientiæ comprobante, dum frigentibus & rigentibus omnibus nive glacie, occupatis cum Magistra sua Novitijs, in adornanda ad festum quoddam DEIparæ Benedictæ suæ Matris statua, simplicitatem piè tentando diceret: & nunc quidem ad ornatum nihil porro deesse, quàm ut recentes ex horto rosæ afferrentur, offerentibus sese quamprimum quæ audierant, imo ad momentum Voti ac vocis currentibus nisi impedirentur, uni præ alijs promptæ & expeditæ commissum negotium est, quæ & hortum ingressa, messem totam rosarum reperit, & pleno sinu, ad matrem stupentem retulit. Nec minus laudabili simplicitate, & piâ obedientiæ cæcitate, alia jussa, aridum rosarum lignum in terra plantare, & tepentem quotidie aquam affundere, haud impari miraculo meruit, idem arentissimum lignum revirescere, & in præclarissimum rosarum surculum & tuberculum assurgere & excrescere. Quæ nostræ aridæ ætati, penè incredibilia sunt; sunt tamen verissima & recentissima, ac multo plura alia, æquè ac magis miranda, quæ manum Domini minimè abbreviatam attestantur.

Stupendus vitæ rigor.

Simplicissimæ obedientiæ Tyrunculæ.

Miraculis honorata simplicitas.

Sed quid miramur fructus ejusmodi & exempla, quando non potest non bona arbor bonos fructus facere; miremur potius insitam supernaturalem bonitatem à Satore superno, in tantæ fertilitatis arbore, in totius sanctissimæ Congregationis de Calvariæ Generali Superiore. Ea hoc ipso tempore fuit Beatissimæ memoriæ, de qua supra aliquid, Magdalena de Rieux dicta de Passione, quam noster calamus, planè diffidit dignè & satis describere, quæ Tyrunculis novissimis simplicior & humilior, non poterat fructus alios, quàm simplicitatis, & DEO probatissimæ humilitatis germinare & generare. Illum, quem jam aliquoties audivimus, haud imparem studijs Magdalenæ audiamus; qui cum prolixius subditarum sanctitatem, & animi juxta sanctam demissionem deprædicasset, Magdalenam celebrans sic pergit: *Primas tamen inter tot lumina tenuit semper (Magdalena) omnium infima, nulli secunda, dejectissima & eminentissima humilitas, ab omnibus Superioritatum gradibus, ita abhorrebat, ut quasi ad mortem damnata expavesceret, ut ex sola Obedientia, metuque pertinaciæ culpabilis denique admiserit. Et præesse coacta fuit ferè per totam vitam, sed Præsidi præses semper aspiravit humilitas ipsa, eo dejectior quo & vita & honore provectior. Nihil sine consilio aggredi solita juniores etiam, & nullius usus, nec experientiæ adolescentulas, raro modestiæ & ingenui candoris exemplo, interrogatas, audiebat intenta & humili mente, sensa animi promentes, probansque omnibus potiora DEO teste deligebat. Sæpe etiam dum Superioris Generalis honore præfulgeret, visa est coram ijs, quarum ad scribendum & alia negotia peragenda, utebatur opera, in genua provolui, impensè rogans omnes, ut ream de culpis & defectibus monerent, indicarentque, quid in regimine, cella, vestibus, colloquijs, sacro Instituto, constitutionibus Regulæ adversum annotarent: sed tanta erat in omnibus Magdalenæ Observantiæ integritas, tanta animi solertia & præsentia ingenij ad omnia, ut Religiosissimæ quæque ab ea alienum nihil deprehenderent.*

Magdalena de Passione.

Omnia sua cum consilio.

Generalis supplex minimis sororibus.

Monuit aliquando soror quædam Generalem (quo ejus humilitati obsequeretur) insertam forcipibus ipsius catenulam, curiositatem aliquam redolere: quam statim abstrahi curavit verè humilis superior, plurimis ei Gratijs ex more actis. Detrectabat quævis obsequia: *sibi ipsi ancillari se posse, dicens, ac, siquid impendi prorsum necessarium esset, tanta verborum & animi demissione*

Memorabile humilitatis exemplum.

sione ipsa accipiebat, ut planè indignissimæ præstari assereret, & minimè ad se pertinere.

Per quadraginta & amplius annos Parisijs commorata, amans nesciri inter tot serenissimos & illustrissimos consanguineos & affines, inter tot Principes fœminas, Ducissas, Comtissas aliasque primariæ Nobilitatis Dominas clarissimas, totius Aulæ lumina, & Regni ſaera, latere semper, nunquam videri voluit, in hoc uno duntaxat auctoritati suæ obniti molestissimè ferens, minaciterque incusans, cum Superiores, tum inferiores, quæ vel privatis colloquijs, vel publicis, de ea, ejusque genere & virtutibus quidquam evulgarent. Ægrè colloquutorijs intererat, molestius cum Primarijs viris atque Ecclesiæ Prælatis actura: quare, si quando id vel necessitas, vel manifesta Congregationis utilitas exigeret, tacebat ut plurimum, alia loquente; quippe cui persuasum prorsus esset, ad omnia ineptam se esse, aliasque quasvis sorores prudentius quam ipsa, concinniusque colloqui posse, esset licet nihilominus tanta ejusdem ingenij acies, rerum omnium peritia & usus, judicij pondus & sagacitas, ut pari negotiorum intelligentia, sermonis facultate, & efficatia præditam aliam vix reperiri posse, omnes assererent: ac nisi DEUS hanc tantæ humilitatis verecundiam ipsi indidisset, nimium ad eam procerum confluxum futurum fuisse, omnibus quacunque voluisset persuasuram. Rarissimè ab Officijs diurnis aberat, negotiorum haud differendorum gravi mole; à Nocturnis & mentali oratione nunquam, etsi præter negotia morbis varijs graviter premeretur. Meditationibus aliisque pijs exercitijs incumbebat semper altero genu flexo, altero Ischiade laborante & obrigente. Sacrosanctæ Missæ Sacrificio erecta adeo in DEUM mente intererat, ut viso tanto Seraphici animi ardore, tepidissimæ quævis animæ incalescerent, prodentibus se in oculis, ore, totius compositione corporis, signis Divinæ Charitatis, quæ tegi se minimè patiebantur. Porro quoties Divino sub sacram Synaxim cibo reficiebatur, toties tota extra se rapta, pluribus horis, provoluta semper in genua, arcanis pasta delicijs, ab oratione, & pijs cum Sponso colloquijs temperare non poterat. Nunquam cubiculum, in quo Officij sui negotijs vacabat, ingressa est, quin prius latitans in cella aliquamdiu, poplite flexo sponsum crucifixum amantissimè salutasset. Unde etiam erat piæ Matris morum omnium æqua temperies, ut nullis unquam casibus, nedum frangi, sed nec modicè perturbari potuerit. Quare solebat dicere: agenda esse, quæ agenda erant, nec pluribus curis, ad plurima unquam intendendum esse animum, DEUM solum plura simul & semel moliri posse, creaturam vero unum aliquid tantummodo, quo vitè perfecto ad alia contendendum. Eo Charitatis flagrabat incendio, ut de ea jure dici posset, quod de altera Magdalena asserit Christus Dominus: quia dilexit multum &c. Mater omnium, Mater omnibus erat, materno sinu abdebat omnes, omnibus materno studio ac vigili cura, in omnibus prospiciens, infirmis debilibusque non modo nulla ope deerat, imo etiam sollicita charitate, earum verecundiæ consulens, quævis necessaria liberalissimè suppeditans, prudentissimè antevertebat. Ægras ante Matutinas Horas & Orationem mentalem quotidie invisebat, & frequentissimè interdiu, quas tanti amoris & benevolentiæ efficaci teneritate demulcebat, earum ægritudini vehementissimè compassa, ut morbi sensu omni diu posteà carerent. Mittebat ad eas plerumque fructus & alia bellaria, quæ sibi ministrabantur, unde nonnullæ viso & suscepto tantæ charitatis maternæ gratissimo pignore, plerumque convalescebant. Majoribus tamen solita erat majores & potiores impendere curas, animarum videlicet saluti & perfectioni omnimodæ. Quare, siquid per litteras à subditis rogabatur, statim, nulla habita personarum ratione, omnibus (infimis licet) ea responsa dabat, quæ omnibus arriderent & probarentur. Si quando de interno conscientiæ statu colloqui cum ea velle sororem aliquam, sed præ verecundia non audere intelligebat, tota in amorem effusa occurrebat pudori, ijsque sacræ charitatis, ut plurimum, utebatur innoxijs artibus, ut facta timidæ menti familiarior, de omnibus scisitata, omnia rescians omnibus providebat; nec recedebat unquam, etsi multis aliquin implicita, quin se dato omnimodis animo, cupitam tranquillitatem, mira sermonum lenitate, rationumque vi, & efficacia, incredibili dexteritate induceret. Nunquam detrahentibus, nunquam jocantibus, de proximi, nedum adversantis sed nec hostis manifesti, levioribus malis & culpis indulsit; dicere solita, hostes sibimet semper obesse, sed nobis plurimum, per patientiæ studium prodesse. Ut vero teneerrimæ erat & humanissimæ Charitatis Magdalena ineas, quæ munijs sibi commendatis non deerant, ita ea vehementia & sacri fervoris impetu,

Silentij studiosissima.

Divini Officij cura.

Sub sacra Communione semper in extasim rapta.

Insignis ejus monitio.

Ægrotarum sororum cura.

Omnia omnibus facta.

In delinquentes seria.

piè sæviebat in delinquentes, ut nullis unquam adulata, omnibus syncerè & ingenuè colloquuta, impavido zelo vitijs quibuscunque & quarumcunque bellum inferret, sed eâ prudentiâ, & amantis animi industriâ, ut ejus monitiones & expostulationes omnibus sumopere probarentur, quippe, quæ scirent certissimo, soli eam peccato irasci, ejusdemq; amorè, quacunq; forma amictũ, sive mitescentẽ, sive sævientẽ, sanctum tamen & maternum amorem semper esse. Impetebat semper & potissimum amoris proprij ac philautiæ æstus in diem recrudescentes, solita dicere: Invadendum in tales defectus generosè, & vorandos amoris Divini omnipotenti robore: ut autem efficaciori tentationibus impugnatis solatio foret; versor, inquiebat sæpissimè, in vestro statu, in iisdem fluctibus, susque deque acta, hæc & illa adhibeo remedia, quibus si etiam utamini, ingentes in via Salutis, profectus facietis, victrices semper, & Dæmoni terribiles. O Animæ illius incredibiles delicias, quæ naturam semper Gratiæ subjicit, & voluntatis propriæ præpostera studia Obedientiæ sanctæ potenter emancipat. Jta sæpè citatus Religiosissimus Scriptor.

Philautiæ æstus suspectissimos suis reddebat.

Quanta gratia Resignationis.

Eodem anno Christi 1643. Septembris die 13. Redivivo in se Patri Sanctissimo Benedicto in cœlis gloriosum sistit Gregorius à S. Elia cognominatus Casinensis Cœnobij Conversus mirificæ sanctitatis opinione clarissimus, cujus elogium vitæ typis excusum necdum habere potuimus. *Casimirus Vincentius.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XLIV.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LXIV.

MAgnum omnino & splendidissimum Hispaniarum occumbit sydus, non sine magno & Regni & ipsorummet Regum luctu, Reverendissimus & Jllustrissimus P. F. Josephus de la Cerda noster, Almeriensis & Parensis Episcopus. Hic in celeberrimo Sancti Martini Regiæ Urbis Madritensis Monasterio vitam Monasticam professus, tantis animi corporisque dotibus excelluit, ut facile quivis, ad summa natum, conijceret. Fuit admirabili ingenij præditus sublimitate, memoria incredibili, eloquentia singulari, claruit omnimoda scientia, humanis Divinisque litteris instructissimus, in Philosophicis, Theologicis, in Jure utroque ad miraculum versatus: neque minus tamen Religiosi rigoris, Regulæ sanctæ & disciplinæ observantissimus, summæque Vitæ perfectionis studiosissimus, Zelo Religionis & propagandæ bono publico pietatis accensissimus, eaque de causa juvenis etiamnum, Regius Concionator designatus, verbo potens & exemplo mirificè excelluit, omniumque animos rapuit, maximi propterea à Regibus factus, quem deinceps ad Episcopatus Almerienses Cathedram promoverunt; inde Parensis etiam Ecclesiæ Pontifex ordinatus, dum ubivis veri Pastoris insignia exempla edit, & Christi ovibus omni cura invigilat, sanctóque vitæ exemplo omnes lucrari satagit, ad altiores multo dignitates expetitus, præmatura morte omnium votis & Regum præcipuè eripitur, relictis non paucis præstantissimi ingenij monimentis, quæ inter celebratur præcipuè Tomus unus de DEO Jncarnato, & Beatissima DEI Matre, & duo alij Tomi in librum Judith, litterali & morali explicatione, in quibus profundissimi sui ingenij thesaurum in publicum protulit, & ob hos ipsos labores æternum celebrari meruit. Præsul planè incomparabilis, cui nemo sufficit satis commendando. *Ex Francisco de Argaer, &c.*

Josephus de la Cerda Mon. S. Martini.

Regibus dilectus.

Ad diversos Episcopatus promotus.

Luget & Galliarum Regnum hoc ipso anno magnum sibi Sydus ereptũ, & cœlo insertum sanctæ memoriæ Mariam de Compreinac, Benedictini Ordinis, Congregationis Calvariæ fœminam præelectam. Fuit hæc Jllustrissimo orta genere, è familia de Pontac, neptis primarij in suprema Curia Burdegalensi Præsidis, quæ vegeta etiamnum ætate viro orbata, cum jam libera sibique soli reddita de eligendo statu vitæ reliquæ deliberaret, voti causa peregrinatione ad Sacellum DEIparæ de Ardilerijs, eo inprimis fine suscepta, ut ab amantissima parente ac Tutelari sua, quidnam sibi potissimè amplectendum esset, exoraret. Jnde Salmurij in æde sacra Calvariæ dum suppliciter DEUM orat, derepente tota æstuanti desiderio absolutissimæ perfectionis incalescens, sæculi pompis, delicijs, honoribus eodem momento nulla interposita morâ sibi nuncium remittendum esse audit, ac relictis omnibus, ibidem Monasticum habitum sibi induendum. Obsequitur ocyus immissæ cœlitus inspirationi (ita sæpe citatus

Maria de Compreinac Dn. de Pontac.

Mirè vocatur ad Ordinem.

rerum

rerum Calvariæ scriptor) familiam dimittit, votum exsolutura ipsa intrepidè nihilque morata, sed seipsam demirata, Monialium Calvariæ Conventum ingreditur; tanta modestia & humilitate, tanta prudentia & zelo, cum ipsis Virginibus versatur, ut omnium calculo ad Novitiatum, ac dein Professionem admissa, nihil à mirabili vocatione alienum admittens, omnibus admirationi & imitationi esset. Sola oratione cœlestiumque contemplatione pascebatur. Divina duntaxat, ut cordi, ita ori inerant, non pati arduum sibi, sed optabile, sed delectabile dictitabat; tanta in DEUM fiducia, tanto amore æstuabat plerumque ut sæpe sodalibus, singulari gratæ mentis jubilo jocóque diceret: *haud sese à DEO tot beneficijs affectam, credere posse unquam inferno addicendam, ut tot salutis subsidia, tot talenta, tot lumina nihil profutura essent.* Jn Vigilia Nativitatis Domini, pridiè quàm è vivis decederet, sacratissimo Missæ Sacrificio in nocte adesse gestiens, pretioso Christi Domini Corpore reficienda, multis sorores precibus exoravit, ut se in extremis constitutam nascenti Christo Puero in Ecclesiam deportatam sisterent, (hydropisi laborabat, tantusque erat corporis tumor, ut stuperent ipsi Medici, vixque loco, juvantibus omnibus, moveri posset) delata tamen est in Sacellum; ubi cum tantisper quievisset, subito exiliens in pedes, incredibili celeritate ad altare processit, unâ ex sororibus leviter manum ministrante, sumptaque Sacrosancta Eucharistia, eodem die nasci in cœlis, quo in terris Christus natus erat, ardentissimis votorum suspirijs peroptare cœpit. Sed DEO aliter disponente, ubi primum Plenariam Jndulgentiam Calvariæ à Summis Pontificibus concessam consequuta est, inter verba Orationis animam innocentissimam efflavit vigesima septima Decembris, hoc ipso anno Millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, Dilecto Domini Joanni Evangelistæ reservata, cum hoc festum exaltationis in cœlis celebratura, insigni apud sorores sui memoria, & desiderio relictis. Jn Jndijs Apostolatum suum beato fine claudit Jll.mus Franciscus de Borgia ex Monacho S. Benedicti de Sahagun Archiepiscopus de las Charcas. *Ex Ant. Sota-Mayore.*

Omnibus statim admirationi.

Mirum ejus dictum.

Sanctissimè vitâ fungitur.

Franciscus de Borgia Archiepiscopus.

Hoc ipso anno Serenissima Francisca Renata Lotharingiæ Princeps omnis exemplar sanctitatis, Abbatissa S. Petri Remensis meritissima ab amplexu filiarum in Christo dilectissimarum, incredibili cùm suo, tùm illarum mœrore & dolore abstracta, jussu Regis Parisios evocata, celeberrimi illius Montis Martyrum Archisterij Coadiutrix renunciata est, cùm Remense Monasterium quinque solummodo annis summa cum prudentia sanctissimè gubernasset & brevi Regimine Domum DEI, loci illius Basilicam egregiè excoluisset, & pretiosissimis ornamentis locupletasset, aliaque inter tres sacros Calices comparasset, arcamque ex ebeno, argenteis cælaturis elegantissimè distinctam confici curasset, in qua maximam partem corporis S. Zenonis (quo à Gregorio XIII. donatus quondam fuerat cognatus Renatæ Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Carolus à Lotharingia) & brachium S. Guilielmi Ducis Aquitaniæ inclusit. Proinde hoc ipso anno Remis quarta Maij discedens, omnium corda & studia secum abstulit, & Parisios delata, abdicationem in manus Ludovici XIV. fecit, suffectâ quamprimum in ejus locum Catharinâ Angelicâ Aurelianensi Principe sereniss. Henrici Aurelianensis Ducis de Longeville lectissimâ filiâ, è Malodunensi ad Pontisaram Cœnobio postulatâ. Huic vero successit alia Angelica, nimirum Catharinæ, Margarita Angelica Pontis Dominarum Professa, filia Jllustrissimi Maximiliani Francisci de Betune, Comitis Orvallensis Regii Ordinis Equitis, Reginæ Annæ Austriacæ supremi Aulæ Præfecti; quæ ab Jllustrissimo Domino Simone Lebras Suessionensi Episcopo benedicta fuit, ingenti pompa, in frequenti Consessu Cardinalium, Episcoporum, Principum & ipsiusmet Reginæ Galliarum.

Franciscæ Renatæ Pr. Lotharing. fit Coadiutrix in Monte Mart.

Omnium corda secum aufert.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XLV.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LXV.

ITerum præstantissimi valoris gemma coronæ Sanctorum cœlesti inseritur, deprompta ex amplissimo Galliarum Regni, & Congregationis nostræ de Calvaria promptuario & Thesauro. Hæc revera fuit Domina Maria de Leuy primæ Nobilitatis jubar, filia Jllustrissimi Ducis, Domini à Vantadura,

Maria de Leuy.

dura, quæ dimissa celeberrima quadam & opulentissima Ordinis Sanctissimi Parentis nostri BENEDICTI Abbatia; cui à Rege præfecta fuerat, eligens subesse magis quam præesse, Novitiatum Calvariæ Parisiensis, raro mundi contemptu ingressa, minima & humillima omnium facta, juratum propriæ voluntati & carni bellum indixit, & generosissimè gessit, didicitque ab utili Calvariæ & intuitu, & nominis consideratione, ita vivere, quasi semper & statim moritura, imo sibimet semper mori in omnibus, ut cum tempore sanctè docta mori, in Domino lætissimè moreretur, quod & brevi condidicit, & felicissimè meruit, dum necdum tempus Tyrocinio præfinitum emensa, assumpta est ad statum perfectorum, ad gloriam & præmia immortaliter triumphantium; in brevi siquidem consummata bonorum operum aggregatis sibi immensis opibus, explevit tempora multa. Decessit Lutetiæ Parisiorum, magno omnium sororum luctu & mœrore, nec minore fructu ex ejusdem imitatione. *Ex rerum Calvariæ Monimentis.*

Abbatissa Commendataria.

Fit humilis Monialis Calvar.

Patuit, non uno, sed pluribus & prodigiosis etiam exemplis, turbatissimo Jmperij Statu, Acatholicis Catholicos, juratissimo odio persequentibus & omnia hostilia parantibus atque inferentibus, mira & singularis DEI, ac Benedictæ Matris Virginis de Benedictinis suis cura & pia sollicitudo, toties intentatâ Religiosis morte, nec illatâ, toties incendijs mirè eversis, toties mirabilius consopitis, toties hostibus perterritis & cœlitus delusis atque elusis. Et minimè sanè tacendum, quod hoc ipso anno pro conservatione Jmperialis Cænobij Vinearum, vulgo Weingarttensis, accidit, tertia Septembris, die cùm Duellij Gubernator Widerholtius, postquam diutius Superiorem Sueviam, & vicina rapinis, atque incendijs impunè vastassет, Monasterio huic hostiliter immineret, ignesque atque ultimum exterminium, incendiarijs jam destinatis, paratisque ad exitium omnibus minaretur, visa in aëre spectabilis admodum Virgo DEIPARA supra ipsum Cænobium, tanquam, non solò nomine, sed reapse Protectrix, elegans manu Vexillum rotans, eóque religiosos illic habitantes quasi inumbrans, atque in protectionem suscipiens, stupentibus non solum, quibus absterrendis hoc factum, hostibus, sed plurimis Catholicorum intuentibus, quorum ad triginta requisiti idipsum solemni juramento se vidisse confirmarunt. Singularem hanc DEIparentis erga Monasterium illud affectionem, & ab hâc curam & protectionem prædicentes pridem & promittente sanctæ memoriæ Bertholdo ejusdem loci Abbate, causâ tanti affectus his verbis assignatâ: *Cum non dubium habeamus, quin Sacrosanctum Filij sui Sanguinem, cœlesti apud nos dispositione, ac benedictione reconditum sedulo, atque invisceratо virtutis suæ revisat affectu; & nos, imo locum, qui vitalem Tutelæ ac Salutis nostræ continet thesaurum, ex alto respiciens, in Suffragium nostræ protectionis, de Throno Majestatis, mitis se & blanda submittat, ut mitiget nobis in diebus malis, &c.* Meruit & favores alios durante eodem Germaniæ bello idem Monasterium, sæpius prodigiosissimè è cœlis propugnatum, uti cum Dubadelius Suecicarum copiarum Dux, idem cum pago totum ignibus cremare constituisset, & concubia nocte rem aggressurus, cœlo super Cænobium aperto, inde minantia sibi fuisque fulgetra, &, quâ ingressùm parabat, plateas & vicina, plena equitum candidatorum cernens, relictis ante pagum impedimentis omnibus in effusissimam sese fugam abriperet; quæ divinitus gesta, & equites illos cœlestes fuisse Genios, Reginæ Angelorum domesticos, nemo sanæ mentis ambigere poterat. Visum & cerberos cœlum in hostes Religiosorum concitare, dum Sueci immodestiùs sacra loca haberent, cellasque illorum, triclinium, culinam, Apothecam ut propria & de jure occuparent, à metuendi horroris, & formæ Cerbero appetiti, & alijs spectris emigrare compulsi, fatente liberrimè postea Catholico quodam, qui inter Suecos meruerat, milite, taliter se suósque in hoc Conventu exagitatos, ut nec pro mundi totius promisso pretio, persuadendus esset, sponte sua, nec meliore titulo, unam noctem ibidem traducere. Visi & quotidie post octavam Vespertinam, quæ Ascetarum quieti aliàs destinata erat, tres veneranda specie senes cucullati amplissimis manicis, præferentes dextra

Mira nostrorum conservatio.

Monasterij Vinearum Tutelaris.

Repulsi mirificè hostes.

Deiparentis de suis cura.

Hostes ipsi mira intuentur.

tra quisque sua tædas candidas ardentes in oculis ministrorum Capitanei de Jödwen, in Conventum ascendere & cellas & conclavia diligenter visitare, tanto cum horrore omnium, ut nec hiscere quidem audacissimus militum auderet, etsi quotidie, & longo quidem usu, nunquam non mirati, nunquam non stupefacti & intuerentur, & cautè attenderent. Longum esset nimis, si & alia, hoc idem solummodo Cænobium concernentia, referre conaremur, è quibus hoc ipso perditissimo nostro sæculo & ætate, manifesto constare possit, quantâ curâ, charitate & benevolentiâ usque hodie Numen Optimum Benedictinis suis consulere & per omnia, adjutor in oportunitatibus adesse dignetur, ut ex unius loci fortuna & exemplis, facilè quivis advertat quanta idem Numen præstiterit tot tantique nominis tota Germania Cænobijs, plerisque in communi cataclysmo mirabiliter conservatis, apud pleraque prodentibus sese, minimum in ipsorum Religiosorum conservatione Protectionis Divinæ signis, quæ utinam viritim nobis colligere licuisset, & pro magna Dei gloria, omniumque nostrûm ad majorem confidentiam debitasque indesinibiles gratiarum actiones concitatione, propalare & celebrare.

Vigilantia Numinis pro suis servulis.

Benedicitur hoc anno solemniter Reverendissima & Serenissima Princeps & Domina Catharina Angelica Ducissa Aurelianensis, Ducis Henrici de Longeville filia ab Eleonora d' Estampe de Valence Archiepiscopo Remensi die 26. Maij ipso Ascensionis Dominicæ festo, in Abbatissam S. Petri Urbis ejusdem, præsentibus sereniss. ejusdem Domino Parente, & Maria de Longeville, alijsque Magnatibus, nec non Abbatissis S. Petri de Aveneio, S. Joannis in Nemore, & S. Stephani Remensis, Antistita non tam nomine, quàm vitæ puritate, & admirabili sanctitate verè Angelica, ita ut felicissimæ loci ejusdem sanctimoniales discernere satis non possent, neque sufficienter agere Numini gratias, pro tantarum Gubernatricum concessione, vivorum omnino, omnis perfectionis & Virtutis speculorum, ita ut dum in quavis omnia collectim, in singulis nihilominus singularia omnia intueri viderentur, unde quivis animadvertat, quid non tantarum Principum exempla efficere apud subditas debuerint, dum hæ ipsæ, in summo Prælaturæ gradu, omnes etiam minimas, & foco devotas sorores conversas suma animi demissione superare conarentur, & verò etiam generosissimè superarent.

Catharina Angelica Ducissa Aurelian. fit Abbat. S. Petri.

Hoc ipso anno felicissimæ recordationis Abbatis Matthiæ Mariæmontani corpus, de quo supra, quinto an sexto ab obitu anno, repertum est incorruptū, & cani ejusdem, in vernantiam versi juvenilem; quod oculatorum fide testium acceptum merito celebramus.

Incorruptio Abbatis Matthiæ.

IESU CHRISTI ANNUS S.M.DC.XLVI.
Sancti Patris Benedicti. M.C.LXVI.

Benedictus Rex Martyrum, iteratâ felicissimi agonis Victoriæ & triumphi gloriâ in Benedicto Benedictinorum suorum Ordine se glorioſum ostendens, mirabilis hoc anno in generositate fortissimi militis sui Philippi Poueli enituit, fideliumque sibi Anglorum animos excitavit, infideliumque alios confudit, alios invitavit. Js ipso Purificationis Magnæ Matris & Virginis Cœlitum Augustæ Festo, anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, in Wallia Angliæ natus, patrem Ruggerum Pouelum, Matrem Catharinam Morgonam habuit, utrumque non minus antiquæ, quàm spectatæ familiæ. Ætatis anno decimo sexto, Londinum missus Reverendum Patrem Augustinum Backerum, Ordinis nostri Monachum eruditissimum Magistrum meruit, à quo in Belgium discedens, in Magni Anglorum Apostoli Divi Gregorij Monasterio Duacensi cucullum induit, & mira animi demissione gratissimisq; moribus se omnibus commendavit. Anno autem Dominicæ Jncarnationis millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, suæ ætatis vigesimo octavo, Apostolicæ functioni, pro egregio Zelo, & insita animo Generositate, à Superioribus suis destinatus, in Angliam reversus, Magistro suo Augustino, menses sedecim religiosissimè convixit; ac deinceps labores Apostolicos pro virili aggressus, in omnes sese partes lucrandorum Christo & Sacræ Romanæ Ecclesiæ animorum convertit, perque Comitatum Devoniæ industrium se admo-

Philippus Pouelus Congreg. Anglic. Monachus.

Fit Monachus.

In labores Apostolicos missus.

admodum, & indefessum comprobavit, nullumque expavescens periculum, nullis se impediri difficultatibus passus, innumeris exantlatis laboribus semper seipso fortior Dei gratiâ extitit. Pulsus denique, non alio quàm communi Devoniæ belli contra Regem flagrantis incommodo & exitio, Catholicis in ipso Regis exercitu merentibus, strenuam operâ navavit, & summo solatio fuit. Captus demum à Parlamenti militibus & miserè habitus, die vigesima secunda Januarij, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto, & Londinum ad carceres abductus, ibidem decima sexta Maij mortis sententiam accepit; multisque deinceps concaptivis in carcere, admirationi, veneration & saluti fuit, cósque inter Capitaneum quemdam, duos Nobiles, & alios insuper duos, magna felicitate ad Fidem Catholicam amplectendam persuasit & adduxit. Passus est trigesima Junij stylo veteri, nostro, decima Julij, & strangulatus atque in partes quatuor dissectus, insigni alacritate cursum glorioſissimum & Martyrij & Apostolatus confecit. Partes tamen, præter morem (incertum an non reverentiâ etiam, apud ipsos Judices tanti viri) loco honorifico tumulatæ, & suspensæ non sunt, etsi suspendium quoque ipsum hujusmodi, cedat ad gloriæ momentum, cœlitum plausum, Ordinis ornamentum. Deus Optimus Maximus Sacræ illi & Apostolicæ nostrorum Congregationi, & Apostolatum secundet, & Angliam tam recenti Martyrum calentissimo Sanguine fœcunde.t *Ex vita typis edita.*

Ad carceres rapitur.

Martyrio assicitur.

Et ne Germaniæ nostræ sua deesse lumina, tenebrosa hac nostra ætate & turbida existimes, exsplenduit magnus ex Congregatione nostrâ Bursfeldensi Virorum numerus, Præsulum lectissimorum pia ambitione, & Regularis vitæ promotionis fervore concertantium, è quibus Hermannus ab Eynaten Abbas S. Cornelij ad Jndam, etsi miraculis claruisse non legatur, ea tamen sanctioris vitæ perfectione excelluit, ut speculum & exemplar Virtutum omnium haberetur; & nequid tantæ Generositatis, desideratum in sexu fragili mulierũ putes, enituit tanto primævi fervoris spiritu in Transaquensi Virginum nostrarum, hoc ipso tempore,

Hermannus ab Eynaten Abbas S. Cornelij.

Cænobio, tanta integritatis famâ, meritorum copiâ, Domina Helena de Fürstenberg dicti Cænobij Priorissa, ut nullis satis posset verbis ejusdem in regimine Cænobij industria deprædicari. De hâc ita præfati Monasterij monimenta: *Helena de Fürstenberg in omni innocentia, sacris Ordinis exercitijs, optimè instructa, prius in celebri Ordinis nostri Monasterio Gerdensi, sese commendans omnibus, huic deinceps pro perfectioris exemplari fuit, Prioratusque munere ad annos viginti tres, sanctè perfuncta, juxta status, conditionis, vocationis, & officij sui decentiam, perfectæ paupertatis, abstinentiæ optimique Zeli erga Officium Divinum, & exercitia vitæ Religiosæ, nocte simul ac interdiu, omnimodæ mortificationis, abnegationis propriæ voluntatis, ac plurimarum Virtutum, ad extremum vitæ Spiritum, reliquis omnibus præclara exempla reliquit. Eadem plurimum etiam laboris ac molestiarum ab initio Reformationis suo tempore introductæ patientissimè sustinuit, & ex bonis hæreditarijs sibi obvenientibus, simulque manuum suarum laboriosõ & artificioso opere & sacrarum Reliquiarum exornatione, variisque ornamentis Ecclesiæ, huic Monasterio, plurimum boni præstitit. Resignavit, memoria dignissima fœmina, ob nimiam debilitatem de licentia Superiorum, paulo ante mortem, nequid per ineptitudinem suam, cura disciplinæ solidioris negligeretur* Cui Domina Anna Benedicta de Torck succedere jussa, æquè strenuam in omnibus se exhibuit; sub quibus duabus fœminis, Transaquense Cænobium summopere effloruit, ita ut longè latéque ab redivivi Benedicti Patris Spiritu celebraretur. *Ex monim. ejusd. Monast.*

Helena de Fürstenberg Prioriſſa.

Ejus præclara vita exempla.

Anna Benedicta de Torck.

Jn amplissimo Galliarum Regno pergit sese longius latiúsque exporrigere sanctissima Ordinis Reformatio, cum potentissima in animos nostrarum Virginum exempla essent, & unicum Sancti Petri Remense Monasterium, tantopere à disciplina celebratum, plures quaquaversum colonias mittere cogeretur. A quibus hoc ipso anno etiam novi Cænobij Beatæ Mariæ de Victoria in suburbio Parrensi factum est, & inducto lectissimo sacrarum Virginum Cœtu, ex eodem S. Petri Domicilio, Domina Claudia Tuboeuf, Antistita omni cultu Virtutũ ornatissima est præfecta. *Ex mon. S. Petri Remensis &c.*

Claudia Tuboeuf.

IESU

IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.XLVII.
Sancti Patris Benedicti. M.C.LXVII.

Montisserrati Vernantia.

VErè Admirabilis Mater, Virgo Benedicta in Benedictinis Montserratensibus suis, magnis sese ibidem sedem peculiarem fixisse, probat miraculis & beneficijs. Florentissimus hoc ipso anno & tempore illius Archisterij status, disciplina acuratissima, hospitalitas verè Benedictina, imo verè prodigiosa, ad quam obstupescat maximorum etiam Principum munificentia. Est ad concursum tot millium quotidie ferè hospitum & peregrinorum liberalitas inexhausta; ut nemo dubitet manum esse ejus, qui paucis panibus pavit in deserto tot millia. Hoc etiam mirabilius, quod hospitum quivis tractetur pro sua dignitate, nunquam non filio, nunquam non Matri Virgini affluente, quod in pauperes non solùm, sed & divites & potentes, possit sufficere. Et si quotidiana hæc gratia peregrinis, quid non gratiæ, quid non solatij Magnæ Matris Domesticis? Mira miranda omnia in felicissimo illo monte, qui totus compositus est ex mero Jaspide, mirâ Jaspidis duritie & varietate, mirâ nihilominus arborum & fruticum fœcunditate, cùm æstate æque ac hyeme, autumno & vere, nunquam desinant virescere seu florere, & sæpe ubi nec pugillus appareat glebæ. Jnde omni quoque tempore ac mense mira abundantia floscularum, concentus perpetuus avicularum, nihil quod non reddat peregrinum attonitum. Et quanta devotio eo occurrentium, tantus plausus inde revertentium, mœrore, periculis, in valetudine liberatorum, DEI ac DEIparæ gratias agentium, magnalia deprædicantium. Audivimus ipsi ex magni nominis Medico, sed Acatholico, & mirati sponte fatentem sumus: totum se sacro horrore suffusum, cum sacrum illud limen subiret, nedum imaginem DEIparæ miraculosam conspiceret, tunc enim verè horrentes insurrexisse capillos, & supernaturale quidpiam in se advertisse, captum, raptum, affectum se mirabiliter fuisse, & persuasissimum quidem se habere, siquid hominum in terris beatum aut sanctum dici aut esse possit, aut in Monteserrato, aut nullibi alias reperiundum esse. Jdem illic, magnos se animi motus sensisse dixit, & mirabili quâdam retentum violentiâ, usurpatâ ex more & consuetudine loci, triduo hospitandi licentiâ, eo integrè exacto, ægerrimè inde sese abripuisse; ita ut prorsus tunc Vocationis ad Fidem ortodoxam gratiæ aures & animum miser occlusisse videatur; ipsa sola reminiscentia nobis visus, motus novos sentire, & tamen, respectibus humanis & commodis in via latiori latentis, etsi suspecti etiam sibi præcipitij, retineri. Tales affectus Virginis filius, eo loci, in gratiam Matris nemini non, etsi obstinatissimo peccatori infundere assolet, & plerumque in effectum deduceret, nisi respuant obstinati; tanta Saracenorum quoque & Turcarum erga Montem Serratum & loci Dominam reverentia, ut in remotissima navigatione, vertice solo vel obiter conspecto vela dimittere, omnemque exhibere reverentiam consueverint, certum habentes, nisi faciant extrema passuros & periculosissimè navigaturos. Ex quo facile appareat, si in ejusmodi tantum possit cœli terræque Domina; quid ipsa, quid filius non operentur in Domesticos loci, in devota sibi mancipatu felicissimo, Monasticâ solemni professione capita & pectora? maximis Chori & sacrorum subselliorum laboribus dies noctésque occupata, tot millium peregrinorum servitio deputata, animorum lucro incumbentia? Et reapse exsplenduit in diem usque hodiernam, in sacro illo & frequentissimo Monachorum Cœtu, singularis Numinis benevolentia, peculiaris eorumdem cura, dum nunquam non inter eosdem, singularia etiam sanctitatis exempla se proderent; pro bravio perfectionis assequendo piâ æmulatione, generosâ contentione omnes sese exercerent, dum lectissimo cujusvis eorumdem è tota Congregatione & meritissimo, solitariam agere vitam in cellulis sacri Montis, hinc inde dispersis & separatissimis, concederetur, ubi tanquam splendidissimæ faces in candelabro positæ, imo tanquam stellæ in Throno & Corona Majestatis Marianæ, longè latéque illucescerent, ex quibus non pauci eo sublimitatis, in sui perfectissima abnegatione subvecti memorantur, ut omnium corporis pertæsi solatiorum, non alio cibo nisi solius Dominici corporis refectione pascerentur. Et quid mirum

Mira rerum affluentia.

Locus per omnia mirabilis.

Acatholici liberæ attestatio.

Volenti non fit injuria.

Magnæ gratiæ à filio in Matris Divinæ cultores.

Singularis Numinis benevolentia.

Solitariorum nostrorum exempla.

in Admirabilis Matris Montis illius & sacræ ædis gubernatione & regimine, nil nisi sanctum & Admirabile apparere, ipsa ibidem pedem figente, sedem eligente, & firmante, juxta illa propria sua communi Sacræ Romanæ Ecclesiæ toto orbe concentu: *Et sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Ierusalem potestas mea: & radicavi in populo honorificato, & in parte DEI mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea*: Sed de Montis Serrati splendore & gratia nunquam satis, etsi deprædicante orbe universo. *Ex diversis ejusdem Historiæ scriptoribus, & testium oculatorum certa relatione.*

Proprium Deiparæ domicilium.

Jn Germania nostra pulchro item certamine sacræ familiæ Ordinis nostri Bursfeldensis & Cisterciensis altera alteram antevertere gestit, in Belgio inprimis, turbarioribus etiamnum in Superiore Germania rebus, cunctis & disciplinam Regularem, & Domus DEI splendorem tanto conatu promoventibus, ut difficillimum esset æstimare, uter Reverendissimorum Dominorũ Præsulum alter ab altero vinceretur. Certè Henricus Van der Heyden, Villariensis ex Abbate Sancti Salvatoris Antverpiæ Antistes, ab Antonio Sandero celebris nominis Scriptore *Vir incomparabilis* & vivus & mortuus celebratur & deprædicatur. Hic sacri rigoris promotor egregius, nihil non egit, ut verè sanctissimi illius loci primævam conservaret auctoritatẽ, sanctitatem continuaret. Sed & ut Numinis quoque Majestatem pro dignitate coleret, Basilicam Cænobij cæteroquin Regio splendore verè Regiam, splendidiorem insigni molitione reddidit: Doxali inprimis constructo (verbis Sanderi referimus) ex marmore & jaspide, cum tribus tabulis artificio singulari, per Gasparem de Crayere (ipse in suis ad me datis *Iaspar van Grayer* à se ipso scribitur) celeberrimi nominis in Urbe Bruxellensi pictorem elaboratis, quarum prima Christi Nativitatem, altera ejusdem à Cruce depositionem; tertia Angelorum super mortua coram se jacente vita Angelorum, luctum, admirationem, & devotionem repræsentat, ut ex his ipsis facilè Religiosissimi Antistitis intentionem animadvertas, sed & alia inter merita

Henricus Van der Heyden Abbas.

Optimè meritus.

Bibliothecam sui Cænobij fama & libris celebrem reddidit, Religiosósque suos non sanctos solum & viros perfectos esse, sed & eruditos atque utiles patriæ voluit, ipse inter majores conatus, magno sui relicto desiderio hoc ipso anno die 11. Julij extinctus. *Ex Monimentis ejusdem Villar. Cænobij.*

Fuit animi demissione præcipuus, ita quidem, ut primum Abbas S. Salvatoris electus, mantello, cruce, annulo, alijsque Prælaturæ insignijs uti prorsum respuerit, donec per expressum mandatum Capituli Generalis viâ obedientiæ compelleretur; meritus eâ Humilitatis scalâ ipso Festo S. P. N. BENEDICTI ad superos assumi.

Summa ejus animi demissio.

Hoc etiam anno & tempore miris exsplendescit sanctioris vitæ exemplis Venerabilis & verè Reverendissimus Dominus Abbas Casinensis Aloysius Caraffa Fabricij Ducis Andriæ filius, per omne Officiorum seu munerum genus, antequam Abbas crearetur, exercitatus, singulare exemplar Magistri seu Exceptoris Hospitum, Magistri Novitiorum, Curatoris Jnfirmorum, Prioris & Præpositi, atque Abbatis denique, in omni planè munere incomparabili industria, religione, & charitate. Vir fuit verè extaticus, Divinis rebus totus absorptus, ita tamen, ut in sibi comendatos, & in exteros quoque præclarissimis Virtutum signis insignes faceret effluere fontes, suósque inprimis olim Novitios excellentissimos quasi Chymicos redderet, exque actionibus quibusvis & cogitationibus quintam extrahere essentiam doceret. Jn omnibus tamen jugiter Magistram sequutus Regulam, cujus amorem & reverentiam mirificè omnibus commendavit, & persuasit, Silentij Benedictini cautissimam & sanctissimam observationẽ plurimum extollens. Cæca obedientia excelluit, ita ut nec minimum, imo, etsi humillimus, nec magna in Ordine munia recusare præsumeret, sed Superiorum velut DEI jussa, attenderet. paupertatis extremè studiosus, mira & varia hujus studij de se exempla edidit; & quamvis infirmus oblatum à Duce Andriæ Antonio fratre, lecticæ usum admittere noluit; uti nec horologium pectorale in commodum itineris, quod paupertati Monachicæ congruere non videretur, Castitati & pudicitiæ ita deditus

Ven. Aloysius Caraffa Abbas.

Vir extaticus.

Quinta essentia in actionibus.

Silentij quanti fructus.

Paupertatis studium.

Insignis ejus pudicitia.

ditus fuit, ut abhorreret loqui cum fœminis, etiam consanguineis & propria sorore, & si cogeretur ita defixis in terram oculis, ut nullam intueretur. Ipsum quoque Cacodæmonem tali forma se obtrudentem generosissimè repellens, à quo variè tentatus, & semel ad mortem usq; vulneratus, cum nonnemo Fratrum pro Chyrurgo mitteret, cognoscens in spiritu, ipsum corripuit, quod pro humano emplastro, his vulneribus à tali hoste illatis misisset, cumque chyrurgus occurrisset, salvus & integer apparuit. Fuit sibi rigidissimus, & priusquam ætate & viribus deficeret, annis quatuordecim solis leguminibus & herbis, hisque adeo frugaliter vixit, ut famem potius irritarent quam extinguerent, terra nuda pro lectisternio usus. Ea fuit erga SS. Sacrificium Missæ & Venerabile Sacramentum devotione, ut alterum Philippum Nereum, Franciscum Salesium, & Damascenum Joannem agere videretur, præsertim cũ Transubstantiationi vicinior esset, totus absorptus in Christi Humanitatem juxta & Divinitatem. De miraculis ejusdem suo loco. *Ex vita ejusdem Neapoli impressa, &c.*

Cacodæmonis insultus.

Rigor vitæ.

Devotio.

Hoc 1647. Anno Crux S. BENEDICTI, jam prioribus usitata, cultáque seculis, novo cœpit splendore irradiare. Res ita evenit. In Castro, cui nomen Nattrenberg, vipereum veneficarum genus in vincula compactum, & examinatum, fassum fuit; suas artes & arma malefica nusquam habuisse successum, ubi hæc sacra Crux pro scuto fuisset, & vel affixum, vel defossum alicubi esset; Addidêre insuper; propterea in Monasterium Mettense in Bavariâ positum sibi jus nullum esse, quod similem ibi Crucem latitare adverterent. Editâ hâc confessione, Loci Præfectus Mettensis Patres hac super re consulit. Hi cùm initio præter ejusmodi Cruces characteribus insignitas passim affixas reperissent nihil, tamdiu indagârunt, donec inventus est liber ab aliquo Monasterij Religioso in dictæ Crucis laudem conscriptus, ubi Crucis istius Mysteria ac characteres, explanabantur. Liber hic etsi auro gemmisque fulgeat, majus tamen compactura pretium addunt Sanctorum reliquiæ, hinc indè insertæ. Missus ille est Ingolstadium, postea Monachium ad Serenissimum Electorem; utrinque approbationem tulit.

Effectus porrò hujus Crucis ob singulare ejus Benedictionem & efficax patrocinium Sanctissimi BENEDICTI Misericordia Divina frequenter comprobavit sequentes: 1. Expellit ab humanis corporibus maleficia, ligaturas, omneque opus Diaboli. 2. Prohibet omnem accessum sagis ad eum locũ, in quo reponitur. 3. Animalibus veneficio, ac maleficio affectis præsens remedium exhibet. 4. Jn lacte, faciendo butyro, alijsque successum per maleficia impeditum restituit. 5. Hominibus à Dæmone infestatis, securitatem præstat. Denique omnes Diaboli artes, & quascunque astutias & præcavet struendas, & structas evertit, afflictis, tentatis, & propemodum desperatis solatium est & levamen. *Modus applicandi alius non est, quàm ut vel collo suspendatur, vel alias portetur, vel tale Numisma in vas aquæ dejiciatur, unde animalia potentur & laventur, imponatur ad limina vel postes, aut aliàs affigatur vel defodiatur cum firmâ fiduciâ in meritis Sanctissimi BENEDICTI. Atque hæc ex libellis diversis locis impressis, qui passim omnium manibus terantur. Sunt autem beneficia, ac miracula complura, subsequentibus annis, ope sacrosanctæ hujus Crucis, impetrata; quorum aliqua hoc loco referre, operæ pretium esse duximus.*

1. Crux S. Benedicti dæmonem ex infesto pellit.

Anno 1665. Luxovij nonnemo infernali obsessus genio, miserandum in modum cruciabatur. Nec ullum occurrebat remedium, quo malum pelleretur; donec parentes, capto salubri consilio, aquam ab injectâ S. P. BENEDICTI Cruce sacram misero potandam præbuerunt. Vix ille poculum à labris removit, cùm repentè furere Diabolus, debacchari atrociter, hominem divexare, distorquere membra, metu ac terrore complere omnia, ac demum vel invitus profiteri, se sub horam noctis tertiam è statione suâ excessurum. Parentes, etsi non parùm consternati tantâ Dæmonis in carum pignus lanienâ, tamen doloris lenimentum hauserunt ex mali genij confessione, suum ipsius exitum tam disertis verbis prænuntiantis. Neque verò spem fefellit eventus: nam hostis deterrimus ad tempus præstitutum exire compulsus, & prolem, & parentes ingenti gaudio cumulavit.

2. Lasciva lingua emendatur.

In eâdem urbe puella victitabat, tam lascivos passim, & execrandos sermones ef-

futire solita, ut ipse spurcissimus inferorum Spiritus sessitare in ore puellæ crederetur. At ubi primùm salutarem aquam, cui S. BENEDICTI Crux injecta erat adolescentula degustavit, mox a fœdâ proloquendi res obscœnas consuetudine exempta, linguam deinceps suam intra limites Christianæ pudicitiæ continuit.

3. Energumenus à Dæmonis possessione liberatur.

Vesulÿ, quæ urbs est in Comitatu Burgundiæ (Gallicè Vesoul) fuit nonnemo satis diuturnâ Cacodæmonis obsidione pressus, multisque à pessimo insessore molestÿs exagitatus. Huic, cum desperata penè salus omnis esset, consilium tandem non minus opportunum, quàm pium suggessit quædam urbis hospita, quæ porrectâ S. P. BENEDICTI cruciculâ, suadebat, potionem ut sumeret, in quam sacra illa Crux demissa esset. Paruit, convaluit; & Crucem deinceps tam utilem sibi ac salutarem dimittere à se nunquam sustinuit.

4. Mulier ex partu gravissimè laborans consanatur.

Anno 1666. mense Aprili, Vesontione quædam Mulier, horâ partûs approquinquante, gravissimis cœpit doloribus excruciari. Effundere parabat onus nec poterat. Torqueri illa magìs ac magìs, pungi, laniari, distendi. Obstetrix, & circumfusæ Mulieres omnia cùm fecissent, fecerunt nihil. Omnium vox una erat perituram Mulierem. In hoc rerum articulo, evocatur ad moribundam R. P. Constantius Gravel, Ordinis nostri Sacerdos, & Monasterÿ S. Vincentÿ Bisuntini Subprior: qui, ut à rebus sacris lenimentum aliquod afferret tantis cruciatibus, appendit Mulieris collo Crucem S. P. BENEDICTI, multis jam tum prodigÿs claram ac celebrem. Mox animæ pœnitentis, atque ad extremam se mortis luctâ præparantis exomologesin excipit, cùm, ecce, sensim remittere vis dolorum, consopiri cruciatus, omnia mitiora existere. Nec mora: Mulier afflictissima, postquàm P. Constantius discessit, intrà spatium, quo psalmus quinquagesimus decurri potest, fœtum ejecit mortuum, atque ita ex præsentissimo vitæ periculo emersit, grata DEO, grata S. BENEDICTO, grata P. Constantio quod amuletum sibi tam fructuosum applicuisset.

5. Arx à malis genijs horrendùm infestata, quietem ac securitatem recipit.

Arx est in Comitatu Burgundiæ, dicta de Maillot, Vesontione octavo circiter millia-

ri abjuncta. Hanc maligni Spiritus, anno supra mille sexcentos sexagesimo sexto, tantis infestabant molestÿs, ut incolæ strepitu, horrore, tumultibus exagitati, in præsentissimum vitæ periculum adducerentur. Neque hìc stetit hostium indomitus furor, sed ultra progressus ipsa quoque afflixit pecora, eáque miserandè in modum divexavit. His calamitatibus oppressi arcis incolæ cœperunt è loco tantis obnoxio periculis tum seipsos, tum sua subducere; ne, si diutiùs subsisterent, gravioribus fortè malis involverentur. Ita Castellùm suis destitutùm possessoribus, infernaliùm Spectrorùm tyrannidi furorique totùm cessit. Nec ullum erat remedium, quo tanti malis vis profligaretur, donec tandè piorùm suasu, per arcis totius, quà patet ambitùm, Cruces S. P. BENEDICTI affixæ fuerunt; eventu quidem tam optato, ut omnes derepentè Castelli partes à stygÿs purgatæ insessoribus, liberâ deinceps omnisque periculi expertè habitandi facerent potestatem.

6. Pellitur maleficium.

Vir fuit, cujus brachiùm anno 1665. tam grande támque pestiferùm ulcus insederat, ut nullis neq; unguentis, nec malagmatibus cessurum videretur. Et jam defecerat Chirurgùm, & ars, & consiliùm, mali sævitiâ omnes medicæ industriæ vires superante. In hoc rerùm statu monetur Chirurgus ab homine pio, adhiberet huic malo Crucem S. BENEDICTI, morbis à Dæmone præsertim immisti solitis oppidò salutarè; videri enim Maleficium hôc in ulcere delitescere, quod proinde pelli nisi sacris remedÿs non possit. Obtemperat benè monenti Chirurgus, brachio Crucè alligat, emplastro junctâ, fasciasque lineas de more superimponit. Die postero, prominentè ex ulcere pilùm prægrandem extrahit, non dubius, quin magicis fuerit præstigijs immissus. Ulcus deinde manùm Chirurgi sanatricè facile admisit, atque intra breve temporis spatium integrè consanatum est.

7. Gravis morbus persanatur

Sub idem tempus alius nonnemo gravi morbo dejectus tenebatur. Invocatus Medicus, sed incassum. Omnè hujus artè mali pertinaciá superavit. Igitur sacra remedia æger circumspicit; aquam, in quâ S. BENEDICTI Crux, piè reverentérque sumit, & mox, cum omnium admiratione, priorem recipit sanitatem.

8. Incendium machinatione Diaboli excitatum mirè consopitur.

Anno 1665. pagus quidam ita miserè maleficÿs erat infestatus, ut in singulos dies una

una aliqua domus miserando incendio absumeretur. Jámque flammarum indomita vis & ædes duodecim in cineres redegerat; grassatura sensim, ni prohiberetur, eodem impetu ac furore in cætera pagi domicilia; cùm agricolæ sævientis mali acerbitate perterriti mittunt è suis, qui ad vicinũ Ordinis S. BENEDICTI Monasterium advolarent, opémque ad reprimendã ignis ferociam implorarent. Mittuntur illicò Cruces S. P. BENEDICTI quamplurimæ, ædibus à flammarum rabie adhuc intactis inferendæ. Mirum dictu! Ut illata sunt sacra numismata, repressa quamprimùm vis omnis maleficiorũ est, & ignis, prioris violentiæ oblitus, sævire in domos rusticanas cessavit.

9. Pecoribus lac restituitur.

In tractu Burgundiæ, jumenta passim plurima, vel in morbos dejecta, vel sanguinem, vicè lactis emittentia, salutaris hujus auxilio Crucis consanata sunt. Quæ singula singulatim cõmemorare, vel ad certũ revocare numerũ ob rerũ gestarũ similitudinẽ, planè supervacaneũ videtur. Hoc unũ, quod Anno Servatoris 1665. evenit, loco omniũ sit. Hospita quædã vaccam habebat malè affectã, & quæ quatuor menses integros sanguinẽ, loco lactis, effunderet. At verò lympham, ex alveolo, in quem S. BENEDICTI numisma dejectũ erat, cùm pecus vix hausisset, mox & sanitatẽ recepit, & lactis optimi purissimique copiã reddidit.

10. Infantulus sanatur.

Infantulus, etiamnũ reclinatus in cunas, morbo afflictabatur admodũ acri, ac vehementi. Et verò vis doloris eousquè jam excreverat, ut infans sensim respueret lac maternũ, nec jam aliud exspectarent parentes, quam certã cari pignoris mortem. Ne tamen in salute filiolo procurandâ nihil agere viderentur, accessêre consilij gratiâ, cognatorũ, quempiã è suis: qui, cùm aliud ad manũ nihil esset, porrigit Crucẽ S. BENEDICTI, quam à quodã Patre Ordinis S. BENEDICTI acceperat; hanc jubet, ut infantis collo appendant. Quod cùm parentes fecissent infantulũ suũ salvũ & incolumẽ receperunt, actis ei sumis gratijs, à quo consiliũ tam salubre hausissent. Contigit hoc anno 1666.

11. Maleficium ex fornace calcariâ depellitur.

Quidam laterũ coctor, cæteroquin felix & artis peritissimus, adeò cæpit rerum suarũ successibus frustrari ut ignis, etiã inflammatissimus, nec calcem, nec lateres amplius coqueret. Omniũ sensus ac vox magicis hoc præstigijs adscripserat. Quare à Patribus Benedictinis expetuntur remedia sacra, porriguntur aliquot Cruces P. BENEDICTI; parietibus officinæ calcariæ hinc inde immittuntur, móxque fornax materiem omnem, quà calcis, qua laterum, ex artificis voto decoxit, nullo deinceps per insequentes annos incantationũ maleficio se unquam prodente. Hæc omnia ex relatu RR. PP. Lotharing. Congreg. aliorumque Testimonijs fide dignissimis.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XLVIII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LXVIII.

Miraculis opus non est, dum vita est talis, quæ mortales non solùm ædificet, ut sacri vocamus, sed ipsos rapiat & delectet immortales. *Augustinus Crulay Abbas Ursidungi.* Talis Reverendissimi & amplissimi Augustini Crulay fuit Ursidungensis celeberrimi in Hannonia Monasterij Abbatis. Hic Sulpitio Blosio (de Bloys) pientissimo Ludovici Blosij æmulo & consanguineo, in Prælatura succedens talis omnino fuit, quantum reformatissima quævis Monasteria sibi optare possent, qualemque revera requireret Benedictus Redivivus. Ipsa loquantur Cænobii monimenta, ne quid plus æquo ipsi tribuisse videamur: Talis, inquiunt, cujus memoria facta opus pigmentarij, quasi mel in ore omnium inculcabitur in æternas generationes. *Insigne Elogium.* Vir ex Virtutibus totus compositus, scientia & pietate summè conspicuus. Reformationem Casinatum cum perpetua à carnibus abstinentia, confirmante Urbano VIII. post multiplices & graves difficultates introduxit. Offensus persæpe & graviter à resistentibus Reformationi, ita patienter tulit, ut ipse ante Archiepiscopum, qui tales punire decreverat, genuflexus veniam pro eis postularet, aliaque patientiæ singularis exempla ostendit. Parcus sibi, largus alijs, pauperibus hilariter & liberaliter succurrebat. Nihil atrocitate bellorum & aliorum incommodorum absterritus, quominus eleemosynas largiretur. Orationi & lectioni sacræ deditissimus, cibi potusque abstinentia sese plurimùm affligebat, Denique morbo diuturno & gravissimo summa cum animi resignatione patientissimè tolerato, requievit in Domino hoc ipso anno millesimo *Felix ejusdem obitus.*

mo

mo sexcentesimo quadragesimo octavo; relicta post se dignissimâ BENEDICTO REDIVIVO sacra Religiosissimorum filiorum posteritate, in qua & ipse immortalis appareat, & redivivus. *Ex citatis Ursidungi Monimentis.*

Ipso anno 1648. ad præmia primævi in se resuscitati Benedictini Spiritus vocatur exultans Joannes Benedictus Citellus absolutissimæ perfectionis Monachus celeberrimi & sanctissimi, Sanctorúmque usque hodie feracissimi Cænobij Cavensis, signis evidentissimæ sanctitatis illustrissimus. *Ex relatione authentifica R. D. Casimiri Vincentij.*

Maria de Bellovillare.

Consenescit paulatim annis Maria de Bellovillare nostra Montis Martyrum Abbatissa juvenescens assiduo, novo vigore ac flore; crescens ac fructificans quotidie in odorem non solum suæ vitatis, sed fructus honoris & honestatis, ita ut toto atque amplissimo Galliarum Regno celebre Mariæ hujus nomen esset, neque sola se fama Ejusdem quaquaversum extenderet, sed generationes sacræ Vitis, longè latéque exporrigerent, ita quidem, ut ex unius hujus Virginis sacro gremio, ad reformata passim, & reformanda Monialium nostrarum Monasteria, memorabili prorsus ad omnem æternitatem exemplo, quinquaginta & amplius Illustrissimæ & Generosissimæ Virgines ad regimen diversorum Monasteriorum Abbatissæ & Reformatrices postularentur, & assumerentur; ut nemo obstupescat satis, fructus tantos, & mirificos quidem, à tantæ perfectionis Antistitibus, imitationis studio ac fervore paulo post in immensum quasi aucto, ut REDIVIVOS, seu BENEDICTUM, sive SCHOLASTICAM, quacumque pervasit Bellovillarienſis disciplina, nemo non adverteret divertisse, nec hospitium solum quæsisse, sed sedem stabilisse; Archiducissâ interim reformationis, in augmentum sanctissimæ prolis semper intentâ, semper sanctè prægnante, semper in Domino parturiente & pariente, ita ut ducentæ ac septem supra viginti sacræ filiæ Virgines, emissis solemnissimè Votis Monachicæ professionis tantæ Matris se sobolem agnoscerent, imo verè esse comprobarent, & felicissimum ejusdem senium coronarent. Hinc excitatus revera tota Gallicana Ecclesia Spiritus, cui Sanctissimus Pater & Patriarcha noster BENEDICTUS servivit; hinc REDIVIVA diversissimis locis SCHOLASTICA prodijt; hinc invecta ad miraculum absolutissima Benedictinæ Regulæ observatio, in Monasterijs longè illustrissimis, S. Petri Remensi, S. Amandi Rotomagensi, S. Pauli Belovacensi, Chelensi sive Calensi, S. Faræ Meldensi, Joarensi, Sanctonensi, Veolensi, Bellomontensi, Montuillarensi, Vallis Gratiæ, & alijs plurimis, quæ percensere nimis longum esset & operosum cum præter hæc plurima alia & conderet ipsa, mirabili dexteritate atque successu, & de novo à fundamentis excitaret. Bellovillarienſis vitæ scriptorem audiamus: His & alijs publicis calculis factum celeberrimum Beluarienſis nomen, omnibus in delicijs, admiratione & laudibus erat. Ad eam quasi ad Oraculum difficultates passim emergentes in observantia Regulari, referebantur. Quotquot vasto sinu complectabatur Gallia viros alicujus nominis, omnibus nota, omnibus probata erat Monmartana (sive Montis Martyrum) Abbatissa. Frequens ipsam conveniebat Sanctus Franciscus Salienſis (de Sales Episcopus Genevenſis, *monstrante DEO ad eam sedem evectus*, ut Claudius Robertus celebrat) eaque hortante & flagitante, concionibus, consilijs, colloquijs, monitisque sanctissimis, Monmortanum Cænobium multoties illustravit, asserens nominatissimæ, & zelantissimæ Mariæ Belvarienſi negare aliquid se se, nec posse, nec debere, &c. Certè exemplar non solum omnium, sed miraculum, Abbatissa sanctissima, totam se promovendæ & perficiendæ Regulari observantiæ, novellis plantationibus excolendis, antiquioribus verbo & factis in virtute consummandis, omnibus promovendis ad apicem perfectionis, Mater omnium amantissima, Magistra prudentissima, dedit; sollicita inprimis, ut abundè omnibus necessaria administrarentur, nullis impensis parcens. Sæpè dum ægra in cubiculo seorsim decumberet, ad se obsonia, panem, vinum, fructus, ipsum jusculum, aliaque omnia quæ Sororibus in Refectorio ingerenda essent afferri & prælibari curabat, verita ne dum communi mensæ interesse non posset, sorores

S. Scholastica rediviva.

Quanta tunicus Abbatissa merita?

Quanti passim fuerit?

Miraculum perfectionis ipsa Abbatissa.

Sollicitudo pro filiabus.

à Cel-

à Cellaria, alijsque ministris negligeretur. Miranti nonnunquam clarissimæ Dominæ Ducissæ, elegantiam & suavitatem fructuum pomorumque, Religiosis ad mensam sedentibus exhibitorum, & causanti hæc cupedia parum pœnitentiam professas decere: respondit Belluarensis, eas esse sorores suas, utpote Ancillas Christi & Sponsas, quibus vesci cœlo lapsis dapibus, ipsisque Angelorum bellarijs haud indignum videretur, putrida peccatoribus & corrupta; justis, perfectis, Angelicis, munda & sana, eximiora denique & suaviora optanda & ministranda esse. Jnfirmis, manibus proprijs, famulabatur, ipsa infirmior, omnimodisque earum saluti restituendæ cavebat; rogatis sæpe & adjuratis Medicis, Chyrurgis & pharmacopolis, ut nullis sumptibus parcerent. Vestes sacras, sacros calices, ornamenta Ecclesiæ, campanas ipsas suppetere adhuc, quo Sponsis Christi ægrotantibus secundum sanctam Regulam fieret satis. Constitutis in extremis nulla ope decrat diu noctuque, ac si quando fato fungerentur, præter preces & suffragia domestica, Missas, Communiones, Mortificationes, Peregrinationes varias, pro earumdem requie ab omnibus emendicabat amantissima Mater, unde etiam plerumque de statu subditarum in Purgatorio, & spatio, quo adhuc lustralibus incendijs cruciandæ erant, certior divinitus facta, in id unum incumbebat, ut quamprimum horrendis cruciatibus vindicarentur & eriperentur. Neque vero minori charitatis æstu, in vivas flagrans, incredibili animi & verborum lenitate, & comitate, omnibus juvandis, & ad profectum spiritualem provehendis intendebat; id curans maxime, ut plus amaretur, quàm timeretur, quatenus hâc innocentissima arte de omnibus benè merita, omnibus prodesse magis quam præesse satagere se demonstraret; utque convenienter Regulæ vivere omnes efficacius moveret, ipsa vivam sanctæ ipsius Regulæ Jdæam sese exhibebat, simpliciori-bus factis suis Sancti Patriarchæ præcepta demonstrans, cunctisque non quod sequendum, sed quo sequendum, prævia exemplorum, morumque luce declararet. *Ex Authore citato.*

Infirmis ipsa famulatur.

Edocta de luentibus in Purgatorio.

Sanctæ Regulæ Idea viva.

IESU CHRISTI ANNUS M.DCXLIX.
Sancti Patris Benedicti. M.C.LXIX.

TRansit ad æternitatis gaudia ex hâc lachrymarum valle sanctæ memoriæ Pater F. Joannes Picart, Gallus, Cheminionis in Catalaunensi Diœcesi, Monasterij Monachus, Vir ex omni genere Virtutum compositus, exemplar absolutissimæ perfectionis. Hic à teneris unguiculis DEUM diligere & toto corde quærere doctus, optimam Matrem, meliora suadentem libenter audijt & ad omnes se ejusdem nutus direxit. Hæc de nocte, cœlo sereniore, puerum extra ædes ducere solita, cœlo stelliisque commonstratis, illud Apostoli identidem congeminavit: *Non habemus, fili, manentem hic civitatem, sed futuram inquirimus. Cœlum respice, ibi patria nostra est, & illuc benè vivendo pergendum.* Meminit in omni vita verborum juvenis, & eam piæ Matris adhortationem sibi plurimum ad studia virtutum consectanda profuisse, sæpius deinceps affirmavit. Monasticum dein habitū in supra dicto Cœnobio amplexus, dum minus ad amussim sanctissimæ Regulæ omnia observari cerneret, ad altiora aspirans, inde pedes ad Majorem Carthusiam contendit, & quantum potuit precibus & lachrymis, ut susciperetur sollicitavit, nihil tamen obtinuit, quod R. P. Generalis ejus fervorem considerans, utilem & necessarium fore supradicto Cœnobio prævideret, ac proinde, ut in Ordine suo, ad aliorum ædificationem persevereret, persuasum vellet. Proinde bene monenti obsequutus & reversus, post Professionem Parisios ad studia litteraria missus, ibi per aliquot annos in Collegio, Ordinis sacristam solidè diligentem & solertem egit. Tum ad suum reversus Cœnobium, & Prior electus maximis se statim meritis commendavit, & de Reformando sollicitus, opera & industria Reverendissimi Domini Abbatis sui Octavij Castellionis, sibi fideliter collaborantis, statum utrumque Monasterij tam in sacris, quàm Oeconomicis, in integrū restituit, nullis fractus laboribus, nullis territus periculis, dissolutioris vitæ Monachis ad alia loca translatis, à quibus non semel ad Mortem quæsitus, sed à Numine ad aliorum profectum servatus fuit. Mira omnino parsimonia & abstinen-

Joannes Picart Gallus.

Optimæ Matris Filius.

Prior sui Monasterij designatus.

Reformator meritissimus.

stinentia excelluit, & per quadraginta ferè annos, sub prætextu infirmitatis, qua laborare ex pulmonibus videbatur, austeram admodum sine carnibus, piscibus & sale, vitam vixit, solis ovis & pultibus insulsis victitando. Tanta erat fama ejus sanctitatis, ut ad eum obsessi à Cacodæmone sive energumeni undique mitterentur, quos ipse dexterrimè suis liberavit precibus, & à crudelissimo habitatore eximios meruit. *In Cacodæmones potens.*

Mortificationi sensuum & passionum suarum ita sedulo studuit; ut ne minimam quidem sensuum subreptionem in se inultam pateretur, unde etiam ab omnibus illibatam ad mortem usque conservasse Virginitatem est creditum. Supremis demum quatuor Vitæ annis de superiorum licentia, secedens in cellulam seorsum ab alijs, continuam usque ad obitum, meditationis, orationis, Contemplationis exercitationem habuit, totusque in omne Virtutis studium incubuit. Sæpè visus est abalienatis sensibus extra se raptus, & in cœlestibus absorptus, ita ut omnino quæ circa se agerentur ignoraret. Denique plenus dierum, Virtutum, ac meritorum, septuagenario major decessit hoc anno 1649. magno sui omnibus non Religiosis solum, sed sæcularibus relicto desiderio. *Ex vita ejusdem Msta. per Anonymum virum Religiosum.* *Ad mortem præparatio.* *Sanctè moritur.*

Eodem anno 1649. die 5. Septembris, exemplum Benedicti Redivivi memorabile ad præmia æternitatis vocatur & Patri suo gloriosissimo jungitur, Bernardus natione Anglus Monachus Casinensis, Vir magnificæ sanctitatis Taliacozi in Samnitibus defunctus; cujus sacrum corpus quiescit in Ecclesia Sanctorum Cosmæ & Damiani Monialium Benedictinarum, cujus gesta dignissima immortalitate promissa expectamus. *Ex monim. Casin. Casimirus Vincent.*

Incredibili Religiosarum in Sancti Petri Remensis luctu, Serenissima Catharina Angelica earumdem Abbatissa meritissima, Aurelianensis Ducissa ipsis eripitur, & invita licet, ad instantiam parentis Henrici Ducis de Longeville, ac jussu Regis, ad Abbatiam Malodunensem transfertur. De ea sic sæpè citatus scriptor: *Nihil Angelicâ magis Angelicum: Angelus erat moribus, puritate, humilitate, lenitate, administratione: omnibus auxilio erat & solatio: Angelo similis; imo Cœnobij ipsius Angelus, &c.* quod, brevi licet regimine multis tamen modis egregiè demeruit, & Basilicam inprimis S. Petri, egregijs donis & ornamentis instruxit, aliàque inter Crucifixi imaginem cum sex candelabris argenteis confici curavit, uti & statuam argenteam cum pretiosissimis Reliquijs felicissimæ Christi Hospitæ S. Marthæ, omnium Monastici Ordinis Sacrarum Virginum Antesignanæ & Archiducissæ. Obtulit & vasa duodecim argentea, singula quinque selibrarum, & sportas quatuor ex argento, cū pelvi argentea, mirificum suum erga Deī cultum studium varijs alijs ornamentis contestata. Solata mœrorem ex Angelicæ recessu, alia Angelica illius non minus Virtute, quàm nomine æmula, Illustrissima Margarita Angelica Berthunensis, è Monasterio Pontis Dominarum, sacræ Reformationis nostræ Cisterciensis postulata Maximiliani Francisci de Berthune Comitis Orvallensis, Equitis Ordinis Regij & Reginæ Annæ Aulæ supremi Præfecti filia; ingenti quamprimum pompa & solemnitate ab Ill.mo Jnnone, sive Simone Le Gras Suessionensi Præsule consecrata; multis quamprimum jactata fluctibus, & igne tribulationum probata, cum varijs bellorum motibus, villæ omnes & prædia Cœnobij pessundarentur, ipsâ omnia plus quam Heroico animo superante, & Deum in omnibus glorificante. *Ex Monim. S. Petri Remensis.* *Catharina Angelica Aurelian. fit Abbatissa Malodunensis.* *Angelica Berthunensis succedit in S. Petri Remensi.*

Etsi vix ullum esse tota Germania, alicujus famæ & nominis Cœnobium existimem, quod hoc ipso tempore, mihi non præbere possit Encomij alicujus argumentum, super unius vel plurium sui gremij Ascetarum vita perfectiore; quia tamen operosum hoc nimium esset, & fortè humilitatis studio, à nonnullis de industria tacendum, non possum tamen, quin pro exemplo saltem, trium eodem patre, ac matre fratrum, etsi annis differentium, instituto tamen vitæ, & perfectionis non tam studio quàm exercitio, gemellorum, pro sexcentis alijs meminerim. Fuerunt hi Altorffenses patria, è pago quem aliàs Weingartten ab Jmperiali ejusdem nominis Cœnobio appellant, PP. FF. Joannes, Placidus & Modestus, Spiessij cognomento. Jpsos parens *Nullum Monasterium non singularia exempla habet.* *Tres non magis carne quàm spiritu germani fratres.*

parens malè conscius, violatorum sæpius Jurium Monasterij præfati, sed seriò pœnitens & facta detestatus, cum extremum decumberet mancipia perpetua Sacrosancto lateris Christi SANGUINI ibidé asservato, solemni donatione, atque ultima Voluntate devovit atque obtulit, successu comprobatæ felicitatis, siquidem tanti virtus Sanguinis, in innocentibus statim visa sit mirè operari, unanimi omnes singulósque sensu rapiens unius ejusdemque Ordinis complectendi, & eidem Spiritui cui S. P. N. BENEDICTUS servivit serviendi, cum deinceps in ijsdem BENEDICTI REDIVIVI, spiritus per omnia viguisse appareret. Major natu Joannes ubi pater spiritum exhalavit, sancti propositi in Monasterio Vinearum, alter filius Ochsenhusij, tertius ad S. Galli Benedictinã omnes Regulam solemniter professi, omnes omnium, qui noverant, confessione tales, in quibus S. P. N. BENEDICTI spiritus vere sibi habitaculum elegerit, & verò etiam ex quovis magnis sese & miris signis prodiderit. Novi omnes ex facie, seniorem ex corde, cujus secreta etiam conscientiæ sanctissimè expiatæ noveram. Sancta omnium apud suos collegas memoria, & quam nemo satis possit celebrare & commemorare. Et sanè in pueris etiamnum nihil non perenni memoria dignum, cum jam tunc nihil in eis puerile, sed senectus, minimè annorum computata numero, se proderet. Adolescentia in studijs ita innocenter exacta ut adolescentum miracula essent: litterarum pari & Virtutum profectu. Virilis ætas viros ostendit, nulla jactantia virium seu prudentiæ, sed in ardua omnia exquirendarum Virtutum omnium admirabili prorsus Generositate. Natu minimum omnis generis in Cænobio munia exercuere, per omnia sibi constantem semper Modestum non solum sed modestissimum, ubivis, ubivis utilem, ubivis, ut sacri vocamus, exemplarem. Medium re & nomine Placidum, Ochsenhusiũ & semper comprobavit, Oeconomũ & Priorem per omnia virum utrobivis sanctũ, utrobivis magnum & incomparabilem æstimavit; & mirabile prorsus, qualiter Magdalenæ cum Marthæ partibus, & negotiis junxerit, quorum altero Cænobio mira felicitate & dexteritate consuluit, altero toti etiamnum orbi, & suo inprimis Ordini, edito Meditationum ferventissimarum opere, consulere pergit, verè ambidexter, non doctis solum & Doctoribus accensendus, sed etiam Martyribus, dum rebus Cænobij DEO sacris advigilaturus, nihil non periculi constanti animo subijt, sed & vitæ discrimen lubens libens subijt ab hostibus horrendum in modum tractatus, dum supinum in terras abjectum succo sterquilinij, salva aurium Venia, ingurgitarent, & ad vomitum usque impleto, calcibus & toto corporis pondere insaltarent, ipso semper paratissimo ulteriora pro sancta Romana Ecclesia pati, suamque pro Christo vitam prodigere. Joannes natu maximus, juxta nomen Gratiam sibi à puero datam in omni vita prodidit, quam ita egit & exegit, ut nisi pro sacro tribunali sedens peccatoribus aures præberet, quibus juvandis se totum expendit, semper cum Angelis versari videretur. Jpsi à primis tyrocinij sacri annis illud Lucæ 19. semper in aure insonuit & corde: *Negotiamini dum venio*, quod juvenis aggressus, sedulo prosequutus in omni vita tanquam proprium habuit, & fidelissimum Domino suo negotiatorem egit, morem mercatorum solertissimorum imitatus, dũ, ut erat Arithmetices peritissimus, in omnem sacri lucri rationem intentus, utrum proficeret deficeretque indesinibili bonorum operum & cogitationũ computo, ad certos quotidie numeros referret; non alio fine, quam ut si fortè fortuna, oscitantia quâdam superveniente, solertia proposito non responderet, proxima die compensaret; solitus, nisi alias manus necessario impedirentur, semper rosarium sacrum manu tractare, & grana continuo adnumerare, inde Rosaria in numeros trahere, mente jugiter sacris lucris intenta; & in Virtutum exercitia, & jaculatorias preces effusa, ita ut nunquam non occupatissimum, nisi fortè à prandio in rebus Mathematicis deprehenderes, pro modica & utili etiam animi distractione. Adverti quandóque cum post gravissimum, desperatâ à medicis valetudine morbum convaluisset, nonnihil, & debilis etiamnum, suum ex Ordine & consuetudine munus, in ministrando ad mensem Confratribus,

P. F. Ioannes Spieß Weingartensis.

A puero sanctitatis specimen præferens.

R. P. Modestus Asceta S. Galli.

R. P. Placidus in Ochsenhausen.

Hujus merita.

Martyribus accensendus.

P. Joannis observatum in omni vita.

Lucris sacris intentissimus.

exequi conarentur, inter ſerviendum manu vacante, ſemper roſarium tractare, labia movere, & cum inde recidivam metuerem, obnixè rogare cœpi, & pro meo in ipſum & ipſius conſcientiam jure, etiam conjurare, ne ſe ita perditum iret; ſed capiti & fluctuanti adhuc valetudini parceret; ſuppliciter deprecantem prius non exaudij, quàm modum & morem mihi penitius exercitij explicaret, & explanaret: confeſſus ſe unicâ, cui inſervierat cænâ, bis mille ni fallor, certè mille & ſeptingentos Virtutum actus exercuiſſe, & his ita ſuaviter aſuetum, ut ſi prohibeatur, magis videatur valetudini obfuturus eſſe, tantopere eo ſe exercitio recreari, & excitari. Ita & in Breviario ſuo, qua valebat, manu elegantiſſima ad verſum quemcunque cujuſcunque pſalmi notulas ſubtiles 6. octo, decem ad ſcripſerat, totidem actuum diverſarum virtutum indices & concitatrices, quarum ſe nullam in recitando Divino Officio præterire, mihi eſt faſſus, ita, ut ſimile quid, in aliquot millium, quæ ſcripſi, vitâ & elogijs, non meminerim me uſpiam reperiſſe. Habuit & alios manu propria quàm elegantiſſimè ſcriptos, piarum exercitationum & precationum libellos, vir ſpiritalibus rebus totus abſorptus, ex cujus colloquijs colligere debui multorum abſolutos corpore animos, ad precum ejus ſuffragia confugiſſe; de cujus Religioſiſſimi corporis exuvijs, apud me depoſitis (quievit ſiquidem ſanctiſſima obdormitione Veldkirchij in Domino) tanquam magno theſauro dives, mihi plurimum gratulor; nec dubito animum certum in cœlis habere advocatum & Patronum. Reliquit & alia ſubtilis ingenij monimenta, Mathematica in primis, quæ omnia ad Majorem Creatoris cognitionem & laudem referebat.

Inſigne ejuſdem exercitium.

Memorabilis Virtutum exercendarum praxis.

Moritur felicißimè in Veldkirch.

Ad varia tractus munera ſibi ſemper conſtans ſanctæ memoriæ Aloyſius Princeps Caraffa, admirandis ubivis ſe commendat meritis, ſydus revera ſingulare noſtræ ætatis. Factus Abbas in Sicilia ex Obedientia, & quidem in Monaſterio S. Flaviæ de Catalavaſcetto, dum ſe mari committeret, adeo horribili jactatus eſt tempeſtate, ut nauclerus ipſe, & ſe & omnes perditos exclamaret, Aloyſio interim toto Divinorum contemplatione abſorpto, & quaſi dulci è ſomno clamoribus aliorum excitato, imperterrito tamen, & omnes optimè ſperare jubente & in ſtellam maris Deiparam confidere, móxque ut Litanias Magnæ Virginis provolutus in genua inchoaverat; ecce tanta vis ejus orationis fuit, ut navis illa quamprimum ad tria millia extra periculum poneretur; quo inaudito miraculo viſo, cum ad pedes ejus omnes advolverentur, ut oſcula ijſdem figerent, prohibuit, Deoque ac Deiparæ gratias agere juſſit. Claruit varijs miraculis vivus & mortuus, quæ inter Domina de Piano oculorum lumine orba, aquâ quâ manus laverat, oculis illitâ viſum recepit. Fuit & Prophetico Spiritu à Numine illuſtratus quo varia prævidit prædixítque, cujuſmodi plura in Vita Ejuſdem Neapoli typis excuſa leguntur. Deiparæ fuit longè amantiſſimus, à qua varias etiam gratias accepit. Cacodæmonibus autem odioſiſſimus, diverſimodè tentatus victor ſemper extitit; & ab ijſdem crudeliſſimè cæſus ac vulneratus, ipsâ patientiâ triumphavit, Martyrum procul dubio numero accenſus, & merito donatus; etſi in ſeipſum non minus ipſe crudelis eſſet, ita ut vita ejus merum Martyrium videretur, etiam cum ægra eſſet valetudine, de conſueto rigore nihil prætermittens. Inter Sacrificandum, alterum Philippum Nérium, & Franciſcum de Sales egit. Nec dubium, cùm Veſuvius Mons flammis horrendum exardeſceret, & extrema Neapoli minaretur, plurimum Aloyſij preces potuiſſe, cùm hyberno tempore nudipes cum Religioſis ſuis ad diverſas Eccleſias Proceſſionem, ut ſacri vocamus, inſtitueret, ac dein domum reverſis nimiumque frigefactis ipſe calidâ pedes ablueret; Verbo dicamus: in omni actione nihil non ſummæ humilitatis præſeferret, & egregiæ ſanctitatis ſignis clareſceret. *Ex Vita.*

Prodigioſa navis translatio.

Varia miracula.

Prophetico ſpiritu.

Cacodæmonibus invijſus.

Inter Martyrium.

Suppliciis inſtituta.

V. Aloyſius Caraffa.

Naufragij metus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. L. Sancti Patris Benedicti. M. C. LXX.

EXporrigit ſe denuo in Jndias & novum uſque Orbem noſtrorum meritum, quem etſi longè remotiſſimum ſuâ aſſequuti & complexi charitate, magnis ſeſe meritis commendarunt. Ex his hoc ipſo anno, poſt egregia

gia merita ad coronam zeli Apostolici vocatur à supremo vitæ nostræ arbitro Illustrissimus & Reverendissimus Dominus P. P. Franciscus de Berya ex illustrissima Comitum de Graxal stirpe editus celeberrimi illius Monasterij Sancti BENEDICTI de Sahagun, sive Saguntini Monachus, qui cum & eruditionis singulari laude zelóque propagandæ fidei ferventissimus esset, Apostolicæ functionis munere dignissimus habitus & Charquensis in Jndia Episcopus renunciatus est, ubi cum aliquamdiu, strenuè laborasset, & optimũ se pastorem comprobasset, ad Limensem Regiæ Urbis Episcopatum promotus, magnus in oculis Proregis illic habitantis & Magnatum apparuit, & Regno amplissimo & opulentissimo plurimum consuluit, inter magna Ordinis luminaria merito referendus, magno Proregis & procerum luctu hoc anno extinctus. *Ex Francisco de Argaez*, &c. Demerentur similiter alia Jndiarum Regna nostri hoc ipso tempore & vel maximè in Jmperio Mexicano, Romanæ Ecclesiæ fidelem operam navant, uti ore tenus & scripto à RR. PP. Societatis JESU, Francisco de Encinas & Petro Martinezio edocti fuimus.

Franciscus de Berya Com. de Graxal.

Fit Charquensis Episcopus.

Magnum luminare Indiarum.

Jpso hoc anno 1650. evolat ad cœlum Toleti in Hispania Venerabilis Maria de Mendoza illustribus orta Natalibus, sed Virtutibus ac meritis longè illustrior. Hæc Benedictini Ordinis Virginibus Reformationis Cisterciensis, accensa, præclara edidit defæcatæ sanctitatis exempla, ut omnes admiratione sui raperet. Ejus eximiam pietatem, ardensque proximos juvandi studium, etiam ante quàm sacro se velo obnuberet in mores inductum, hisce describit verbis suæ ætatis Doctor celeberrimus Martinus Navarrus in Manuali cap. 26. num. 39. *Illustrissima*, inquit, *eademque pientissima Domina, Maria de Mendoza, juvandis pijs operibus & elargiendis multis & magnis eleemosynis cujuscunque Ordinis pauperibus tam Religiosis quam secularibus, superare mihi videtur omnes, quotquot à quinque seculis viderim & legerim etiam Reges & Reginas, optimo cum exemplo secularium Magnatũ, & non parva reprehensione Ecclesiasticorũ in ea re plus satis dormitantium, quam utinam videant omnes, sic servientem Christo usque in finem in terrũ, & ipse ego olim regnantem sine fine cum DEO in cœlis.* Jta Navarrus, qui utique votorum suorum assecutus est summam, quando sanctissima fœmina de Virtute in Virtutem progressa in statu maximè Religioso Christo se totam consecravit, & sub extremam præcipuè luctam, quæ qualisve esset, ostendit: nam gravi correpta morbo, cum septeno post die, quo etiam decessit, ex Medico, lethalem eum esse, vitamque non nisi aliquot horis duraturam intellexisset, adeo non expavit, ut liquidissimo delibuta gaudio DEO gratias ageret, & Medicum insigni dono honoraret & SS. munita Sacramentis tanquam cervus ad fontes aquarum anhelans placidè in Domino requieverit anno ætatis quadragesimo tertio. *Ex Procopio, &c.*

Occidit eodem ipso anno illustrissimum sanè Jnferiori Germaniæ sydus Reverendissimus, & Amplissimus Dominus Christophorus de Butkens, elegantissimi Sancti Salvatoris, in Urbe Antverpiana Archisterij Abbas meritissimus, sacræ Reformationis Cisterciensis ornamentum singulare. Hic nobili admodum stirpe editus, Nobilitatem Generis ipse Virtute & meritis immortalibus longè illustriorem reddidit; imo nomini suo dulcorem & saporem mirificum adjecit. Fuit sumis ingenij ditatus talentis, solertia, gravitate, prudentia, modestia, in rebus gerundis summa dexteritate, facundia insuper & eloquentia, memoria ac Judicij qualitatibus ita præditus, ut nemo satis tantum Præsulem miraretur, adamarent universi. Fuit præterea linguarum, ac idiomatum notitia ornatus, atque omnibus penè scientiarum disciplinis exuberans, idem omnibus omnia factus, ita ut omnibus consulere, servire, & benefacere inter optatissima haberet, omniumque demereri animos atque benevolentiam satageret, & certe omnes sibi addictissimos haberet, & inter ornamenta præcipua ornanatissimæ Anteverpiæ habendus. Fuit etiam Historicus insignis, & in Genealogicis versatissimus, inter præcipuos Scriptores nostræ ætatis referendus, eóque & multo alio nomine à viris doctissimis celebratus. Fuit ab obitu tanti parentis luctus filiorum miserabilis, quem & Antverpia luxit universa. Decessit

Christophorus de Butkens S. Salvat. Abbas.

Magnus omnino Præsul.

Scriptor egregius.

cessit hoc anno 1650. die 30. mensis Septembris, cujus memoria est in benedictione. *Ex Monimentis ejusdem Cœnobij, Sandero, &c.*

Gabelus Abbas Abdingkofensis.

Excessit è vivis eodem hoc anno Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus Gabelus Schaffenius, celeberrimi Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum Abdingkofensis inter muros Paderbornenses Monasterij Abbas dignissimus, vir per omnia laudatissimus. Hic præfati Cœnobij Professus, cum & eruditionis & Virtutis laude celeber esset, vacante per obitum Godscalcki à Dael Abbatiâ S. Alexandri, vulgo in Graffschafft appellatâ in Ducatu Westphaliæ Diœceseos Colonien sis eodem postulatus, Monasterium hoc imortaliter demeruit, & disciplinam primum Monachicam Regularemque observantiam summa dexteritate introduxit, fovit ac promovit. Inde & felicissimum agens Oeconomum alienata redemit, debita dissoluit, Monasterium restauravit, templũ ornavit, & ut uno verbo dicamus, taliter se per omnia habuit, ut alter Cœnobij Fundator celebretur. Porro mortuo Wilhelmo Rivio sanctissimæ memoriæ Abdingkhofensis Cœnobij Abbate, eodem è suis revocatus, summoque plausu Abbas consalutatus, ut quæ alibi gessit, *hic & hic in patria Tua* audijt, & similiter atque insigniter præstitit, & septendecim hic annis superstes, magnum Monasterio nomen comparavit, summo in honore & respectu ubivis habitus, sacri rigoris Monastici & Observantiæ Regularis promotor strenuus. Decessit hoc ipso ut diximus anno, ipsis Maij lætissimis Calendis, ad gaudia æterna evocatus. *Ex Monimentis utriusque, quibus præerat, Cœnobij.*

Alter sui Cœnobij Fundator.

Centuplum recipiunt in hac vita.

Reformationis solidioris studium.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LI.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LXXI.

VOlumen peculiare requireret, & benè amplum & crassum, si unius Germaniæ post Cataclysmum seu Diluvium Suecicum, póstque tantam ruinam & excidium nobilissimorum & potentissimorum Benedictini Ordinis Cœnobiorum, restitutionem, fructificationem & in sacris Augustissimi Patris & Patriarchæ BENEDICTI, non aliter atque in Noe posteris, multiplicationem & benedictionem, vel obiter quidem, nedum distinctius & explicatius, recensere proponerem. Tantum potuit Sanguis Martyrum, constantia & libera fidei & Vitæ Monachicæ in oculis hostiũ professio Confessorũ, patientia in tanta afflictione, indigentiâ, persecutionibus, tristi exilio & diuturno Monachorum, ut revera, in hac etiam vita, rerum omnium, quarum jacturam pro Christo patienter toleraverant, centuplum juxta Christi promissa receperint: pleriſque Cœnobijs ex ipso busto & cineribus, Phœnicis instar longè splendidius, quàm ante ruinam steterant resuscitatis; Sacris Conventus ædibus & Basilicis, sive à fundamento exstructis, sive tantis arte & ingenio restauratis, cujusmodi antea nihil simile totâ Germaniâ videbatur. Nec minus industriæ in restitutionem Disciplinæ Monachicæ, laboris insumptum in primævi introductionem fervoris, dum certatim Abbates atque Priores in seligendis utilioribus quibusvis veterũ Ordinis Reformationũ statutis toto animi adnisu omnem operam impenderent, diversa Cœnobia sacras ejusmodi Symbolas conferrent, quodvis Cœnobium sancta & laudabili æmulatione, unum alterũ, solidæ Reformationis complexu & studio antevertere & præcellere exambiret. Hinc veteres renovatæ, novæ diversis provincijs institutæ Congregationes, nihilque non sedulo conquisitũ ijsdẽ firmiter stabiliendis, & Religiosis ad altiora Perfectionis studia concitandis, inq; bono proposito confirmandis. Nec minor de litterarum promotione & liberalium artiũ cura, cum vix ullum sit è frequentioribus & nobilioribus Cœnobijs, in quo non solum Humaniora, sed & Philosophica & Theologica studia floreant, & tantopere excellant, ut exercitij causa, ad diversas destinati Academias atq; Universitates, admirationi omnibus sint, & plurimi deinceps Doctoratus gradu sublimati, non minore fructu quàm laude è Cathedris diversis, summo cum concursu & applausũ audiantur; inde etiam ad diversos honores, ad consilia & arcana Magnorum Principum expetiti; tanta virorum hodie eruditorum in Ordine frequentia, ut nullo unquam antea sæculo, in eodem tanto numero tantaque scientiarum omnium effulserint claritate, gloriâ hâc non tam Ordinem solum ipsum quàm Ecclesiam Christi concernente universam.

Rei litterariæ promotio fervens.

Insignis eruditorum copia.

Germania post Cataclysmum Suecicum facies ratione Ordinis nostri.

Jn

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LII.

Sancti Patris Benedicti. M. DC. LXXII.

Jn Anglia, Jnterregni occasione, mutato rerũ omniũ Ordine, mira industria, afflictis Catholicorũ rebus advigilant nostri, & si unquam aliàs laudatissima illa de propaganda fide Congregatio, Zelum suum ac fervorẽ comprobat, de Justitia non minus sollicita quàm Religione, cum etiã Catholici in tanto partium conflictu ambigui, diu multumque nutarent, & viri boni ac justi esset, quæ ipsi vertere in partem meliorẽ non possent, saltem non fovere, neque patrocinari, nedum cooperari iniquitati. Quanto id periculo factũ inter tot partiũ studia & studiosos, nemo melius perceperit, quàm qui fuerit præsens, etsi non sanæ mentis, non facilè animadvertat, & ex hoc ipso judicet, quantũ Apostolica nostrorum Congregatio periculi subjerit, omnia incommoda & pericula, Christi & proximi Charitate solida, quàm generosissimè subeunte, & quantos poterat, in fide Christi, Ecclesiæ Romanæ, & Regis firmante, & ab omni perfidia avertente; quod Jllustribus admodũ exemplis, si absque periculo res esset, posset confirmari. *Ex Monim. præfatæ Congregationis.*

Congregatio Anglicana multum laborat.

Nullum nostri avertuntur periculum.

Extinguitur hoc ipso anno insigne Ordinis decus Reverendissimus & Amplissimus Dominus Hermanus zur Geist, Leisbornensis celeberrimi, olim Virginũ, postea Virorũ Cœnobij Abbas, vir per omnia magnus & magnificus, non solum suæ provinciæ & Cœnobij, sed & Ordinis Universi singulare ornamentũ, idem de suo Monasterio & tota Congregatione Bursfeldensi optimè meritus, quem sui jure merito non solum ubertim deplanxerint, sed tota provincia mille votis desideret Redivivum. *Ex Monimentis ejusdem Asceterij.*

Hermanus zur Geist Leisbornensis Abbas.

Eximitur hoc ipso anno 1651. rebus mortalibus Jll.*mus* Princeps Bernardus à Mutis Romanus, qui sæculi relictis pompis glorioſior ex Duce Monachus, cucullum in Monasterio S. Pauli de Urbe professus, perfectionis Monasticæ studiosissimus in Cacodæmones plurimum potuit, totusque in liberandis energumenis fuit, ibidem cum odore Sanctitatis feliciter decedens. *Ex Communic. Reverendissimi Cornelij Margarini Abb.*

TUrbatissimis in Gallia rebus, nutantibus Regni columnis, trepidantibus universis, Martiali prorsus generositate & Constantia Virginum nostrarũ in Calvaria sese animus prodidit, cum inter extremas calamitates, bonorum omniũ eversionem & direptionem, necessitatem & indigentiam miserandam, interque afflictionum & injuriarũ congeminata undique mala, ipsæ quasi sui immemores, Dei Clementiã pro sola Regum ac Regni conservatione, pauperumque sublevatione exorarent, ipsæ imperturbatæ prorsus, summa cum omniũ admiratione, & Reginæ inprimis Christianissimæ Annæ Mariæ, Divinis servitio & laudibus alacres insisterent; visæ eidem Sanctissimæ Memoriæ Principi, Cœlo ipsi vim inferre, quibus proin se, & Regẽ filium quàm enixissimè commendabat. Et revera verosimile & Reginæ ipsi, & bonis omnibus visum, & in tanto rerũ præcipitio, exporrectas in cœlum tam dilectarum Deo sponsarum supplices manus, preces, & Vota, tantũ apud Divinam Majestatem potuisse, ne Regnum amplissimum & fortunatissimũ, ingenti cum æmulorrm & hostium plausu, in exitium ipsum & incomparabilem multis sæculis ruinam devolveretur. Jncubuit præ alijs pro honore & vita Regũ servanda, & pro Regni bono publico Regij Generis Virgo Magdalena de Rieux, dicta de Passione, Generalis sanctissimæ Congregationis Antistita, & Gubernatrix meritissima, quæ victima Numini cadere pro Regno elegit, cumque alias in delicatissimũ crudelissima esset corpusculũ, Reginæ amantissimæ contuita, & Regis ac Regni periculũ, in contuitu Regum Regis suppliciter prostrata, tantũ sese non ipsã omni suppliciorũ genere confecit, ut iratũ placaret Numen, atque intentata Regno flagella averteret, dies noctésq; plorando & implorando, seq; pro alijs mactando & immolando: *iejunijs, vigilijsque*, inquit sæpe citatus Author, *penè confectam sese, cilicijs, catenis ferreis, crebrisque disciplinis sic cruentabat, ut non vestes modo, sed parietes ipsi, ipsa denique cubiculorum pavimenta, tam nobili sanguine passim purpurata, ad audacis dexteræ ictus, tantæque virtutis quotidianos in corpus*

Calvariensium nostrarum Virginum de Gallijs merita.

Agnoscunt eadem ipsi Reges.

Magdalena de Passione.

Penè se ipsam conficit pro Regum & Regni salute.

pus Virgineum insultus prorsus & erubescerent & expaveſcerent. Ut facilè omineris, quantum in neceſſitate publica, & à tanta Regina exorata elaboraverit, quantum conata ſit, quantum meruerit, cum aliàs omni tempore orationi, vigilias, ieiunia, dolorum acerbitates jungeret, ſat ſuperq; aliàs continuo à Numine paternis, etſi acerrimis flagellis, caſtigata, & graviſſimis infirmitatibus & ægritudinibus debilitata.

A Numine graviter afflictur.

Nimius eſſem, inquit idem ſcriptor, *ſi ferendorum adverſorum quorumcunque incredibile ſtudium deſcribere vellem: Verè per totam Vitam Magdalena a Paſſione jure optimo cognominata, laborum dolorumque ſuis ardentiſſimâ æſtuavit. Nunquam tamen crudelius in ſeipſam ſevyit, quam quando Generalem Superiorem egit: cum alio tempore privatam agens perſonam à Superioribus prohiberetur: Superioritatis autem ſuæ annis uſa in ſemetipſam, quæ pollebat, autoritate, corpuſculo ſuo inſenſiſſima hoſtis, inſontem Virgineam & tenerrimâ carnem, exquiſitis ſupplicys inceſſanter mortificaret & perfectiſſimè Spiritui ſubjeceret. Ceterum quam rigida ſibi, tam facilis benigna & compatiens alijs, in prævaricatrices & negletrices Regulæ ſatroſanctæ rigidè animadvertebat; Sæpe cum errantes coercere cogebatur*, inquit Tribout, *obortis lachrymis, ingentique ingemiſcentis animi dolore exclamabat. DEUS bone! Quis ſiccis oculis ferat tam Sanctæ Vocationis ineffabili gratiæ, tanto tepore & infidæ mentis oſcitantia obſecundari? Volo manſuetudinem agnellorum imitari in ſubditis, utpote omnes bonæ Voluntatis Virgines; ſi vero in Congregatione occurrerent, quæ bono adverſatæ, ſponte vitijs adhærerent, leonibus terribilior facta, invicta obſiſterem, omni prorſus pace recuſata.* Nec opus erat manſuetiſſimæ Virgini, rigore inulto in coercendâ ſuârum licentiâ, verum potius à rigore nimio prohibendis, cum Matris pleræque exemplis incitatæ, tenerrimæ juvenculæ, ſupra ætatem & vires ſeſe extenderent, aliæ infirmitatibus preſſæ & feſſæ ſenio, majora etiam ſeipſis proponerent. quæ prudentiſſimè omnia Magdalena attemperabat, ipſa amor omnium facta, cum tantopere univerſas diligeret, omnia omnibus fieret: frequentius dicere ſolita: *Omnia Charitati & Sanctæ Amicitiæ impendenda, quin & omnibus commodis præferenda: Hunc etenim Congregationis Calvariæ genium, hanc theſſeram Monialium Chriſti Cruci confixarum eſſe.*

Compatientiſſima.

Inſigne ejuſdem dictum.

Prævidit prædixitque mirabilis Chriſti & illuminatiſſima ſponſa, indigniſſima hujus poſtremæ ætatis, ſapientum in oculis ſuis, execrandorum in oculis, & Judicijs DEI, Religioſo abutentium nomine, effugia (ut putant) ſacri rigoris, conſilia, & dictata, quibus dictatæ à Divino Spiritu Regulæ, huic tempori, ætati & naturis minimè congruere, DEI ſapientiæ, ordinationi & gratiæ, ſua ſenſa præponere, imo hæc contra DEI credentes Spiritui, & promiſſis, propugnare veriti non erant, ſæpius contra Philautiæ & Sapientiæ humanæ, à carnis in ſpiritum Dominio, inque ſimplices fraude lugubriter conqueſta, quibus à Divino dictatæ Spiritu Regulæ penè ludibrio & tanquam aniles fabulæ & nugæ haberentur, quibus teneri viros ſapientes & matronas, ſeu Virgines, ipſa ſua gravitate eximias indignum eſſet, ſed ſuâ quemcumque Religioſorum conceſſâ à numine ratione & rationis directione pro temporis uſu & conſuetudine ducendum; quaſi Regulæ tam ſimplices, & ſimpliciſſimis ſolum ſæculo & hominibus ſcriptæ & inſpiratæ eſſent, inexplicabili cum injuria Numinis, & deceptione talia credentis, totius pernitie Sacri Ordinis. Et verè hos vulpes, quæ demoliuntur Vineas Domini dixeris, dum hi Charitatis & compaſſionis prætextu, ſua vibus, ut ſyrenes, illicijs, facilè, ſed periculoſiſſimè illudant teneris, ſimplicibus & promptius credulis. Impetebat, pergit Author, potiſſimum, amoris proprij ac Philautiæ æſtus in diem recrudeſcentes, ſolita dicere: *invadendũ in tales defectus, & vorandos amoris Divini omnipotente robore.* Ut autem efficaciori tentatis à Cacodæmone, carne & ejuſmodi ſuſurronibus foret ſolatio: *Verſor*, inquiebat ſæpiſſimè, *in veſtro ſtatu, in veſtris omnino fluctibus, ſuſque deque acta & circumacta; hæc & illa adhibeo remedia, quibus, ſi etiam utamini, ingentes in via ſalutis profectus facietis, victrices ſemper animæ & Dæmoni terribiles.* Et ſubdebat: *O animæ illius incredibiles delitias, quæ naturam ſemper Gratiæ ſubjecit, & Voluntatis propriæ præpoſteræ ſtudia, obedientiæ ſanctæ emancipat.* Et mirabile ſanè eſt, quantum Magdalena, ejuſmodi exemplis profecerit, nomine non ad actus

Queritur ſuper Religioſorum tepiditate.

Regulæ à Divino Spiritu dictatæ.

Qualiter agerit cum tentatis.

tan-

tantæ Principis, & emeritæ Antistitæ, sedulo attendente.

Franciſca Renata Duc. Lothar.

Nec minore sôlertia, & creditarum sibi filiarum, & Regni utilitatibus ac felicitati consuluit Franciſca Renata Lotharingiæ & Guisiæ Ducissa, Montis Martyrum Abbatissa, & Margarita Angelica de Bethune, Comitis Orvallensis filia, S. Petri Remensis Antistita, quæ lectissimæ Virgines, quanto imbecilliores sexu, tanto gratia in oculis Numinis valentiores, summo procul dubio emolumento Regno Galliarum afflictissimo suis precibus & interventu fuere: E quibus posterior, cum DEO quasi contendens, dum hujus permissione, omnibus pene sustentationi necessarijs, per tantos patriæ fluctus orbata fuisset, in demerendo tamen Numine tanto ferventior extitit, & quæcunque habere potuit, ad honorem prius Numinis, quàm sororum & filiarum commoda convertit. Cum enim turbulentissimis Regni motibus, temporaliũ penè bonorum omnium, licentiâ militari & hostili jacturâ quotidie faceret, tanto magis in demerendum sibi omni arte Numen exarsit, & Cœlites sibi Patronos adjunxit, atque Basilicam suam, & præstantissimas horum Reliquias, undique conquisitas & comparatas exquisitissimè adornando, perque illos DEI Misericordiam invocando & quasi cogendo, nomen sibi æternum ac meritum, tam in cœlis quam terris comparavit. Satis sibi superque dives & felix cum suis visa, si sacra cœlitum ossa omnibus præferenda thesauris, illustrissimũ suum Cœnobium beassent, Jta non sine singulari Numinis & Cœli favore, magno ditata thesauro est sanctarum Reliquiarum S. Timothei & Sociorum Martyrum in Diœcesi olim Remensi, illustri agone consummatorum; Sacris dein ossibus non paucis S. Dionysij Areopagitæ & sacrorum Collegarum, nec non S. Ursulæ & Sociarum, præcipuè autem Sancti Guntherij Tulli in Gallia sub Juliano Apostata passi; quæ omnia cum priscis Sanctorum Apostolorum Petri, Bartholomæi, Andreæ, Thomæ, & Philippi sacris exuvijs splendidè curavit, & hac sacra divitiarum sorte, omnem suam paupertatem solata recreavit. Sed & præcipuæ Ordinis Jnstitutrici Tutelari & Matri, Matri Virgini, in tanta rerum omnium jactura statuam argenteam, quatuor pedum altitudine confici curavit, & lampades, calices, vasa alia omnia, dum ipsa egeret, Numini argentea & aurea undecunque conquisivit & obtulit; etiam jejuno cum suis ventre in laudes Creatoris in Choro effusissima: verè Angela, & per omnia Angelica: *namque providentiâ*, inquit author noster, *& regimine Angelico, omnes sibi subditas mutuæ charitatis stabili & concordi fœdere junctas, Angelorumque concentus imitatas, in Angelos, Mater ipsa Angelica transformavit, &c.* Jta citatus sæpe rerum Calvariæ Scriptor.

Invicta in tribulationibus.

In conquisitione SS. Reliquiarum occupatissima.

Hiſte paupertatem ſuam ſolatur.

Omnes ſibi creditos Angelicos quaſi reddit.

IESU CHRISTI ANNUS M.DC.LIII. Sancti Patris Benedicti M.C.LXXIII.

ITerum nova, novissimis hisce temporibus, cœlo universo approbante & applaudente, in Ordine nostro, memorabili cum fructu institutitur Congregatio, ipsâ Christianissimâ Galliarum Reginâ, natâ Hispaniarum Principe, initium dante, ac dein nostris in ejusdé prolatione strenuè cooperante, Virginũ nimirũ Benedictinarũ, dictarum *De Venerabili Sacramento*. Ex ordia hoc ipso anno sic habent: *Anna Austriaca, pientissima Galliæ Regina* (Verba sæpe laudati Scriptoris sunt) *Hujus Jnstituti præcipua fuit Juventrix & parens. Ultimis enim & civilibus Parisiensium bellis, totam illam Urbem inteſtina cæde vastantibus, pulsa è solio, pulsa ex Urbe tandem cum filio suo Rege adhuc penè in cunabulis, furori cedens, & latere coacta, Voto se adstrinxit; scilicet; Quod si DEO dante posset aliquando ad solium redire, in Urbem; & ad Regni Gubernaculum, in gratiarum actionem, Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento Cultum, & adorationem perpetuam à Virginibus Religiosis, diu noctuque reddi, imperaret. Hoc certè ita DEO placuit, hunc-que placavit, ut tertio, post votum emissum, die, Rex, Jpsiusque Mater, cum Regni proceribus convenerint, pacem cum illis inierint; Parisios tandem, in Aulam, & ad thronum suerint revocati. Tunc Regina Beneficij à DEO accepti, & Voti memor, ipsum adimplere curavit. Ad hunc finem destinavit primùm Religiosas Virgines Ordinis Sancti BENEDICTI, quæ tunc ex Monasterio Immaculatæ VIRGINIS Conceptionis, Rambervillanæ Urbis in Lotharingia, Diœcesis Tullensis, ob bellorum procellas Parisios confugerant: eisque per lit-*

Congrega-tio Sacramenti.

Inſtitutrix prima Regina Gall.

teras

Institutum nostræ amplectuntur Virgines.

teras Regias mandavit. Quod ita factum est: Nam Annunciationis Virginis die anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, in earum Sacello Sacramentum expositum fuit & adoratum, &c. Ita sæpe citatus Author. Sed de aucta mox Congregatione, imo admirabili prorsus fervore colendi Sacratissimi Sacramenti, toto Regno accensi, deinceps. Ad alia pergamus.

Fructus inde totius Regni.

Idem annus, quàm felix & fortunatus amplissimo Galliarum Regno Veneratione Sacramenti Eucharistici, tanto cum fructu fidelium, gloriâ Benedictini Ordinis, propagatâ, tanto tristior extitit ereptione Syderis cujusdam longè illustrissimi, cœlis, lilijsque planè incomparabilis, Paradyso Regum Regis inserti, de quo obiter quidpiam pro exemplo & solatio, ex sæpe nominato integerrimæ fidei scriptore inserimus.

Anna Maria à Iesu Crucifixo.

Hæc autem fuit Anna Maria à Jesu Crucifixo dicta, aliàs Anna de Gouleſne Baronissa de Favoijet, verè suæ ætatis miraculum, patientiâ reapse non minus quam Sancti Job, & Magni Antonij obstupescendâ, eóque magis, quia in Virgine tenerrima, ut innocentissima. Nec minore compassione & cum afflictis, atque vel maximè peccatoribus condolentia, de qua Amandus noster, verè amandus, uti & rerum ejusmodi amantissimus: *Cum aliquando*, inquit, *pro peccatorum Conversione supplex DEUM precaretur, infelix eorumdem status, ita menti ad vivum expressus hæsit, ut lachrymis sanguineis visa sit tota defluere à Priore* (seu Priorissa) *quæ tunc eam in Cella convenit.* Sæpe infixo Crucifixi pedibus Virgineo ore, conspecta est cruorem multum haurire, qui ex e-

Cruorem ex pedibus Crucifixi haurit.

jus vulneribus copiosè scaturiebat; atque interdum, vivifico hocce potu recreata, vires subitò & salutem, à longo tempore ægrotans recuperabat. Verùm tot inter Cacodæmonum crudelitates, corporisque ægerrimi afflictiones, quod mirère magis, nihil ab observantiæ Regularis exercitijs, nihil à charitatis officijs, humilitatis & obedientiæ operibus impediebatur, tantis ijsdemque tam crebris & vehementibus Spiritus Sancti inspirationibus, & sanctis quasi insultibus concitata, ut miraculo non minus simile esset, quomodo tam fragilis natura in tanta sanctorum motuum vehementia subsistere pos-

Miraculum Virginis.

set. Vixit post professionem de mandato Superiorum in utroque Calvariensi Urbis Parisiensis Monasterio annis pluribus, tanta Virtutum omnium fama, ut omnibus admirationi, veneration& exemplo esset. Rariores tamen raptus, & extases, quàm in Domo Professionis fuere; quippe quæ DEUM assiduè exoraret, quatenus ab omnibus, quæ vulgaria non erant, vindicari indignam ancillam dignaretur. Soli, ijdemque acerbissimi morbi ipsam superstitem testabantur, quorum ultimo confecta est. Js erat, ad quem omnes Medici obstupescerent, namque toto corpore, Jobi instar, gravi vlcere percussa, nullis remedijs levabatur; faucibus tanta ariditate æstuantibus, ut nec salivam glutire, nisi ægrè admodum posset. Verùm non minus spiritu coarctata, quàm carne cruciata, ciebat lachrymas, & commiserationem ab omnibus, ejus invictam animi fortitudinem intrepidámque Jobi æmulam patientiam & mirantibus & collaudantibus. Decessit denique felicissimè amoris & doloris nobilis victima, quarta Septembris die anni præsentis millesimi sexcentesimi quinquagesimi tertij, plurimis gloriosa miraculis, ipsa omni miraculo major, multaque abdita prædixit Propheta Virgo. Jllud rarum omnino & mirabile, quod ipso die Professionis eidem accidit: *Rapta siquidem in spiritu, cœlesti intererat Curiæ, inque præsentia Sanctissimæ Trinitatis, vota sua* (Verba Amandi sunt) *miro cordis & corporis tripudio promebat: emissisque ijsdem votis conspexit ex sacra Hostia radium splendidissimum reflecti, qui se in cordis effigiem signaturæ suæ superimpositam recepit, mansitque in præfata cordis effigie (res mira!) guttula sanguinis, quæ etiam nunc in eadem visitur.* Ita sæpè citatus.

Stupenda omnibus ejus patientia.

Iobi redivivi exemplar.

Rapta Spiritu cœlesti interest Curiæ.

Supremus hic idem annus fuit Reverendissimo & Amplissimo Domino Gaspari, celeberrimi Jnferioris Germaniæ Cænobij Gemblacensis Abbati, Præsuli omnibus numeris absolutissimo, insigni & meritissimo, Monachicæ Disciplinæ promotori vivo Virtutum omnium exemplo & exemplari, qui sacris filijs suis nihil imponendum oneris censuit, nisi ipsus insimul susceptisset, & in se ipso exercens probasset, dignè Symbolo suo se habens in omnibus, quod ipse sibi elegerat: *Benè, qui per se,*

Gaspar Abbas Gemblacensis.

Symbolum ejusdem.

adno-

adnotans juxta, quanti referret, Principes & Præsules, si benè præesse vellent, omnibus rebus & negotijs ipsosmet adesse, nec alienæ curæ nimium fidere. Decessit 18. Novembris magno sui relicto desiderio.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LIV. Sancti Patris Benedicti. M. C. LXXIV.

Perpetuus Ven. Sacramenti cultus apud nostras.

MAjore quàm ante annũ solemnitate, perpetuum nunc Sanctissimi Sacramenti Cultum apud nostri Ordinis Virgines instituit Anna Maria Hispana Philippi III. filia, Quarti soror, Christianissima Galliarum Regina, Ludovici XIII. conjux lectissima, mater ejus qui hodie Regno Nobilissimo & amplissimo imperat, Ludovici XIV. interfuitq; Ipsa celebri omnino pompa Festo Magni Ecclesiæ Doctoris Gregorij, quod in feriam V. sacram aliàs Venerabili Sacramento incidit: Officio coram ipsa solemnissimo decantato, & novi Instituti Regulis & causis, per R. P. Domnum Placidũ Rousselium prælatis. Duæ autem potissimum Institutionis istius Cultus causæ assignantur; quarum prima est; ut singularis Cultus exhibeatur Christo, qui semetipsum in hoc sacro Mysterio exinanivit. Altera, ut irreverentiæ, injuriæ, & blasphemiæ ab impijs & sacrilegis hujus venerandi Sacramenti hostibus factæ, perpetuo reparentur. Sanctimoniales hujus Instituti Augustissimum illud Sacramentũ perpetuo adorant. Huic diu noctúque funè ad collum alligato, cereo in manu accenso, trementes assistunt; seque tanquam victimas pro injurijs huic Divino Amoris Mysterio, præsertim ab Hæreticis illatis offerunt & immolant. Virtutes præcipuæ istius Instituti sunt, solitudo, vita abscondita, profunda Humilitas, sui abnegatio, mors ipsa actualis, ut Virgines istæ humilem Christum, despectum, derelictum, oblatum Deo Patri, morientem in Cruce sequantur, & imitentur. Totum est sanè Virginũ illarum studium conformes fieri imaginis Jesu Christi; qui cum in hoc Sacramento sit pretium Redemptionis nostræ, & victima læsæ Divini Numinis Justitiæ satisfaciens; illæ etiam hæc munera æmulantur, peccatores à flagitijs redimunt, Christum iratum blasphemijs impiorum, placant; ac tandẽ sicut Christus mortuus est, pro peccatis nostris, factus victima Deo suo Patri, illæ etiam pro sacrilegijs, huic adorando Eucharistiæ Sacramento illatis, se tanquã victimas Christo offerunt, quin etiam dissolui & mori cupiunt. Pergit sæpe allegatus scriptor; Notandũ præsertim, inquit, in hac devotissima & saluberrima Institutione, nihil esse, quod impediat, quo minus illæ Sanctimoniales Benedictinæ sui Patris Magistrã sequantur Regulam, quin imo tanta est hujus Institutionis, & Regulæ Sanctissimi Monachorum Patris & Ducis Benedicti conformitas & similitudo, ut quas hæc præscribit Virtutes, ista jubeat penitus observandas, &c. Incredibile penè dictu quantus se paulo post fructus in religiosissimis cæteroquin sacris hisce Virginibus, ab hujus Instituti usu prodiderit, talis omnino, qualem in seseipsa quævis, multo autẽ magis in collegis mirari satis non poterant, & animadvertebant exteri quivis fœminæ ac viri sæculares, ita ut neno non Sanctissimi Sacramenti efficacissimam in ijsdem operationem, manifestissimis deprehenderet signis, devotione quotidie apud eas crescente; ita ut ægre admodum à contuitu tanti Sacramenti avellerentur, mirificè traherentur, mirabilique quodam æstu amoris castissimi & vehementissimi, ad omnium Virtutum studia accenderentur, Regina Anna tantopere ad easdem affecta, quasi utero suo omnes edidisset, quas etiam filiarum nomine dignabatur. *Ex R. P. Amando Tribout, &c.*

Intentio Instituti.

Conformitas cum Crucifixo.

SS. Regula & Instituti conformitas.

Manifesta signa Divinæ Gratiæ.

Eligitur hoc anno summo totius amplissimæ Congregationis Bursfeldensis plausu & gratulatione Generalis ejusdẽ Præses Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Dn. Henricus Ducker Abbas celeberrimorum Sacri Romani Imperij Monasteriorum, S. Ludgeri Werthinensis & Helmstadiensis, Monasticæ disciplinæ promotor ferventissimus, Præsul planè incomparabilis omni virtutũ genere cultissimus, summæ apud summos æque & infimos, pro egregia vitæ integritate auctoritatis, qui & suum Cœnobium & Ordinem universum insigniter demeruit, cujus unius laudes peculiarem tractatum merentur, & revera hoc ipso tempore, adeo totâ Germaniâ Ordo noster fronduit, floruit atque ejusmodi fructus edidit, ut vix ullum uspiam Monasteriũ esset,

Henricus Ducker Abb. Wertin. & Helmstad.

Florens in Germania Ordo.

è quo se non & Dominorum Abbatū, & Religiosorum plurimorum, cum singularis eruditio proderet, tùm sanctioris & perfectioris vitæ manifesta se signa proderent; omnia & merito ad BENEDICTI Patris & Parriarchæ in suis REDIVIVI, DEIque in primis Optumi Maximi gloriam referenda.

IESU CHRISTI ANNUS S. M. DC. LV. Sancti Patris Benedicti. M. C. LXXV.

Obijt Antonius Roore Abbas Tornacensis

MAgni occasu syderis luget hoc anno Belgium Reverendissimi & Religiosissimi viri Antonij Roore Abbatis S. Martini Tornacensis obitu, seu potius ad superos abitu tristissimū. Js Magni illius Abbatis Jacobi de Marquais, olim discipulus, magnarumque deinceps virtutum, pius æmulus, imo idem deinceps quasi per omnia extitit, in quo nihil non sanctum & egregium effulsit. Fuit Disciplinæ Monasticæ & rei litterariæ promotor singularis, suóque vitæ exemplo non tantum ad perfectionis studium plurimos invitavit, sed incitavit & utilissimè pertraxit, Præsul magnorum meritorum. Bibliothecam splendidam à fundamentis erexit, quam etiam innumeris penè libris adauxit. Devotionis studio deditissimus fuit, inq; meditatione & oratione totus sacris ignibus exarsit, ut flammescens igne charitas, non posset non ardore proximos accendere. Biennio ante obitum Coadjutorē sibi adjunxit, qui temporalia curaret, totum sese deinceps in Divina effundens, & ad mortem præparans, qua & feliciter hoc anno, in Vigilia Sancti Thomæ Apostoli decessit, sub quartam matutinam se lectulo propipiens, & in genua procidens, ut cor suum in conspectu Domini inter ardentes preces effunderet; quas inter phlegmate oppressus quietissimè spiritum exhalavit, regiminis anno 33. *Ex Monimentis præfati Cœnobij.*

Sanctissimè inter preces genuflectens obijt.

Nec minus inter sacras DEO Virgines nostras inferioris Germaniæ pia contentio & æmulatio inter Monasteria hoc ipso tempore viguit, cum quodvis alterum laudabilissimo sacri profectus studio superare satageret. Ex his felicissimæ recordationis Catharina Leing Abbatissa seu Mater amantissima S. Joannis Baptistæ Monasterij Clusensis exemplo cum omnibus esset, isto tantum potuit, ut ad illud multa alia Cœnobia se converterent & componerent; quam tamen hoc ipso etiam anno Optumum Numen ad præmia laborum sempiterna evocavit, uti & Agnetem S. Egidij Monasterienſis Urbis Abbatissam, è Dominis de Merveldt oriundam, cum inter magnas patriæ turbationes imperturbata, ipsa annos quadraginta, Monasterio suo utilissimè præstitisset; & admirabili rerum successu disciplinam monasticam prolatasset, ita ut inde sibi non solùm plurima Monasteria exemplaria perfectioris vitæ expeterent, sed & Abbatissas postularent, uti Monasterium S. Gertrudis prope Osnaburgum Barbarā ab Hovel, Osterholtanum Joannam de Davensperg, Sancti Vdalrici Paderbornenſe Sophiam de Wendt sibi assumpsere. Obijt zelosissima hæc Agnes nostra hoc ipso anno ultima die Februarij, non magno sui apud suas solummodo relicto desiderio, sed apud diversorum Monasteriorum sacras Virgines, quæ ad ipsam tanquam communē omnium Matrem respexerant, haud minimo etiam fructu in ipsos etiam sæculares, ab egregio ejusdem vitæ exemplo redundante.

Agnes Abbat. S. Egidij Monasteriensis.

Exemplaria sibi petunt varia Monasteria.

Nec requirenda in tam manifesto Divini Spiritus, cui Sanctissimus Patriarcha Noster BENEDICTUS servivit, regimine, tantis nostra ætate exemplis comprobato, in tam manifestè Numini devotis viris ac Viraginibus, miracula, etsi nec ipsa quidam in hâc mundi senecta deessent. Cujusmodi hoc ipso etiam anno, tanto post obitum Reverendissimæ & Serenissimæ Antonietæ Aurelianensis Principis, præcipuæ olim Calvariensium nostrarum Jnstitutricis sese prodidit. Sed de hoc Calvariensium rerum syncerissimum & Religiosissimū Scriptorem audiamus: *Multa*, inquit, *DEUS Optimus Maximus miranda meritis gratissimæ sibi famulæ operari dignatus est, quæ alto & prudenti sepulta silentio volunt dignæ humillima parente modestissimæ Virgines, Divinæ Providentiæ, quæ mirabilis est in Sanctis suis, committentes ea palam facere, quæ sibi amplius ad gloriam & meritam commendationem cessura intellexerit. Id unum notum omnibus, quod pluribus fide dignissimis cognitum est, cupiunt. Videlicet*

Ven. Antonietta Pr. Aurelian. miracula à morte claret.

Catharina Abbat. Clusensis.

anno

anno Domini milleſimo ſexenteſimo quinquageſimo quinto, die vigeſima quarta Martij (in feſto S. Gabrielis & pervigilio Annuntiationis) cùm de mandato ac licentia Vicarij Generalis, Illuſtriſſimi Præſidis Pictavienſis, terram effodi curaſſent, ubi ilia præfatæ Anthonietæ alibi humo mandata fuerant. Vix patuit ipſa humus, cum inuſitato odore violas roſaſque ſpirante, perfuſum ſe obſtupuit latomus; qui quo magis terram proſcindebat, eo gratior & ſpirantior odor ipſe efflabatur. Omnes Pictavienſis Domus Moniales, multique alij eodem odore ſuffuſi ſunt: qui libris, epiſtolis, chartis, linteis, pannis, ſericis, omnibus denique vaſis, quibus nonnihil pulveris illius, in quem dicta ilia redacta fuerant, aſperſus, cæleſtem eundem odorem indebat: quem quidem Divinum quid ſapere, nec naturalem fuiſſe conſtat, eo clarius, quod nullis aromatibus condita illa fuiſſe viſcera certũ eſt; imo calce viva copioſiſſimè perfuſa. Multi ijs corporis partibus quibus laborabant, modicum quid ſacrorum cinerum inſpergentes ſtatim convaluiſſe, multi quamprimum mitigatos fuiſſe dolores, gratulantur quotidie; dictuſque odor mirantibus omnibus, perennis ipſis cineribus hæret. Ita citatus Author.

Inuſitata fragrantia ab Illis ſepultis.

Multi infirmi curatii.

IESU CHRISTI ANNUS. M.DC. LVI.
Sancti Patris Benedicti. M.C.LXXVI.

PRæter mirabiles effectus & fructus in Regia ſua Domo & Reſidentia Matris Gratiæ, Montſerratenſi, nec non tota, ab eadem cognominatâ, eductâ, & educatâ ampliſſimâ Ordinis Benedictini Congregatione, virorum ſcilicet, in ſumma Virtutum omniũ eminentiâ ſumè conſpicuorum & illuſtrium, non minus tamen ſeſe Materfamilias illa Virgo Virginum ſub Titulo Matris Sapientiæ, Admirabilem hoc ipſo tempore, Hiſpanijs & Orbi univerſo comprobavit: dum ex Gymnaſio illo & promptuario ſanctitatis, eruditionis non minus ſplendores, tanquam è Firmamenti ſui theſauris, ſydera in theatro orbis, mirabiliter produxit; neque multo minus quàm in Hermanno Contracto, & Ruperto Tuitienſi, noſtris, verè Admirabilem ſeſe Matrem prodidit, dum in horũ dictatis & ſcriptis, non minùs, quàm in illorum excelleret. Paucos, qui noſtra vixere ætate, & multi etiamnũ ſuperſtites ſunt, cùm ad ſuum quemque locum inſerere nequiverimus, recenſeamus.

Mater Sapientiæ in viris eruditis ſuæ Montſerrat. Congregat. ſe prodit.

Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus P. D. Antonius Perez Archiepiſcopus Cæſar-auguſtanus, &c. de quo paulo ſupra, alia inter ſcripſit: *Lauream Salmantinam, Pentateuchon Fidei*, item *tres Tomos ſupra Regulam S. P. N. BENEDICTI. Quatuor Tomos in lingua Hiſpanica de Conceptibus Evangelicis.* Item *Authenticam Fidem quatuor Evangeliorum*: & plura alia.

Scriptores Benedictini Monſerrat. Congr.

P. D. Prudentius de Sandoval, ſcripſit *Hiſtoriam Caroli V. imp. & Regis Tomis duobus.* Item *plures alios libros Hiſtoricos de diverſis Regibus & Provincijs.*

P. D. Ildephonſus de Sancto Victore, ſcripſit linguâ Hiſpanicâ *duos Tomos, inſcriptos Sol de Occidente.* Item *contra Gallonium, & Patres Baſilianos arrogantes ſibi antiquitatem habitus.*

P. D. Joſephus de la Cerda, vir eruditiſſimus, ſcripſit *De Verbo Incarnato; duos item Tomos Commentariorum in Iudith*, plura alia incomparabilia.

P. D. Didacus à Sylva ſcripſit *ſex Tomos in Partes Divi Thomæ Doctoris Angelici, & de facto pergit ſcribere varia digna nomine ſuo, & ipſa immortalitate.*

P. D. Joannes *Caramuel* de Lobkowitz, nunc Archiepiſcopus Otratinus, quanta ſcripſerit novit etiam Germania noſtra, & Europa univerſa.

D. P. Franciſcus de Lemos ſcripſit *ſupra Hieremiam Prophetam Commentaria.*

P. D. Andreas de Moneda ſcripſit *Curſum Theologicum & Philoſophicum*, & plura molitur.

P. D. Didacus de Macilla, ſcripſit *ſupra Concilium Tridentinum, Pentateuchon Fidei*, & alia plura reliquit magni ingenij monimenta.

Viri illuſtres Ord.

P. D. Didacus Malodeanduza, etiamnum ſuperſtes, ſcripſit *ſeptem libros Concionum* in lingua Hiſpanica.

P. D. Antonius de Jepez *Hiſtoriographus Ord. de hoc Tomos VII.* doctiſſimè elaboravit.

P. D. Joſephus de Argais, ſcripſit *quatuor Tomos de Annalibus Regum Hiſpaniæ*, vivit hucuſque & ſubijcit prælo opera quatuordecim.

P. D. Antonius Gomez, ſcripſit librum cujus Titulus *Moyſes Hiſpanicus*: & *tres Tomos de Conceptibus Evangelicis.*

P. D. Petrus de Miranda, ſcripſit *de vera ſcientia* & plura hodie meditatur.

P. D. Fulgentius de Oviedo ſcripſit utiliter *de Theologia Morali.*

P. D. Antonius de Alvarado scripsit duos Tomos: *De arte benè vivendi*, & unum alterum Tomum, *de arte benè moriendi*.

P. D. Benedictus de la Serna Generalis Ordinis: Scripsit *de Conceptione B. Matris Virginis* Stylo Scholastico.

P. D. Franciscus Crespo, Monachus Montserratensis in Hispania, Confessarius Domini Joannis de Austria filij Philippi IV. Regis Hispan. scripsit & ipse librum insignem *de Conceptione B. MARIÆ Virginis*.

P. D. Joannes de Reynoso scripsit librum Hispanico idiomate, cujus Titulus est. *Lux de Luces de Dios*.

P. D. Hieronymus Laureto Monachus Montserratensis scripsit *librum Allegoriarum in totam Scripturam sacram*. Item *Indicem Virorum & Mulierum Illustrium, qui in sacra scriptura inveniuntur*. Dicitur vir iste sua ætate tot tantósque libros evoluisse, ut nemo ei æqualis inventus fuerit. Hujus Elogium scripsit supra Commentaria in Prophetas P. D. Franciscus Reivera.

P. D. Josephus de Aguirre, scripsit librum æternitate dignissimũ, cui Titulũ imposuit: *Ludi Salmanticenses*. Pergit scribere in Monasterio S. Vincentij Salmantino, ubi & Professorem publicum agit in Universitate.

Viri illustres eruditione.

P. D. Leander à Granata filius aut nepos Regis Granatæ nomine *Parvus*, scripsit *Revelationes, & Vitam Sanctæ Matris nostræ Gertrudis* in lingua Latina & Hispanica.

P. D. Gregorius de Alfaro professus S. Vincentij Salmantini, scripsit varia opera, præcipuè *Commentaria in sanctam Regulam*, traxitque in linguam Hispanicam opera Ven. Ludovici Blosij.

P. D. Joannes Castaniza vir insignis scientia & vitæ sanctitate, scripsit *Vitã S. Romualdi*; Item *Conceptus Evangelicos*.

P. D. Ludovicus de Leon Abbas S. P. BENEDICTI Hispalensis, scripsit *Conceptus Prædicabiles supra Regulam S. P. N.*

P. D. Anselmus Gomez scripsit accuratè *Theologiã Moralẽ*, & laborare pro bono publico & posteritate non desinit.

Hos è multis paucos enumerare libuit, placet & Professorum Cathedraticorum in Universitatibus Hispaniæ, aliquot recensere nomina, qui magnis sese meritis amplissimis Regnis plurimùm commendarunt, & alij non multo antea mortui, alij usque hodie benè mereri non desinunt.

Professores Benedictini Cathedratici in Universitate Salmanticensi.

Professores Benedictini.

P. D. Josephus de la Cerda Cathedraticus Primarius Theologiæ ibidem.
P. D. Maurus de Somoza Cathedraticus Primarius Scripturæ.
P. D. Rudesindus Alvarez Cathedraticus Sancti Thomæ.
P. D. Placidus de Puga Cathedraticus ibidem Durandi.
P. D. Antonius de Castillo Cathedraticus Philosophiæ Naturalis.
P. D. Gregorius de Quintanilla Cathedraticus linguæ Hebraicæ.
P. D. Philippus Bahamonde Cathedraticus Philosophiæ & Abbas Collegij Salmantini, usque hodie superstes, uti & plures ex dictis.
P. D. Benedictus Seaules Cathedraticus Professor Linguæ sanctæ.
P. D. Josephus Gomez Carhedraticus Professor Dialecticæ.
P. D. Josephus de Aguirre Cathedraticus Philosophiæ Naturalis.
P. D. Franciscus de Borgia Cathedraticus Vespertinus Theologiæ.
P. D. Antonius Peretz Cathedraticus Primarius Professor Theologiæ.

Professores Cathedratici ex Ordine nostro Universitatis Ovetanæ.

Professores Benedictini.

P. D. Gabriel de Puga Professor Cathedraticus Primarius Theologiæ.
P. D. Petrus de Pacos Cathedraticus Professor Philosophiæ.
P. D. Josephus de Carmona Cathedraticus Primarius Theologiæ.
P. D. Placidus de Salazar Cathedraticus Primarius Theologiæ.
P. D. Martinus de Reynoso Cathedraticus Primarius Theologiæ.
P. D. Bernardus de Ontiberos Professor Cathedraticus Primarius Theologiæ.
P. D. Maurus Martinez Professor Cathedraticus Theologiæ Vespertinus.
P. D. Maurus de Annel Cathedraticus item Theologiæ Vespertinus hodie.
P. D. Gregorius de Sylva Cathedraticus Primarius Theologiæ hodie.
P. D. Didacus Munnos Cathedraticus nuper Primarius Theologiæ.
P. D. Franciscus Munnos Professor Cathedraticus Theologiæ Primarius.
P. D. Joannes de Reynoso Cathedraticus Primarius Theologiæ.
P. D. Franciscus Zeballos Professor Cathedraticus Primarius Theologiæ.
P. D. Placidus de Quiros Cathedraticus Professor Primarius Theologiæ.
P. D. Anselmus dela Torre Professor Cathedraticus Scripturæ sacræ.

P. D.

P. D. Benedictus Canseco Professor Cathedraticus Philosophiæ.

P. D. Franciscus Crespo Professor Cathedraticus Primarius Theologiæ.

Professores nostri Ordinis in alma Universitate Compostellana.

Professores Benedictini.

P. D. Didacus de Macilla Professor Cathedraticus Primarius Theologiæ.

P. D. Franciscus Seyxas Professor Cathedraticus Primarius Theologiæ.

P. D. Placidus de Lyma Cathedraticus Professor Primarius Theologiæ.

P. D. Franciscus de Gambero Primarius Professor Cathedraticus Theologiæ.

P. D. Didacus de Aravio Professor Cathedraticus Primarius Theologiæ.

P. D. Didacus de Heria Professor Cathedraticus Primarius Theologiæ.

P. D. Petrus de Soria, & ipse Cathedraticus Professor Primarius Theologiæ.

Professores Cathedratici è nostris Vallisoleti.

P. D. Placidus de Puga Cathedraticus Primarius Professor Theologiæ.

P. D. Joannes de la Guerra, Professor Cathedraticus Primarius Theologiæ hodie.

In Universitate Hispalensi.

P. D. Martinus Zannarto actualis hodie Cathedraticus Theologiæ.

In Universitate Hyrachensi.

Hæc tota spectat ad Benedictinos, ubi semper sunt Professores & Regentes Universitatis Ordinis nostri omnes.

Nec minus in Universitatibus Lusitaniæ Ordinis nostri Patres, Primarias aliásque Cathedras summa cum nominis gloria occupant, & in hodiernam usque diem de Regno etiam illo optimè mereri non desinunt, quorum tamen nomina, ut & aliorum fama perfectionis celebrium, per tantos Regni nobilissimi motus & fluctus habere necdum meruimus, sed expectamus.

IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.LVII.
Sancti Patris Benedicti. M.C.LXXVII.

Etiam Germania & Gallia. Viros Doctos ex Ordine multos numerat.

NEc tamen æstimes velim desiderari ejusmodi in Gallijs, ac Germania eruditionis exempla, tanta deesse merita, cùm & hæc Salisburgum suum, ut Hyrache Hispania, nec minore cum gloria, Cathedras omnes occupet, & Parisijs, Dolæ, alijsque universitatibus Galliæ nostræ Congregationes tales sæpius viros dederint, quos universa merito posteritas & admiretur & veneretur. Retinent autem penè innumeros, sacris ultro & sponte velut Theatri carceribus clausos, hostibus DEI & Ecclesiæ debellandis instructissimos, quin & paratissimos, summis Cathedris dignissimos, profundissimarum meditatione rerum in DEO absorptos, contemptu Cathedrarum, omnisque gloriæ glorioſissimos, suâ Jugi Dominici bajulatione contentissimos, gratias summas agentes Numini, eminere quoscunque, dum ipsi lateant; parati tunc in prælia Domini consurgere, si necessitas Ecclesiæ deposcat, si amor proximorum urgeat, cum Paulo dicentes, *in quo quis audet, audeo & ego.* Interim orationi intenti, & effundentes sicut aquam cor suum in conspectu Domini, levantes ad ipsum manus suas, pro ijs, quorum tota vita in sudore est, & labore, pro gloria Numinis, sæpe sæpius, plùs proficiente apud DEUM ter Opt. Maximum horum intentione, quàm illorum opere, in quorum gratissima sibi animi demissione Numen mirificè delectatur, & hujus unius intuitu, mirabilia in peccatorum conversione, simplicium instructione, & præcipitis mundi conservatione operatur. Ex his Simplicianus Gody, morũ quàm nominis simplicitate clarior, dum dignior sublimibus Cathedris esset, humilibus & simplicibus cum JESU suo convivere maluit, quàm Regum Aulas sequi, & inter Theologos eminere, humaniora studia professus, & Cathechismi professione inter parvulos parvulus, tanto propior Numini factus, quanto in oculis suis minor, evanescere in oculis mortalium cupijt, vir per omnia magnus. Lusit proin cum pueris, & inter pueros, attraxisse in Ludum visus, & colludentem meruisse, illum, qui humilia mundi elegit, *& cum simplicibus est Sermocinatio ejus.* Audi docentem pueros, & huic colludentem.

Simplicianus Gody.

Dilectissime Sponse, darogantem
Sic me posse tibi reciprocare:
Sim totus tuus. Ipse nam meus Tu.
Sim florente fide: Fidelis es Tu.
Sim gratus Tibi: Gratiosus es Tu.
Sim aptè compositus: Decorus es Tu.
Sim ferventer amans: Amas & ardes.
Sim constans animi: Manens adhæres.
Qua sensum cruciant amara, dura
Sint pro reliquijs Tui cupita.
Pro Te Crux placeat mihi merente:
Pra Te nil placeat mihi placente.

Ejusdem lusiones.

Ita pueros ludere docuit, ipse serio lusit; nec possumus quin & altera vice ludentem producamus:

IESU

IESU potentum maxime,
Me noverim, Te noverim:
Te præter unum sit nihil,
Cujus trahar cupidine.
Odisse me semper velim,
Amare Te non desinam;
Rerumque quidquid egero,
Laudi Tuæ deserviat.
Me criminosum deprimam,
Dum nomen exaltem tuum:
Ac sola cogitatio
Tui meum cor impleat.
Sensus rebelles edomem,
Vivam Tibi commortuus:
Et undecunque res cadant,
Te providente perferam.
Me certus hostis persequar,
Te vel Crucem passum sequens:
Et summa votorum sit hæc,
Te posse tandem consequi:
Eam procul me longius,
Adhæream tenax Tibi:
Tantóque sub tutamine
Me nulla vincant prælia.
Timens mihi, Te sed timens
Sim tutus inter anxia:
Et in libro viventium
Prædestinatorum legar.
Hinc vitè diffidam mihi:
Hinc nixus in Te subrigar.
Ac intuens in Te velim
Parere semper subditus.
Movere me nihil queat,
Quod sensibus non ingeras:
Quo diligam Te fervidus,
Tu me faventer aspice.
Vivendus à me fac eam
Hoc liber ægro carcere:
Ac Te Bono summo fruar
In sempiterna sæcula.

Omnia plena Spiritu.

Ita simpliciter Simplicianus noster & docuit pueros ludere, & ipse lusit, longè serioſius agens cum in contemplatione absorptus Numini se sisteret, sibi ereptus, & revera Ipsi soli vivens, qui pro ipso mortuus est, & resurrexit. Sed volentem ac volantem ad simplices suos remittamus.

Aliam personam pro theatro orbis agens, non minore plausu spectaculum DEO, & Angelis, & hominibus factus Illustrissimus & Reverendissimus Dominus P. F. Joannes Manuel de Espinosa Beatissimæ Matris Virginis Montserratensis Asceta, ob egregiam vitæ perfectionem ad Generalatus Benedictini apicem evectus, in eo quanto sublimior, tanto humilior extitit, nihilominus multam sibi auctoritatem ipsâ integritate, & Disciplinæ Monachicæ conservandæ zelo comparavit, ob egregia vitæ merita sub hoc ipsum tempus, toti Regno Hispaniarum, è Pontificali Cathedra Urgelitana suspiciendus, exemplar eximiũ veri, & solliciti Pastoris, verè Domesticum Cœlorũ Augustæ se comprobans, de quo sibi Regnum universum merito gratuletur. *Ex Francisco de Argaer.*

Joannes Manuel de Espinosa.

Nec minore virtutis famâ, non Hispanijs solum, sed ipsis quoque Jndijs illuxit Reverendissimus Dominus P. F. Didacus de Heria, ex Monacho & Abbate S. Martini, Compostellanæ Urbis Monasterij Episcopus de los Angelos novi Orbis; Vir Apostolico Zelo, omnique virtutũ cultu verè illustrissimus; hoc ipso tamen anno, ad præmia æternitatis vocatus, de Regibus æquè ac subditis meritissimus, de quo, inter alia scribitur: quod rebelles Jndos contra Gubernatores, & exactores Vectigaliũ, mittendo eis baculũ pastoralem, promittendóque veniam sedaverit & placaverit, rebellione alioquin illiâ magna secum incomoda Regum fortunæ, Hispanorum saluti, ipsisque Ecclesijs allaturâ.

Didacus de Heria Episcopus de los Angelos.

Mirè rebellionem Jndorum compescit.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LVIII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LXXVIII.

ANnus supremus hic est mortalitatis, Beatissimæ & glorioſissimæ memoriæ Abbatissæ Montis Martyrum Mariæ de Bellovillare, aliàs à Spiritu Sancto in professione cognominatæ, Jllustrissimæ S. Aniani Comitissæ, quæ miraculum planè suæ ætatis à prima ætatula fuit, cacodæmoni in primis incunabulis invisa, & jam tunc metuenda, cui jam tunc vitam, quam vix hauserat, sed frustra eripere multimodis aggressus sit. Nutrici siquidem ejus in forma gigantis nigerrimi multoties se videndum exhibens, ac quà minis, quà promissis, credulæ mulierculæ illudens, ipsam ad occidendã infantulam instigavit. Quod ubi aggreditur impos sui fœmina, ferali rabie strictum cultrũ in guttur insontis puellæ jam adigens deprehensa, fatetur facinus, ac tanto discrimine raro DEI beneficio Maria eripitur. Et revera, haud vano metu laborasse cacodæmonem, postea

Ven. Maria de Bellovillare Abbatissa Montis Mart.

Cacodæmoni infantula etiamnum metuenda.

postea innotuit, cum uti Magnus Archidux & Patriarcha noster BENEDICTUS, ipsum ultima Italiæ possessione, è castro inferi munitissimo Casini Monte dejecit, ita Maria nostra, ipsum, ipsa sacra Martyrum loca temerare, profanare & occupare ausum, Omnipotentis freta auxilio Monte Martyrũ exturbavit, & arenam triumphi primorum Galliæ Apostolorũ & Martyrum, Virago generosissima, illorum denuo honori potenter asseruit, & immortaliter Parisios Urbem Regiam demeruit, Gallias non minus, quàm Ordinẽ demerita universum, non sacras solum Virgines, sed viros etiam admirabili vitæ exemplo, ad REDIVIVI in ORDINE primævi Spiritus fervorem animando & concitando. De cujus cum dæmone ejusq; membris luctu & agone deque vitæ meritis jam aliàs suo loco, uti & de Coadiutrice senio suo ascitâ Serenissima Francisca Renata Lotharingiæ & Guisiæ Ducissa. Laudatum toties vitæ scriptorẽ audiamus: *Roborata tandem*, inquit, *oneris Abbatialis ferendi tam illustri ope, totam se DEO, Divinisque addixit: testata quotidie beneficiorum DEI in se præstantissimorum gratissimi animi justam memoriam: maximè vero, pro servato, solâ gratiâ opitulante, illibatæ pudicitiæ, Vernantissimo flore, cui innumeras insidias ob incredibilẽ oris corporisque formæ elegantiam, teneriorisque genij indolem in tota vita, sed in adolescentia maximè, casso tamen, & irrito semper conatu, struxit, Virginum juratissimus æmulus Cacodæmon. Nullum fuit belli genus, quo vitâ chariorem pudoris thesaurum, præripere insonti puellæ, aliosque omnes ex semetipsâ metiendi, cum minis, tum promissis ac quibuscunque blanditijs, multoties non tentaverit, victrice tamen semper Virginis pudicitiâ, insidiasque omnes feliciter advertente & eludente.* Verum morte brevi, mundo evolatura, animã mundanorum omniũ studio eximebat, humilitate adeo demissa, ut imparem ad omnia sese canem appellaret, jure fimo & luto addicendam. Ingemiscebat ad quævis sororum obsequia, & quibuscunque laudibus obsurdescens, solo Crucis & sanctæ Humilitatis imperio delectabatur & gloriabatur: in hoc duntaxat humilem esse se posse negabat, privari nimirum mentem suo sacro pabulo, Corpore videlicet & Sanguine Domini, hoc enim ali Angelico cibo amorem suum, hoc vivere, hoc innutriri & confortari dicebat. Quare frequentissimè ad sacram synaxim accedebat, experta se pharmaco hoc ad immortalitatẽ præparari, & se spiritaliter verè impinguari. Ultima die, qua cœlestibus dapibus pasta fuit, tanto amore cœlestium exarsit, ut jam Beatitudinis ipsius frui delitijs videretur, vehementissimè cupiens dissolui & cum Christo esse, obnixè omnes precata, ut de Divinis tantum secum agerent, solita in hæc amantissimæ, fervidæ, & jam cœlo præludentis animæ suspiria frequentissimè prorumpere. *Prô, ! quantum est DEO frui, quàm gratum! quàm optabile!*

De Gallijs & Ordine universo optimè merita.

Ejus illibata in omni vita Virginitas.

Nihil contra intentatum Cacodæmonem.

Cœlestibus consolationibus fruitur.

Cessit è vita, cedente votis ipso Numine, plena dierum, & copiosissimis Virtutum omnium opibus, prædives, non tam morte, quàm suavissimo somno correpta ætatis absoluto octuagesimo tertio, quarto inchoato, professionis sexagesimo septimo, professo die inventionis Sacrarum Reliquiarum, Beatorum Martyrum Dionysij, & Sociorum, quos semper peculiari Religione & pietate coluerat.

Sanctissimè defungitur.

Exequiæ celeberrima pompa, & frequentissimo nobilissimorum quorumque concursu & confessu celebratæ sunt, incredibilem tantæ Matris jacturam tantique syderis occasum, nunquam exhauriendis lachrymis deflentibus, & exteris, & domesticis. Corpus humo mandatũ ante ferream cratem Chori superioris, marmore superposito cum hâc Epigraphe:

Beatæ memoriæ Religiosissima Domina Maria Belluarensis à Sancto Aniano septem annos nata; in Abbatia de Parco educata fuit, decem, ab Henrico III. eodem Abbatia donata; sexdecim, professionem emisit in Monasterio Bellmontano, prope Turones, viginti duos, ab Henrico II. Monmortano præfecta, quod prudenter sanctèque rexit ad annum ætatis octuagesimum quartum, quo DEUS ejus senectutem & merita coronavit. Sanctus hic mons ei debet gloriæ suæ incrementum, Regina hæcce Domus Reformationem suam, quæ prima in Gallia existens, omnibus Benedictinis monialibus Idæa est & exemplar; Monasterium Martyrum instaurationem; Virgines Pœnitentes dictæ statum tristinum; Lutetia innovationem suæ in primarium Apo-

Ejus Epitaphium.

sto-

stolum Dionysium, ejusque insignes socios pietatis; ducentæ viginti septem puellæ, velum Monasticæ Professionis, sibi ab illa impositum; Monasterium Episcopovillense erectionem; Vallis gratiæ primævum Beatæ Matris Margaritæ d'Arbouse fervorem; plurimaque alia sacri Ordinis ædes & institutia, missis ab ea ad ipsas Monmortanis Sanctimonialibus. Humilitas respuentis mundana omnia, ardor devotionis, Paupertatis & Heroicæ puritatis amor, ejusdemque pro Reformatione Regularium Ordinum omnium ardens desiderium, concepta à spectatissimis & celeberrimis hujus ævi viris fama & virtutis & ingenij suadent tantæ Matris memoriam observantissimè & æternum percolere, maximè vero studium Illustrissimæ & Religiosissimæ Dominæ Franciscæ Renatæ à Lotharingia, quæ abdicatâ S. Petri Remensis Abbatiâ, sponte ejusdem Coadiutrix per quatuordecim annos exstitit, eamque præsenti Mausoleo condi in monumentũ pietatis posteritatis exemplum, & amantissimarũ filiarum solatium & levamen singulare curavit. Requiescat in pace Amen.

Nata fuit, ut supra diximus anno Christi 1574. die 25. Aprilis, & cum attestante Epitaphio ad annos octoginta quatuor perrigerit, necesse est hoc præsenti anno, & non 1667. ut nonnulli volunt, decessisse, alioqui ætatis annum nonagesimum quartum attigisset, uti rem benè expendenti ad oculũ patebit.

Quin & alterum, haud minus illustre priore misit hoc ipso etiam anno, ad Cœlum Empyreum sydus, Sanctorum prægnantissima novissimis etiam temporibus Gallia, sanctæ memoriæ Ludovicam à Passione cognominatã, verè Martyribus accensendam; adeo ipsa rigidam sui corpusculi carnificem egit, ne frustra à Passione diceretur. *Ven. Ludovica.*

Hæc per triginta annos, Observantiæ Regulari indefessè addicta, nulla morborum violentia, nulla impedimentorum sarcina, à solitis jejunijs, orationibus, vigilijs alijsque Calvariensium exercitijs remorari se passa, nedum abstrahi; contenta minimè quæ rigor exigebat instituti, in edomanda carne & subijciendâ spiritui, & generosa nimis, & ingeniosa etiam extitit. Nunquam ad ignem, in ipsa rigidissima hyeme accessit, mille artibus, & sacris dolis sibi imitis, atque imiseri cors mortis ipsius minis vita illudere, & concertare, nec pedem referre, sed ultro congredi, nec minus hostiliter, quàm illa in seipsam esse; namque brachio gangrenâ tabido, diu dissimulans horribiles dolores & occultans, in comunes sororum labores, prima, ultima, omnium laboriosissima pro viribus & ultra vires generosissimè incubuit, tantósque dolores ac morte quasi ipsam exercuit; nullam propriæ vitæ & salutis habens rationẽ, donec semimortua ad Jnfirmariam deducta; per id tantum temporis otio & voluptati, ut ipsa loquebatur, indulsit, quod ad sumenda Divina Sacramenta necessarium erat, ijsque religiosissimè sumptis, ad laborum & dolorũ, imo jugis Martyrij præmia hilaris concessit & evolavit, quinta & vicesima Aprilis die hujus anni. *Exscript. rerum Calvariensium, &c.* *Ingeniosa in carne subigenda.* *Juge ejus Martyrium fuit.*

Sed & Hispanijs sub hoc ipsum tempus insigne extinguitur sydus Jllustrissimus & Reverendissimus Dominus P. F. Martinus de Rianno, S. Joannis Burgensis Asceta perfectissimus, ob insignem eruditionem, & facundiam Concionator Sacræ Catholicæ Majestatis electus, ob insignia vitæ merita Pontifex Legionensis designatus, præmatura morte totius Regni expectationi, cujus memoria in benedictione est. *Martinus de Rianno Episc. Legionensis.*

IESU CHRISTI ANNUS S. M.DC.LIX.
Sancti Patris Benedicti M.C.LXXIX.

MErentur plurimum de novi Orbis hominibus Barbaris nostri, & è Barbarie ad omnem humanitatem, mores ingenuos, artes liberales, & omne Virtutis studium traducunt, è quibus Jllustrissimus & Reverendissimus Dominus P. F. Maurus de Tobar ex Monacho, ac dein Abbate S. BENEDICTI Vallisoletani novæ Vizcayæ in Jndijs Episcopus totum sese in salutẽ animarum expendit & exhausit, vir eruditissimus & Religiosissimus ex divite Abbate, solido perfectissimi status studio & exercitio Pontifex pauperrimus, solis meritis dives, qui & hoc anno è vivis decedens, memorabili exemplo suis oviculis comprobavit, minimè auri colligendi causa per tanta pericula in Jndias enavigasse, sed sola animarum lucrandarum causa; & ut se Numini Apostolicis laboribus, & quotidiana sui ipsius mactatione & oblatione consecraret; per omnia Crucifixi amoris sui *Maurus de Tobar Vizcayæ Episcopus.*

exem-

exempla paupertatis & nuditatis pone sequutus. Ejusmodi hoc ipso tempore etiam Jllustrissimus & Reverendissimus P. F. Jacobus de Heria fuit; S. Martini in Urbe Compostellana Monachus Vir & ipse omni eruditione omnique Virtute conspicuus, qui cum in ejusdē Urbis Academia diu primariam in facultate Theologica Cathedram obtinuisset, in Novam Hispaniā ad Jndos profectus, & Bonorū Aerum renunciatus Episcopus, Apostolicâ non solum prædicatione, sed vitæ maximè perfectionis exemplo Jndos ad veri luminis agnitionem deduxit & mereri in omni vita de omnibus studuit. Claruit eodē tempore ex eodem S. Martini Monasterio, propter egregia animi, & ingenij talenta, nec non ob absoluristimæ perfectionis notas, amplissimæ & sanctissimæ Congregationis Generalis assumptus Jllustrissimus & Reverendissimus Dominus P. F. Gregorius Parcero, inde ad Episcopatum Gerundensem, ac demū ad Tortosnensem in Gottholamia promotus, cujus nemo satis sufficiat laudes explicare. Verè lucerna super Candelabrum posita, non minus splendoribus Sanctorum, quàm miræ eruditionis elucescens. *De quo R. P. F. Franciscus de Argaer S. Turibij Asceta.* Nec minori nominis fama Benedicti Redivivi gloriā auget Jll.mus & Rev.mus P. F. Bernardus de Onti veros Sancti Dominici de Silos Monachus, qui cum in Academijs Hyrachensi & Overensi, plurimis annis sacram Theologiam summa cum laude & gratia publicè professus esset, & triginta annorum spatio in Cathedris illis se se præstantissimè exercuisset, primò Abbas Sancti Vincentij Ovetensis, in Generali Capitulo designatus, inde Generalis totius Congregationis consalutatus, mirificè Ordinem universum demeruit, cujus ornamentum revera singulare extitit. Demum ex Abbate Sancti Martini in Curia Regia, hoc ipso anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono à Philippo IV. Hispaniarum & Jndiarum Rege Catholico Episcopus Calagurritanus creatus, uti in omni alio munere omnibus admirabilem & venerabilem sese comprobavit, ita nunc quoque & deinceps omnium percellere oculos & animos pergit, uti antea speculum Virtutis omniū Monachorū, ita nunc perfectissimorū Episcoporū.

Jacobus de Heria Bonarum Aerum Episc.

Gregorius Parcero Episc. Gerundensis & Tortosensis.

Bernardus de Ontiveros Generalis Ord.

Et Episcopus Calagurritanus.

Celebratur hoc ipso anno mirificè Reverendissimus Dominus P. F. Jacobus de Sylva S. Joannis Burgensis Monachus, de quo Franciscus de Argaer, in Theologia sacra, inquit, Scholastica & Expositiva atque Morali, nominatissimus, vivacitate ingenij, ac dicendi facundia abundantissimè præditus, qui Nostræ Congregationis Præfectus pastoris vigilantissimi numeros complet &c.

Jacobus de Sylva vir valde doctus.

JESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LX.

Sancti Patris Benedicti. M. C. LXXX.

NEc possumus quin ex Germania etiam nostra, & tanta tamque piâ omniū Reformationis æmulatione & contentione, unum ex sexcentis Virū Religiosum Benedicto Redivivo connitentem in mediū producamus. Placet ex ijs quos novi & familiarius merui Amicos, & alloquio quotidiano, & litterario comercio, ê quibus hoc anno deploravi defunctū admodum Reverendum Patrem Seraphinum Kirchmayer Styro-Garstensis, in Superiore Austria ad Anassum Ascetam & Priorem dignissimum. Referimus alienis verbis, nequid Amicitiæ dedisse videamur. Jta de morte ejusdē informata Austriæ Monasteria sunt:

P. Seraphinus Kirchmayer.

Nisi hominum exuvias his litteris circumferremus, posset aliquis arbitrari ex vita, & nomine, Angelum esse mortuum. Fuit ille, heu ille, Pater Seraphinus Kirchmayer! Admittite confœderati, si brevi elogio pijs Manibus parentaverimus. Quicunque novit, virum optimum dolebit & virtutem sepeliri. Exactæ vitæ istud est compendium. A puero Lutheri dogma sequutus, Iurisprudentiæ apud Sectarios operam locavit. Legis peritus quidem, sed ex lex ipse, utpote qui ab æternâ lege toto cœlo exorbitaverit, donec Coloniæ Agrippinæ Ecclesiæ Catholicæ gremio exciperetur. Mox à conversione strictius Carmelitarum Institutum animo volverat, sed eum non nisi triennio post abjuratam Hæresim admisissent: itaque rebus suis consilium popposcit à viro probatæ sanctimoniæ illius Ordinis, qui lecto in hunc finem Missæ Sacrificio, motus arcano impulsu suaserat, Austriam repeteret, quamquam ibidem impetuosissimè desæviret Hæresis, ponendum tamen supra candelabrum ut luceret pluribus. Quàm felici successu paruerit, quosque fructus fecerit convertendis Hæreticis, hic recensere longum foret. Monasterium nostrum ingressus (Steyr-Garsten)

Vitæ compendium.

Felix in lucrandis Ecclesiæ Hæreticis.

non nisi Conversi Laici nomine voluit suscipi, ægrè tandem persuasus, ut sacris initiaretur. Deinceps triginta aliquot Novitiorum Magister, penè omnium Spiritualis Pater fuit; solertissimus Religiosæ disciplinæ Zelotes. Nulli culcitræ (fatalem morbum excipio) nisi stramineæ indormijt. hispido cilicio etiam in itinere, semper usus, & questus nonnunquam, ubi fidentius loquebatur, hoc pilo non satis hirto esse. Temperantiam adeo coluit, ut nemo recordetur, ipsum vel modicè excessisse. Dignum forsan fuerit, istud inferere, quod Confessario ad mortem compositus dixerat: Per DEI gratiam à tempore, quo fidem Orthodoxam amplectebatur (anni quadraginta & unus sunt) non meminisse mortalis noxæ a se commissæ. Mirum est, balbutientem cætera linguam, nec in uno apice hæsisse quoties è Cathedra verba fecit. Flagrantissimè cupivit in Sabbatho mori; obtinuit id XXVIII. Augusti, die S. Augustino sacrâ, cui Conversionis suæ primas adscripserat; nempe, quem Doctorem habuit in via, ductorem sortitus est in patriam. Nunc anno ætatis LXV. professionis XXXIII. Sacerdotij XXXII. ultimum septennium meritissimus Prior, occidit, credo, ut novũ sydus oriretur mortalibus, quod mors extinguere rata, emunxit tantum, mucus jacet in tumulo. Dedimus ex Monasterio Garstensi Cal. Oct. M.D.CLX.

Vir verè innocens.

Facundus Concionator.

Jmplet splendoribus eruditionis & vitæ integrioris Hispanias universas rarum sæculi nostri ornamentum Jllustrissimus & Reverendissimus Dominus P. F. Jldephonsus de Sancto Victore ex Monacho Sancti Joannis Burgensis, Regius primùm Concionator facundissimus pro miraculo suæ ætatis habitus, author insignis illius Operis, quod Titulo Solis Occidentis (Sol deel Occidente) inscripsit, in quo Archiducem Monachorum Benedictum mirificè illustravit, & Regulam ejusdem celebravit; sed & alia præstantissimi ingenij monimenta composuit. Fuit deinceps ad varias promotus dignitates, Almeriensis primùm electus Episcopus, inde ad Auriensem in Galleciа Pontificatum promotus; hoc denique anno ad Zamorensem evectus, ubivis talis, quem omnes merito ament, suspiciant ac venerentur. *Ex Francisco de Argaez, Asceta S. Turibij de Lievana.*

Jldephonsus à S. Victore scriptor celeberrimus.

Fit diversarum Eccles. Episcopus.

Jaspardus de Winck. Abb. S. Dionysij.

Moritur hoc eodem anno morte justorum Jaspardus de Winc, Abbas S. Dionysij in Hasbania splendidissimum Germaniæ Jnferioris Sydus, meritissimus Reformationis Belgicæ Auctor, promotor & propugnator, BENEDICTI REDIVIVI multis in locis resuscitator; generosissimus infinitarum injuriarum & calumniarum Triumphator; qui Apostolico Benedictini resuscitandi Spiritus zelo accensissimus, & ob hunc ipsum, irreformatis exosissimus, gaudens pro nomine & honore sui Sanctissimi Patris contumelias pati, diversis in locis, ubi Abbatem egit, per multas & magnas tribulationes ad expulsionem usque exagitatus, sibi constans semper, & infracto ac hilari animo omnia sufferens, ipsa patientia rosas germinante & colligente, implorata denique DEIparæ ope Victor omnium extitit, & contumaciam flexit. Vir fuit præcipuæ humilitatis, modestiæ & pietatis, qui demum in Affligemiensi se condens Cœnobio, vitæ finem in orationibus & pijs exercitijs expectavit, meruitque felicissimum octuagenario major, haud minora Martyribus præmia consequutus, intérque Jllustrissimos Ordinis nostri & Germaniæ viros merito celebrandus. *Ex diversorum Cœnobiorum Monimentis.*

Deipara ope omnes difficultates superat.

Moritur hoc ipso etiam anno Petrus Nivellius noster Lucionensis sive Luxonensis in Gallia sub Archidiœcesi Burdegalensi Episcopus, cum sedi illi utiliter & præclarè præstitisset. Extinguitur eodem anno Venerabilis Domina Anna Benedicta de Torck Transaquensis celeberrimi Benedictinarum Virginum Monasterij post sanctæ memoriæ Helenam de Fürstenberg Priorissa, digna quæ inter illustriora nostri Ordinis lumina celebretur, Helenæ per omnia æmula, Reformationis Monachicæ promotrix mirifica, exemplar Humilitatis, & Virtutũ omniũ incomparabile, ita ut viris perfectis summa in admiratione esset. Die vicesima quarta Januarij hoc anno plena meritorũ, ad præmia æterna evocata. *Ex Monim. ejusdem Cœnobij & Abbatissarum Catalogo nobis communicato.*

Petrus Nivellius Luxonensis Episc.

Obijt Benedicta de Torck Priorissa.

JESU CHRISTI ANNUS S.M.DC.LXI. Sancti Patris Benedicti. M.C.LXXXI.

Raro nostra ætate exemplo plurima Benedictina fundantur Cœnobia.

MEMORABILI BENEDICTI verè in suis, & hoc sæculo nostro REDIVIVI argumento & exemplo; cum à multis sæculis, ejusdẽ Magni

ni

ni Patriarchæ & sacra DEO ipsi Hæreditas, tanto olim Apostolorũ nostrorũ, quin & Martyrũ parta labore & sanguine; in direptionẽ sacrilegorũ, sacra sacri auri siti inardescentiũ, & plerumq; illorum, quorũ partiũ & obligationis erat Tueri & propugnare, multis sæpè sæculis multo ære conductorum, atque inde viventium & crescentiũ Advocatorum & Protectorũ, devenisset, perque sumam in DEUM ipsum & Sanctũ Patrẽ nostrum injuriã, sacrum profano mixtum, imo profanatum & profanum sacrilege factum esset; versa vice, quod à multis sæculis fieri desijt, ut Benedictina de novo Cænobia conderentur (plerisque Fundatorum, Mendicantium sacras ædes molientium, & sustentationem, eorumdẽ emendicationi, subditorum largitioni relinquentium) plurima passim nostris Reformatis, Fuliensibus, Calvariensibus Anglicanis de novo fundata, & ne cuiquã molesti esse cogerentur, dotata ac ditata sunt, cujusmodi inter Fundatores, superiore anno mortuus supremis tabulis nostros Testamento Hæredes scripsit Jllustrissimus Dominus Dominus Claudius Franciscus Lulier, Dn. Dechauvirey, Præses Parlamenti & Senatus celsissimi & Jllustrissimi Dolensis in Burgundiâ, Vir omni Virtutum Genere, & incomparabili sapientia & prudentia sumè conspicuus, qui insigni vitæ sanctimonia Monachorum nostrorum Congregationis Sanctorum Vitoni & Hydulphi attonitus & captus, nunquã satis laudare & amare præstantissimũ illud Jnstitutum potuit, & ut etiam augeret, & promoveret pari cũ Jllustrissima Domina conjuge consensu, quisq; suis sumptibus Benedictinũ struere & fundare Monasterium Numini promisit, & uterque quamprimum rem aggressus. Jlle quidẽ morte præreptus, in hac tamen ipsa duplicis condendi & dotandi munus optimæ conjugi relinquit, & testamento solidè cavit, ipse in novo prope vetustissimum DEI paræ fanum Montis Rolandi in medio primùm Chori tumulatus, remunerantibus DEO Opt. Max. & DEI Matre, cum postea ad dignius tanto Fundatore transferretur Mausoleũ, altero an tertio post obitũ anno repertus est incorruptus, tanquã, quod de liberali manu S. Oswaldi Regis pronunciavit S. Aidanus Episcopus: *nunquam inveteraſcat hæc manus*, Deo & Deiparæ in gratiam S. P. Benedicti, placuerit, nunquã computrescere, adeo liberalẽ novissimæ ætatis Fundatorẽ. Vidimus ipsi, monimentum, legimus Epitaphiũ, & in statua, genubus flexis Deiparã, illic magnis cunctipotentẽ miraculis, adorantẽ, diu contuiti, tanto Ordinis fautori bene precati, magno solatio perfusi fuimus. Et revera, *in plenitudine Sanctorũ habitare* consuescens Augustissima Cœlitum Jmperatrix, tantos sibi ex eadẽ sanctissima & amplissima Congregatione Ministros & famulos ultro expetere, & conducere visa, uti in Monte Serrato, Eremo Einsidlensi, sexcentisq; alijs locis, Benedicta inter Benedictinos suos gloriosè habitat, & prodigiosa beneficia largè eo occurrentibus impertitur, ita etiam magis in Domesticos liberalis, sese ipsam visa impendere, & ipsa, ut Redvivus in suis BENEDICTUS, REDIVIVAM se comprobare in ijsdem non desinit, haut aliter atque superstitibus etiamnum BENEDICTO & Bernardo nostris, prægnantissimo gratiarum ubere, eosdem lactando, & piè ac verè maternè confovendo, ut nemini non appareat BENEDICTA in Benedictinis suis verè habitare. Memorabile prorsus, & mirabile suæ in eosdem charitatis argumentum: cum superioribus belli in Burgundia Hispanica motibus, Miraculosa imago translata in Burgundiam Gallicam esset, & RR. PP. Capucinis credita, nulla prius edidisse signa prodigiosa, quàm suis in Monte Rolandi Benedictinis redderetur, ægrè reddentibus quibus credita semel erat, etsi denique Regio mandato reddere cogerentur, insigni pompa, maximo procerum Utriusque Burgundiæ concursu, & comitatu reducta, & à Patribus nostris excepta, móxq; magnis denuo prodigijs à Numine devotioni fideliũ commendata. Antiquissima imago est, eodemque, ut antiqua fert Traditio, à S. Lino Petri Apostoli discipulo translata, semperque summo in honore habita, à Dolensibus inprimis, quorum in oculis perpetuo est, sita in monte ad miraculum eleganti, & Divionem, Ossonium, & immensa quasi terrarum specia circumquaque summo oculorum atque animorum solatio contuente.

Advocatorum Sacrilega siti.

Claudius Franciscus Lulier nostrorum Sanctimonia captus.

A morte incorruptus Fundator.

Deipara in nostros perpetui favoris.

In Monte Rolandi gloriosa.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. LXXXII.

LUget uno hoc anno duo Jllustrissima Ordinis Sydera Congregatio nostra Sanctorum Vitoni & Hydulphi, etsi majore plausu cœli recepta. Ex his die ipsa Ascensionis Dominicæ ad triumphos illos, non tã spectandos quàm participandos evocatus à Numine est sanctæ memoriæ Reverendissimus Dominus Claudius Hydulphus Bernier Abbas Faverniaci dignissimus, vir verè sanctus, & solidè eruditus, dum amplissimæ Congregationis pro meritis Præsidem ageret, in reditu à Capitulo Generali, morbo interceptus & in Monasterio S. Michaelis ad extrema deductus, incredibilique omnium luctu extinctus, cum prius omnibus sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis munitus, insigni exhortatione Fratres ad acuratam Regularem Observantiam, Charitatẽ, & Obedientiam exhortatus esset. Fuit professus Monasterij de Faverneio, in quo etiam strictiorem Observantiam multo fervore amplexus, eodem deinceps plurimos accendit. De litteris æquè meritus, summo cum fructu & laude Professorem in eâdem Congregatione Philosophiæ & Theologiæ egit, paulo post Prior sui Monasterij designatus, deinceps vero, ob insignia talenta sæpius Visitator, Definitor, & Præses Totius Congregationis consalutatus. Jpsum excellere in omnibus, & excolendis vel maximè ad omnem sanctitatẽ animis, animadvertens Alphonsus Faverneij Abbas jam septuagenarius, inq; temporalibus non minus quàm spiritualibus esse dexterrimum, sibi à Summo Pontifice & Rege Catholico in Coadiutorẽ cum jure successionis adjungi expetijt & obtinuit, magno omnino cum Monasterij emolumento, cui etiã defuncto in honorem ex integro succesſit. Mirabilis sanè Abbas, Magistrum Novitiorum agere, dignissimũ Abbate duxit, & triginta duobus annis, quibus Abbatem, juxtà Magistrum Novitiorum egit, idem speculum & exemplar Virtutum omniũ omnibus & singulis, omnibus verendus & venerandus, qua ex causa innumeri quasi sub ejus Magisterio & ductu Religionis habitum susceperunt, ita ut omnium ferè totius Burgundiæ Benedictinorum pater fieret & Magister, summo totius Congregationis fructu, dum omnium quoque idem animus esset, eodem Doctore, ductore & educatore, docti, ducti, & educati, in cujus uti corde omnes expressi erant, ita ipsum impressum habebant, etiam absque arbitris ejusdem oculis, arbitri non minus collegæ oculos, serio attendentes, nequid Novitio indignum professus & Presbyter admitteret, solo Collegæ contuitu, Magistri tam absoluti monitorum saluberrimorum utilissimè reminiscentes.

Claudius Hydulphus Bernier Abbas Faverniacensis.

Congregationis Præses.

Coadiutor sit Faverniacensis.

Speculum Virtutum omnium.

Alterum Burgundiæ item eodem anno ereptum sydus admodum Reverendus sanctæ item memoriæ P. F. Simplicianus Gody extitit. Hic Ornaci in Liberó Burgundiæ Comitatu natus, unus eorum fuit Religiosorũ, quos Patres strictioris Observantiæ Congregationis Sanctorum Vitoni & Hydulphi, ceu lumina & culmina ejusdem usque hodie colunt & grato animo recolunt, celebrantque, hunc vero ipsum religiosius venerantur, cum propter eximiam suam Virtutem, tum propter profundam scientiam, atque eruditionem, qua inter nobiles Scriptores tam soluta Latina, Gallicâque oratione, quàm Latino Gallicóq; carmine insignes, vel maximè enituit. Anno Christi 1617. sexdecim annos natus in Abbatia S. Vincentij Bisuntini, Novitiatem strictioris Observantiæ habitum susceperit; ibique sexagesimum suæ ætatis annum agens, Christianissimè denatus est, relicta prius illustris Sanctitatis fama, peractis ante Spiritualibus Exercitijs, in quæ quotannis, ut acurata meditatione æternorum præmunitus sese ad extremam mortis palæstram præpararet, studiosè incumbere consueverat, denunciato prius diserte Superiori suo, ultimo Vitæ suæ die, exantlatisque pro Congregationibus S. Mauri in Gallia, SS. Vitoni & Hydulphi in Lotharingia, Burgundia, & Campania, Ordineque Cluniacensi plurimis laboribus, quos magna ex parte pertulit, dũ ab ijsdem Congregationibus, ad Visitatoris, Prioris, & Novitiorum Magistri honorem, onúsque simul fortunatè experitus atque evectus est, omnibus adeo dextrè & sanctè perfunctus, ut nemo non plurimum miraretur. Prima hujus viri Tyrocinia fuit institutio florentissimæ juventutis, quam in Abbatia Faverneiensi Liberales Disciplinas gna-

Simplicianus Gody Vir sanctus & doctus.

Vita compendium.

Singularia ejus merita.

gnaviter edocuit. Quod officium ipsi etiam demandatum in Monasterio S. Nicolai de Portu fuit, quod ante fatale bellum quo tota Lotharingia exarsit, pueros Nobilium (uti mos erat in Casino tempore S. P. N. BENEDICTI) studiosissimè educandos susceperat; quo tempore plurima opuscula Latino Gallicóque carmine concinnata, scriptis mandavit, inter quæ Tragicomædia, quæ memorandum illud atque singulare miraculum S. Nicolai meritis erga Comitem de Richecourt editum exhibebat, non minimæ elegantiæ fuit. Hæc recitata fuit coram Duce & Principibus Austrasiæ Domus, in illo mirandæ amplitudinis magnificique decoris templo, in quo S. Nicolai insignis Thaumaturgi Reliquiæ, frequentiori omnium Europæ nationũ concursũ huc appellente summo cum honore coluntur, in ipso eodemque loco, quò Comes ille è Palæstina ac miserrima servitute translatus est. Jnde Superiorum jussu Parisios se contulit, alteram ab Athenis urbem Minervæ sacram, ut Rhetoricam in Collegio Cluniacensi publicè profiteretur, quo in loco plurimos libros typis mandari curavit. Postea, Vir sanctus, cum quanti referret plebẽ ipsam in omni integritate institui, hanc Cathechismo erudiendam suscepit, Parisijs primum, memorabili cum fructu, tum per totum Galliæ Regnum, impellentibus ad hoc virum DEI Domino Barone de Renty & R. P. Bernardo, duobus hocce sæculo nostro purissimis Christianissimi luminaribus, dumque sibi satis huic operi laboris impensum videretur, in Comitatum Burgundiæ est reversus, ubi Superior effectus, Christianam doctrinam populo annunciavit, tanta omnium approbatione, & nominatim Celsissimi Principis Claudij d'Achæi Archiepiscopi Bisuntini, qui singulari prorsus amoris studio hunc virum DEI prosequebatur; ut Basilica S. Vincentij Bisuntij capere non posset nimium omniũ concursum, tam sancti Prædicatoris institutionem medullitus exambientium, & mirificus sese ardor in omnes, cum insigni fructu effunderet. Jnter tam utile quàm laudabile negotium, unum adhuc illustrius suscepit: nempe orationis mentalis exercitium, in duos Tractatus in se partitum, quorum alter Meditationes, pro totius anni decursu, alter præludia Mysticæ Theologiæ continet, quos Tractatus postea Dolæ prælo mandari fecit. Jnterim dum hoc opus prosequitur, Eminentissimus Cardinalis Mazarinus petijt Monachos Reformatos sibi à Congregatione ad Augustum Archisterium Cluniacense transmitti, ut ibi Reformationem firmarent ac tuerentur, è quorum numero Simplicianus noster extitit, qui etiam tanti Archisterij Prior designari meruit, & verè omnes numeros Sancti Prioris explevit, atque invicta cum primis patientia, sese admirabilem & insuperabilẽ comprobavit, & si uspiam aliàs, laureolam immortalitatis meruit, multóque cum fructu laboravit. Demum ultimam Operibus suis coronidem impositurus *Musam*, quam ipsus *Contemplatricem* inscripsit, composuit, & lectissimis Epigrammatum hymnorumque gemmis insignivit, eâque finita ad Cænobium se suum, ubi se primum Numini consecraverat, recipiens, ibidẽm 13. Augusti nona invalescentis febris die in Domino requievit. Cujus memoria in Benedictione apud omnes est, vivitque hodie in tot superstitibus discipulis, uti in ipso Sanctus Pater Noster Redivivum se prodidit. *Ex citatis & formalibus discipulorum lectissimorum relatione & scriptis.*

Archisterij Cluniacensis Prior designatur.

Sanctissimè extinguitur.

Cathechismi felicissimum agit.

Sed & Galliarum Regno, duo pariter luminaria Viraginum, uti Burgundiæ Virorum, idem ipse hic annus abstulit. Ex his alterum Jsabella à S. Trinitate fuit, nulla re illustrior, etsi in omni exercitatissima virtutis studio, quàm inexplicabili Deiparenis colendæ jugi exercitio, cui tamen ipsa multa ad honorem ejusdẽ accumulavit, magnisque carnis mortificationibus, charitatis, humilitatis, obedientiæ, patientiæ actibus, Magnæ Matri Virgini mirè se commendavit, Fuit autem præcipuè affecta, erga sacrum Visitantis Deiparæ Elisabeth cognatam Mysterium; unde etiam ubi primum Pleuritide correpta fuit, morituram se die Festo ejusdem Visitationis, nec prius, licet multa Symphomata secus dictarent, prophetavit. Quod ita evenit hoc anno, & secunda Julij animam sanctissimam efflans Virgo Domini, ad illa Verba Passionis Dominicæ, *Hæc dicens exspiravit.* Qui ei à Confessionibus semper à puericia

Jsabella à Sancta Trinitate.

Mirificus è viri tanti laboribus fructus.

Mortem prædicit.

Vitam Angelis proximam duxit.

ritia fuerat, asserere non dubitavit, vitam Angelis proximam duxisse, sibiq; si liceret per Ecclesiam, potius in ejus exequijs dicendam Missam de sancta Virgine quàm pro Defunctis, serio affirmavit. *Ex sæpe citatis Calvariensium scriptis.*

Magdalena à Sancta Lachryma.

Alterum cœlis hoc anno insertum ex eadem Congregatione luminare, fuit Magdalena à sancta Lachryma. Hæc præter vitâ sanctissimè exactam, verèCalvariæ alumnam & compatientem Dolorosæ Matri & Crucifixo comprobans, miraculum patientiæ in doloribus vehementissimis extitit. Namque post diutinos labores, quos mirabili constantia & generositate tolerabat, acerbissimo colici morbi afflicta genere (Miserere in Gallijs vocitant) viva quasi dilaniabatur. Cumque condolentes afflictissimæ Sorori reliquæ, brevi desituros dolores, pro solatio ingererent, eo quod tantopere vehementes essent, ac proinde vel brevi moriturã, vel tanta morbi violentia statim levandã. *Absit, absit,* inquit *MAGDALENA, duret, duret, ô in æternum durabilis sit dolor, si ita Crucifixo videatur, mille mortibus, mille ictibus, miserũ corpus concidat, ô DEUS meus, Amor meus Crucifixus!* Exaudita est sæva in corpusculũ tenerrimũ oratio, per quindecim siquidẽ dies, importabili Martyrio coronata est, stupentibus Medicis, omnia in debili Virgine elusa Galeni Apodigmata; ac tũ demũ Virgo ad Patientiæ triumphũ & coronas vocata. *Ex eiusdem.*

Magdalena à Passione miraculum nostræ ætatis.

Invictissimæ Virginis Patientia.

JESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXIII. Sancti Patris Benedicti. M. C. LXXXIII.

Felicitas Galliarum Regni.

ITerũ Gallijs intentissimũ Cœlũ, dũ in lilieto illo, cœlesti regno hortisque Elysijs digniora intuetur lilia, & flores Regũ Regis dignissimos manibus, iterũ hoc anno jure suo usum, iterum lilium sibi vendicat, sibi maturrimum, cœlitibus præelectum, cum diu cœlestis odoris fragrantia omnia Galliarum Regna implevisset. Horret sacro horrore animus, talia nostræ ætatis referre exempla, quæ imbecillẽ ad tã ardua confundunt animum, & sacros ad sacra bella concitatissimos etiã provocant, tanto magis miranda, quanto ex infirmiore sexu, & quidẽ delicatissima Principe, ad stuporẽ eluceſcunt. Facio, quod aliàs plerumque, in magni momenti rebus, meis diffisus minimè verbis, sed incredulitati delicatorum, & ipsa formalia affero Scriptoris sæpè à me laudati integerrimæ synceritatis, & qui ipsus habuerit recens gesta, ut ex hoc ipso apparebit, & quidẽ à testibus oculatis & reapse expertis. *Operæpretium erit,* inquit, *id referre, quod superiori* (NB. 1663.) *anno Parisijs contigit, obitum scilicet Illustrissimæ Dominæ, & Venerabilis Matris Magdalenæ à Passione de Rieux, tertium jam totius Congregationis Superioris (seu Præsidis) Generalis. Vixit multis partibus Generis Nobilitatẽ præstans animi Virtus, cumque facilè ingenij bonitate, gravitate judicij, prudentia, humanitate, alijsque naturæ præstantissimis dotibus, superaret omnes, major tamen semper sepsa humilis mens, omnibus subdi ambiebat. Electa in Priorem Calvariæ Parisiensis, annos duntaxat viginti quinque nata, & in Superiorem Generalem annos ætatis habens trizinta, solo lædendæ conscientiæ scrupulo, electioni subscripsit invita, tentatis nec quidquam mille vijs sacrisque dolis, quibus importabile onus à se amoliretur. Præfecta alijs, omnibus morem gerebat, nec raro humi prostrata enixius sorores obsecrabat, ut sibi defectus objcerent. Per quadraginta & amplius annos Parisijs comorata, omnibus penè ignota mansit, ubi tamen omnes affines collecti erant, Rege ipso, Principibusque viris, fœminisque sibi consanguinitate conjunctis. Et in hoc præcipuè data sibi potestate utebatur, in Priores præcipuè, districtè ipsis præcipiens, nequid de ea, ejusque familia ad pompam & plausum loquerentur. Si quando à Prælatis alijsve primæ notæ viris inviseretur, salutatis humiliter, Priorem loquentẽ, ipsa ex humilitate muta audiebat, asserens, nihil se dignum tanto cœtu fari posse. Divinis Officijs & orationi semper prima intererat, abjectis quibuscunque alijs, sive negotijs, sive colloquijs. Nunquam nisi genibus flexis orabat; nihil innixa, imo altero genu ischiade rigente, altero duntaxat silicis instar obdurato fulciebatur. Nunquam de rebus cujusvis momenti ita anxia extitit, atque si solitis pietatis exercitijs deesset. Unde hoc ejus commune effatum; Solius DEI esse plura simul operari, nostrũ uni solum rei intendere, postmodum uni iterũ post alterũ vacare. Non erat quisquã qui ab ejus charitatis calore se absconderet. Ægris ipsa præsens obsequebatur, & manibus, & exhortationibus, ac missis plerumque fructibus ac bellarijs, qua sibi*

Regia cognata & Principum, omnium humillima.

Loquendi parcissima.

Insigne ejus pronuntiatum.

sibi ministrabantur, mirum in modum solabatur. Sororum desideria antevertebat, nihil longis earumdem colloquutionibus, repetitisque sermonibus pertæsa. Cum certior fiebat, aliquid in Congregationis damnum ab hostibus tentari: Adlaborant, inquiebat, nostris usibus Amici hostes; nostrum est, per patientiam horum quæstum facere apud DEUM. Obtrectatorum linguas, dicto citius frenabat, nunquam nisi honorificentissimè de ijsdem loquuta. Illos qui perniciem familiæ suæ suorumque omnium apud Regem moliebantur, solis vitijs bellum indicens, omnes materno affectu complectebatur: unam Charitatem Calvariæ theseram esse, exemplo magis quam verbo prædicabat. Crucis, Crucifixique sævus amor, direè per totam vitam, in ipsum Virgineũ corpus bacchatus est: jejunijs, vigilijs, flagellis, cilicijs frequentibusque morbis. Pauperta-

Simile aliud ejus dictum.

Paupertatis studium.

tatem impensè colebat, nunquam, juxta SS. Regulam, nisi omni vilitate & extremitate contenta. Sarciebat propriis manibus non suas tantùm, sed & Conversarum detritas & laceras vestes, atque si sibi commodius quid vel exquisitius oblatum esset, summa dexteritate, alijs elargiebatur. Ægra cum aliquando in Infirmaria quiesceret, & advertisset, molliore se culcitra decumbere quam sorores; protinus lecto exiliens, cuidã Conversæ lectulum suum cessit, subdens festivè, se minus, illam longè gravius laborare, & melius curari debere. Breviarium ipsum, quo utebatur, quatuor tomis distinctum, venundari jussit, ut hâc elemosyna inopi Cœnobio opem aliquam ferret, pro se lacero aliquo & usibus attrito comparato. Mortis præscia, sacram sibi quandam praxim indixerat, quam quibusvis implicata negotijs nunquam omittebat, ut mentem purgaret, sponsoque pararet dignam sedem. Subdebatque si quando ab illo penso arceretur: sinite paululum me Domini mei mortẽ acerbissimam adorare, meaque propriæ mortis

Mortis Christi confœderatio ipsi dulcissima.

memminisse. Adero vobis ocyus. Exercitijs spiritualibus decem dierum emensa feliciter. Quadragesimã vacare gestiens, mirum est, quanta devotione, quantâ amoris vi in DEUM intenderet. Orationem coram Augustissimo Sacramento, per quatuor aut quinq; horas, genibus perpetuo flexis producebat; debilitatẽ corporis fatiscentis, ipsa Spiritus vehementia fulciente. Conceptum in DEI sinu animi ardorem oculis præferebat. Spirabat Divinum quid aucta ad cumulũ pietas, matura cœlo Angelorum delicias jam prælibasse videbatur: unde eius & agendi,

Omnia ejus facta & colloquia Divinum quid spirabant.

& loquendi ratio, mentem jam felicitate aterna donatam, non humi degentem, declarabat, quæ erant vultus, oris, sermonum, Conversationis totius Divinæ Veneres; dum amicæ solitudini fervens incomberet. Nullum est mortificationis crudelitatisque genus, quo in senile corpus, facta indies durior sibi, non exarserit. In Capitulo, præsentibus sororibus, ipsa Superior Generalis, immenso cervici implexo fune, palam confessa est, non quæ patrarat delicta, utpote innocentissima, verùm quæ præ humilitate putarat admisisse, inexpiabilia, ut loquebatur, scelera. His mortificationibus præluſit ad mortẽ ipsam, namque vigesima alij decima quinta Aprilis Anni millesimi sexcentesimi sexagesimi tertij, quâ die Eucharistiam sumpserat, Missæ Conventuali, aliisque Divinis Officijs interfuerat de more; verùm circa horã sextã serotinã è Refectorio egressa apoplexia correpta est, ac circa decimã incredibili omniũ mœrore, totiusque Congregationis jactura feliciter in Domino obdormivit; Medicis celeberrimis in cassum laborantibus, cunctisque sororibus cœlũ ipsum, lachrymis, suspirijs ardentibusque votis nec quidquã exorantibus. Corpus Virgineũ post quadraginta à morte horas apertum, suavissimũ odorẽ spirabat, licet pulmo costis hæreret, multoque tabo jecur infectũ cerneretur: mirantibus Archiatris, corpus, in quo tot causæ mortis inerant, tam diu vivere potuisse: & suaviter olere, ita corruptum. Cor amantissimæ Matris, cura & studio Illustrissimæ Dominæ d' Asserac, ad alterum Calvariæ Conventum Parisijs in palude situm, comitantibus clarissimis viris & Dominis Marchionibus d' Asserac & de Gie nepotibus ejusdem, innumerisque alijs, celebri pompa delatum est. Exequijs interfuere multæ Principes fœminæ, totiusque Aulæ Gallicæ nitidissima sydera, communem Matrem amissam lugentibus universis. Jta citatus.

Juge ejus fuit Martyrium.

Mors beatissima.

Fragrantia cœlestis cadaveris.

Funebris deductio.

Et revera visum Numen ipsum, tantopere sibi dilectam, quasi de industria inadvertentibus subitùm eripere, ne nimia precum lachrymarumq; instantia, potentissima alias Tantæ Congregationis, apud Misericordiæ suæ Dignationem gratiositas, à concupitis tamdiu utriusque amplexibus diutius remoraretur. Nec præparata magis ipsa ad mortẽ, quam sola ipsa prævidérat, sibique providerat, esse potuisset, de qua alius Vitæ scriptor non minus auctoritate pollens & vitæ integritate, sequentibus verbis: Perfectis feliciter Exercitijs

Præparatissima Altissimo occurrit.

ercitijs, vegetior & robustior omnibus visa, omnes singulari gaudio afficiebat, vultu ipso cœlesti lætitia, & verecunda hilaritate Divinitus suffuso: nec mirũ: aptius enim ad mortem parari non poterat Magdalena, quique in ipso sinu DEI maturuerat fructus optimus, colligi citius vix valuit, tamdiu siquidem precibus totius Congregationis exterrita atque repulsa mors astu vincere, astu & arcanis insidijs prædam deijcere, prædâ frui debuit. Prævijs morborum doloribus opus non erat, nec egebat ipsa ad sacrificium, pœnitentiæ hostia per totam vitam facta. Illudi denique sacris Virginibus præpropera morte debuit, quæ morti ejusdem optimæ Matris omni modo obstitissent, si morituram credidissent. Nihil igitur monitis, nihil suspicantibus erepta est Magdalena, Syderibus ipsis, & Angelorum choris inserenda, &c. Corpus loculo plumbeo inclusum, suavissimumque exhalans odorem, multis sacratissimos pedes, inprimis verò Illustrissimis Ducissis Vindocinensi (de Vendosme) & Nemourensi (de Nemours) defunctæ proximis, devotè deosculantibus, persolutis prius sexcentis & amplius, sacris Missarum solemnijs, illustrissimo funere, terræ mandatum est in Conventu Calvariæ S. Germani, 17. ejusdem mensis (Aprilis) ita nimirum variant in die obitus & sepulturæ, ut alter ad 25. & 27. retulit, ita hic obitum ad diem 15. sepulturam ad 17. Aprilis referant de qua re diligentius inquirendum.

Hostia perennis Numini fuit.

Sepulta in Calvaria Monasterio S. Germani.

Excedit hoc ipso anno 1663. ad REDIVIVI in se Sanctissimi Patris sui BENEDICTI amplexus delicatissimæ in omni puritate Virginitatis immaculatissima Christi Sponsa Ven. Elisabetha Tripedi Conversa Soror Ciminæ in Sicilia admirabili vitæ sanctitate fulgidissima, & miraculis clara. Cujus vitã typis impressam necdũ videre meruimus. *R. P. D. Casimirus Polonus Asceta S. Pauli Rom.* Ipso quoque anno in eodem Regno Siciliæ ad supera accersitur 20. Julij Venerabilis Agatha Volti Monialis Ordinis S. P. N. BENEDICTI in Monasterio Charitatis Bivonæ, opinione & famâ Sanctitatis celeberrima, cujus similiter gesta inhiantissimè exspectamus.

IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.LXIV.
Sancti Patris Benedicti. M.C.LXXXIV.

EVocat ad palatia supera & æternã gloriam hoc anno Numen optumum Sanctæ memoriæ Abbatẽ Aloysium Caraffam Fabricij Andriæ Ducis filium S. Severini Neapolitani Cœnobij professum, Abbatem Cassinensem, illustrissimum sanè Italiæ & BENEDICTI Ordinis sydus, exemplar absolutissimæ perfectionis, & Virtutũ omniũ, cum transitus sui diem disertè prædixisset, & biduo ante in Ecclesiam se deportari curasset, & audito summa cum devotione sacro, SS. Synaxi per modũ Viatici refectus esset, ipsa die lethali correptus paroxismo, in quo ad supremum usque anhelitum sedens in sella clausis semper oculis mansit, donec ijsdem apertis, ijsque ad Cœlũ versis beatam animam efflavit circa meridiem, die 18. Novembris anno ætatis 76. incredibili non solum suorum luctu, sed totius Urbis Neapolitanæ, quæ in ipso insignia conspexit exempla sanctitatis. Fuit stupendum hoc in oculis omnium præsentium miraculum, cum ex more cadaver ejus lavaretur, suismet se manibus, in partibus verecundis cooperuisse; sed & post horas triginta octo in feretro expositum, totum molle & flexile sudasse in fronte, atque multoties, purpureum ex brachijs & pedibus sanguinem emisisse. Claruit insignibus tã in vita quàm post mortem miraculis, quæ inter memorabile illud: quod quidam phreneti laborans, & tantopere furiosus, ut suas ipse carnes voraret, & laniaret, cum jam novem menses, miserabile spectaculũ condolentibus fuisset, solis floribus, quibus sacrum funus obtectum erat, vuæ quam manducandam sumpserat commixtis, & absumptis, integræ menti restitueretur. *Fuit* ut Vitæ scriptor oculatus refert; *totus contemplativus, charitativus, silentiarius, pijssimus, humillimus, solitarius, Propheta, contemptor omnium rerum sæcularium, in mortificandis suis sensibus singulare exemplar, in tolerandis infirmitatibus quasi insensibilis, dum Medicorum atque Chyrurgorum opera secaretur, nec minimum quidem suspirium seu gemitum edere auditus, & hoc quidem toto vitæ suæ tempore.* Tantæ autem abstinentiæ fuit deditus, ut per plurimos annos, solis leguminibus & herbis vesceretur. DEIparam singu-

Ven. Aloysius Caraf. fa.

lari

lari studio veneratus, eum in sacra quadam ejus solemnitate, ad aram miraculosæ Ejusdem imaginis devotissimè cantaret, visa ab universo populo, Deiparæ radijs cœlestibus circumfusa attonitis omnibus, & admiranda contritionis gratia concitatis. *De quo Vitæ Author typis Neapoli editus legendus.*

Gregorius Parcero Episc. Gironæ & Tortosæ.

Extinguitur hoc eodem anno rutilum Hispaniarum Jubar Illustrissimus & Reverendissimus P. F. Gregorius Parcero Monasterij Sancti Martini Compostellæ Professus, inde Abbas ejusdē meritissimus, cūq; omni Virtute non minus excelleret, quàm summa eruditione, Generalis Ordinis præses per Hispanias constitutus, Eidem laudabilissimè & sanctissimè præstitit, multo nomine omni æternitati commendatus. Demum ad Episcopatus Gyronæ ac Tortosæ, celebrium in Catalaunia urbium evectus, miraculum Episcopi extitit, ab omni proprij corporis cura alienus, lucris & bono suarum ovicularum intentus, juratæ in omnibus paupertati deditus & devotus, liberalis pauperibus, ipse pauper mortuus, ut æternis thesauris tanto copiosius bearetur. Cum hoc tanto viro contrahimus vela, ut qui monita sapientis attendamus: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam*, etsi non meminisse etiamnum superstitum non possimus, quorum in oculis mundi Virtus est, & hæc in communi omnium plausu procul ab omni complacentiæ propriæ titillatione. Et memoranda nunc millia quovis anno essent, nisi sancta tantorum virorum erubescentia prohiberet. Certè Generalium tota Italia, Gallia, Hispania Præsidū, talis vita, talis vitæ excellentia, ut nihil in his desideres, quàm miracula, quæ in Antecessoribus proximis vidimus, & nunc defore nullo modo credimus, sed de industria sancta occultari. Et quotus quisque Abbatum superæ inferæque Germaniæ, tanto numero Cænobiorum, non est è lectissimis Religiosorum cætibus lectissimus? Obstupesco totus, recogitans, quot quantósque viderim ipsus, quin & in plurimorū penitus actiones penetrarim, quibus planè deesse ad sanctitatem nihil animadverterim, quàm inquisitionem solemniorem & Canonizationem. Et quæ non hoc ipso tempore in Gallia, Burgundia, Lotharingia, quorum ipse

Generales Præsides quanti? nostra ætate.

anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto ipsus quoque oculatus testis, & spectator fui, exempla & exemplaria omnis perfectionis & sanctitatis. Placet, absque ullo, assentationis fuco & fumo, absque ulla vitæ & meritorum in speciali descriptione, sola Superiorum nomina, eo ipso quod ex numero tot electorum lectissimi sint, recensere, ut juxta appareat Cænobiorum numerus, in tam rigidam, & inimicā carni reformationē inscriptorum, ut in his omnibus, sera etiā posteritas *BENEDICTUM* agnoscat, & celebret *REDIVIVUM*.

Lectissimi quivis Reformationis Superiores.

In nomine Domini nostri IESU Christi, Amen.

Anno à Nativitate ejusdem Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo quinto. In Capitulo Generali Congregationis Sanctorum Vitoni & Hydulphi Ordinis Sancti BENEDICTI in Monasterio S. Michaelis celebrato, electi sunt in Superiores dictæ Congregationis & Monasteriorum qui sequuntur.

Præsidens Regiminis

Reverendus Pater Domnus Arsenius Mathelin.

VISITATORES:

Reverendus Pater Domnus Antonius de Lescale.

Reverendus Pater Domnus Bernardinus Richardot.

Reverendus Pater Domnus Amandus Tribout.

SUPERIORES:

R. P. D. Jræneus Paradis, S. Vitoni in Campania Gallica

R. P. D. Rodingus Chapet, in S. Hydulphi Lotharingiæ.

R. P. D. Matthæus Galliot, in S. Michaelis Lotharingiæ.

R. P. D.
- Clemens Dulot, in S. Martini de Glanderijs Lotharingiæ.
- Franciscus Castellan, in S. Naboris Lotharingiæ.
- Philippus Daucourt, in S. Mansueti Lotharingiæ.
- Petrus Ringo, in Monasterio S. Mauritij de Bello Loco in Gallia.
- Cœlestinus Saulnier, in Monasterio S. Vincentij Bizuntini.
- Placidus Beuvillon, in Monasterio S. Agerici Galliæ.
- Antonius le Beque, in Monasterio S. Apri Lotharingiæ.
- Joachimus Vivin, in Monasterio S. Crucis de Bozonvilla Lotharingiæ.
- Rupertus Caillier, in Monasterio S. Nicolai de Portu, Lotharingiæ.

Priorum sive Superiorum SS. Vitoni & Hydulphi Catalogus.

R. P. D.

Odilo Bebin, in S. Mariæ de Faverneio Burgundiæ.
Bartholomæus Claudon, in S. Petri Senonensis Lotharingiæ.
Arsenius Mathelin, in S. Arnulphi Metensis Galliæ.
Hilarion de Bar, in S. Crucis Nanceiano Lotharingiæ.
Anselmus Vatrombois, in S. Mariæ de Brolio Lotharingiæ.
Eligius Lescuier, in S. Mariæ de Morimonte Galliæ.
Martinus Rethelois, in S. Petri Cathalaunensis in Gallia,
Bonifacius Picteaux, in S. Petri de Jouha Burgundiæ.
Athanasius Millot, in S. Mariæ Montis Rolandi Burgundiæ.
Joachimus Le Roy, in S. Romarici de Sancto Monte Lotharingiæ.
Hubertus Finot, in S. Clodulphi de Layo Lotharingiæ.
Petrus Deserochez, in S. Clementis Urbis Metensis in Gallia.
Columbanus Boban, in S. Mariæ de Vallibus Burgundiæ.
Gerardus Richardot, in S. Hieronymi de Dola, Burgundiæ.
Bernardinus Richardot, in S. Petri Luxovienſis in Burgundia.
Placidus Pannier, in S. Mariæ de Castro in Burgundia.
Alphonsus Bardin, in S. Symphoriani Metensis in Gallia.
Robertus Desgabetz, in S. Mariæ Mozomensis in Gallica Campania.
Hieronymus Coqlin, in S. Petri Mortuacensi in Burgundia.
Odilo Viart, in S. Petri Altivillariensis in Campania.
Hyacinthus Collot, in S. Mariæ de Noveio in Campania.
Romanus Arnould, in S. Vincentij Metensis in Gallia.
Philippus Platel, in S. Firmini de Flaviniaco Lotharingiæ.
Benedictus Rohelier, in S. Desiderati Ledonensis Burgundiæ.
Bernardinus Rollet, in S. Petri de Alta Petra Burgundiæ.
Philibertus Boulanger, in S. Urbani in Campania Gallica.
Albericus Sourlet, in S. Petri Aremarensis in Gallia.
Medardus Gillet, in S. Petri Pultariensis Galliæ Campanicæ.
Aussanus Thomas, in S. Petri Cellensis in Campania Gallica.
Augustinus Millot, in S. Servuli de Moreio Burgundiæ.
Antonius de Lescale in Monasterio S. Gregorij Monasterienſis Alsatiæ.
Amandus Tribout, in S. Mariæ Deruensis Campaniæ Gallicæ.
Ludovicus Pagant, in S. Michaelis de Tirrachia in Gallijs.
Gregorius Grenier, in S. Mariæ de Nigella in Campania Gallica.
Alexius D' Aras, in S. Aygulphi in Campania Gallica.

Relinquitur autem Regimini Dispositio Prioratuum S. Pancratij de Fontanis in Burgundia, & Sanctorum Innocentium de Roserijs in Lotharingia, S. Petri de Castineto in Lotharingia, & S. Bernardi de Ponte S. Vincentij in Lotharingia.

PROCURATORES GENERALES

R. P. D. Bonifacius Perenne, in Curia Parisiensi.
R. P. D. Antonius Millet, in Curia Metensi.
R. P. D. Henricus de Fouchieres, in Curia Dolana.

Anno præmisso die 28. mensis Aprilis in Capitulo præfati Monasterij in præsentia RR. Patrum de Capitulo, & Religiosorum prædicti loci, hæc lecta & publicata fuerunt, præsentibus honestis Viris Claudio Petit Mengin, & Joanne Forgiot Civibus Sammiellanis ad præmissa vocatis & rogatis.

De Mandato Capituli
D. Placidus Beuvillon Scriba Capituli.

Placet etiam similem Dispositionem Sanctissimæ Congregationis Divi Mauri in Gallijs adijcere, ut ex hac ipsa & nomina tantorum virorum suspicias, & numerum compares tam strictæ Reformationis tot Monasteriorum.

In nomine Domini Nostri IESU Christi, Amen.

Anno á Nativitate ejusdem millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio, vigesima mensis Maij, in Capitulo Generali Monachorum Congregationis S. Mauri in Francia, Ordinis Sancti Benedicti in Monasterio S. Benedicti Floriacensis celebrato; Canonicè electi sunt in Superiores Congregationis & Monasteriorum, qui sequuntur.

SUPERIOR GENERALIS CONgregationis.

Reverendus Pater Domnus Bernardus Audebert.

VISITATORES PROvinciarum.

Ducatus Burgundiæ Gallicæ R. P. D. Gregorius Vertamont.
Franciæ R. P. D. Placidus Chouquet.
Normaniæ R. P. D. Albertus Marchand.
Casalis Benedicti R. P. D. Mommolus Geoffroy.
Britanniæ R. P. D. Joachimus le Contat.
Tholosanæ R. P. D. Claudius Boitard.

Supe-

SUPERIORES MONASTERIORUM.

1. R. P. D. Josephus Seguin, Abbas S. Augustini Lemovicensis.
2. R. P. D. Andreas Liabeuf, Administrator S. Juniani Nobiliacensis.
3. R. P. D. Franciscus Villemonteis, Prior S. Faronis in Urbe Meldensi.
4. Vincentius Marsolles, Prior S. Petri Gemmeticensis.
5. Nicolaus Vallee, Prior B. Mariæ Alborum Mantellorum.
6. Sylvester Petrecyot, Prior S. Petri Corbeiensis.
7. Stephanus Roulleau, Prior S. Petri Solemniacensis.
8. Benedictus Jumillac, Prior Claustralis S. Fiacrij in Bria.
9. Franciscus Aubert, Prior Sanctissimæ Trinitatis Vindocinensis.
10. Matthæus Mazillier, Administrator S. Quintini de Monte.
11. Arsenius Mancel, Prior S. Michaelis in Periculo maris.
12. Germanus Ferrand, Prior S. Joannis Angeriocensis.
13. Matthæus Solabel, Prior S. Sabini Tarbeyensis.
14. Anselmus La Rocque, Prior Claustralis S. Clementis de Credonio.
15. Robertus Hardy, Prior Beatæ V. Mariæ de Becco.
16. Philippus Cadeau, Prior Claustralis B. Mariæ de Bono-Nuntio.
17. Claudius Bretaigne, Prior S. Cornelij Compendiensis.
18. Marcus Bastide, Prior S. Remigij Rhemensis.
19. Leander Anez, Prior Claustralis S. Mariæ Deauratæ.
20. Agathangelus Collot, Prior S. P. N. Benedicti Floriacensis.
21. Petrus Beziat, Prior Sanctæ Crucis Burdigalensis.
22. Leo Dulorent, Prior S. Launomari Blesensis.
23. Philippus Le Roy, Prior S. Melanij Rhedonensis.
24. Julianus Nermand, Prior S. Theodorici prope Rhemos.
25. Guillelmus de Rieux, Prior Claustralis S. Maglorij de Lehonio.
26. Victor Marechal, Prior S. Salvatoris de Rothono.
27. Basilius de S. Germain, Prior B. Mariæ de Bernayo.
28. Germanus Bacquelin, Prior Claustralis S. Petri de Regula.
29. Joan. Bapt. Godefroy, Prior sancti Ebrulfi.
30. Claudius Martin, Prior sanctorum Sergij & Bacchi Martyrum.
31. Gabriel Ezemar, Administrator S. Aniani Tomeriarum.
32. Nicolaus Audineau, Administrator SS. Trinitatis de Tyrocinio.
33. Anselmus Clere, Prior S. Germani Altissiodorensis.
34. Ambrosius Fregeat, Prior Claustralis S. Petri Mauriacensis.
35. Bonifacius Letam, Prior S. Petri de Burgolio.
36. Polycarpus Tronque, Administrator S. Petri de Conchis.
37. Ignatius Philbert, Prior S. Germani de Pratis.
38. Machael Garonne, Prior sanctorum Gervasij & Protasij de Axijs.
39. Lucianus Frion, Prior Beatæ Mariæ de Pontelevio.
40. Placidus Rasteau, Prior S. Petri Ferratiensis.
41. Albertus de Maubrevil, Prior S. Eligij Noviomensis.
42. Gregorius Bodin, Administrator S. Salvatoris de Aquaria.
43. Joannes Harel, Prior S. Dionysij in Francia.
44. Antonius Sauy, Prior S. Maxentij Pictavensis.
45. Philippus Bastide, Prior S. Nicasij Rhemensis.
46. Theodorus Richer, Administrator S. Salvatoris Anianæ.
47. Matthæus Jovaoult, Prior S. Wandregisili.
48. Lucianus Lescuier, Prior S. Joannis Reomensis.
49. Claudius Salesses, Prior S. Andreæ Avenionensis.
50. Placidus Hamelin, Prior S. Petri Brantolmiensis.
51. Hugo Mathoud, Prior S. Columbæ Senonensis.
52. Anselmus de Rousseaux, Abbas S. Vincentij Cænomanensis.
53. Bernardus Hamelin, Abbas sancti Martini Sagiensis.
54. Germanus Claueau, Abbas sancti Sulpitij Bituricensis.
55. Sylvester Morel, Abbas sancti Illidij Claromontensis.
56. Ludovicus Janet, Abbas Casalis S. Benedicti.
57. Renatus Roquet, Administrator S. Wingaloæi de Landeveneco.
58. Maiolus Haion, Prior Majoris Monasterij.
59. Michael des Fosses, Administrator sanctii Juliani Turonensis.
60. Joan. Bapt. Mouly, Prior sancti Medardi Sueffionensis.
61. Robertus Diee, Prior sancti Florentij Salmurensis.
62. Hieronymus Chantrevil, Prior S. Florentij Veteris.
63. Thimotheus Villatel, Prior Beatæ Mariæ de Rupe forti.

Congregationis S. Mauri Priores & Superiores. R. P. D.

64. Roricius Gotereau, Superior Fratrũ noſtrorũ in Monaſt. Calenſi.
65. Joannes Villattel, Prior ſancti Petri Montis Majoris.
66. Jnnocentius Bonnefoy, Adminiſtrator B. Mariæ de Ebronio.
67. Bruno Valles, Prior ſancti Roberti Caſæ Dei.
68. Jſidorus Gueulvy, Prior ſancti Petri Latiniacenſis.
69. Laurentius Hunault, Prior ſancti Taurini Ebroicenſis.
70. Furſeus Clement, Prior B. Mariæ Virginis de Chalma.
71. Jldephonſus Cleré, Adminiſtrator S. Mariæ Virg. de Lantenaco.
72. Monaſterio B. M. V. de Troncheto providebit R. P. Superior Gen.
73. Placidus du Verger, Prior Beatæ Mariæ de Sacrocinio.
74. Gaſpardus Martinet, Adminiſtrator S. Vincentij Laudunenſis.
75. Adrianus de Rely, Adminiſtrator ſancti Sabini Pictavienſis.
76. Ludovicus Seroux, Prior ſancti Baſoli.
77. Nicolaus de la Selle, Prior ſancti Vallarici.
78. Chriſtophorus Tachon, Adminiſtrator S. Guillelmi de Deſerto.
79. Joſephus des Ormes, Prior ſancti Petri Vivi Senonenſis.
80. Hugo Coleon, Prior ſancti Petri Flaviniacenſis.
81. Franciſcus Girod, Prior ſancti Severi, in Capite Vaſconiæ.
82. Antonius le Fort, Prior B. Mariæ de Bretolio.
83. Fabianus Bureux, Prior B. Mariæ de Joſaphat.
84. Auguſtinus de Prades, Prior ſancti Cypriani Pictavienſis.
85. Jacobus Baldit, Adminiſtrator S. Tyberij.
86. Carolus Aubourg, Adminiſtrator ſancti Geremari Flaviacenſis.
87. Sebaſtianus Chreſtien, Prior Beatæ Mariæ de Lyra.
88. Xiſtus Monſnier, Prior Clauſtralis ſancti Porciani.
89. Victor Cottron, Prior B. Mariæ de Nogento.
90. Robertus Berthier, Prior ſancti Criſpini Majoris Sueſſionenſis.
91. Medardus Linotte, Prior Clauſtralis B. Mariæ de Argentolio.
92. Julianus de Radigueau, Prior B. Mariæ de Tuffeyo.
93. Paulus Oliver, Prior ſancti Joannis Laudunenſis.
94. Franciſcus Cheurier, Prior Beatæ Mariæ Moliſmenſis.
95. Claudius du Barrieu, Prior ſancti Sequani.

Monaſteria & ſuperiores Congreg. S. Mauri.

R. P. D.

96. Anſelmus Didier, Prior S. Leonardi Corbiniacenſis.
97. Ambroſius Faucher, Prior S. Petri de Curte ſeu de Manſo Gar.
68. Sebaſtianus Dubuſc. Prior ſancti Florentij Bonæ Vallis.
99. Robertus Berault, Prior ſanctæ Mariæ de Ambournay.
100. Laurentius Chauvin, Prior ſancti Gildaſij de Nemore.
101. R. P. Superior Gen. Monaſterio S. Nicolai de Kiblemont, providebit.
102. Petrus Pontelier, Prior ſancti Severi de Ruſtaing.
103. Simeon Maubaillard, Prior Clauſtralis S. Nicaſij de Neulento.
104. Jacobus Jollys, Prior ſancti Jacuti.
105. Carolus Tiboult, Prior ſancti Fuſciani de Nemore.
106. Jacobus Remy, Prior Beatæ Mariæ de Columbis.
107. Placidus Rouſſel, Prior ſanctiſſimæ Trinitatis Fiſcanenſis.
108. Benedictus Bugnie, Prior ſancti Petri Carnutenſis.
109. Claudius Hemin, Prior ſancti Petri de Pratellis.
110. Joannes Quevilhe, Prior ſancti Joannis Montis Olivi.
111. Stephanus Demonts, Prior ſancti Gildaſij Ruyenſis.
112. Sylveſter Petit, Prior ſancti Benigni Divionenſis.
113. Damianus Raulin, Prior ſancti Petri de Meloduno.
114. Timotheus Bourgeois, Prior ſancti Martini Æduenſis.
115. Antonius Lucet, Prior ſancti Martini Pontiſarenſis.
116. Germanus Friville, Prior ſancti Jovini de Marnis.
117. Bernardus Rouſſarie, Prior Clauſtralis ſanctæ Liberatæ.
118. Nicolaus Marcilhac, Prior ſancti Maurini.
119. Hilarius Pellier, Prior ſancti Marthæi in Finibus terræ.
120. R. P. Superior Gen. Monaſterio S. Michaelis de Angelis providebit.
121. Placidus Chaſſinat, Prior ſancti Petri de Cultura.
122. Superior Gen. Monaſterio S. Roberti de Cornilione providebit.
123. Waldericus Parent, Prior Clauſtralis ſancti Vigoris Baiocenſis.
124. Stephanus Loslin, Adminiſtrator Beatæ Mariæ de Lonleyo.
125. Fabianus Cuy, Adminiſtrator B. Mariæ de Nucerijs.
126. Fulgentius de Chabanes, Prior Monaſterij S. Carilephi.
127. Marcus Rivard, Prior Monaſterij S. Georgij.

Superiores Congreg. S. Mauri.

Joan.

Priorum & Superiorum Congreg. S. Mauri Catalogus.

128. Joan. Bapt. de Boulogne, *Prior* Monasterij *S* Richarij.
129. Josephus la Rocque, *Prior* Beatæ Mariæ de Soliaco.
130. Benedictus Coquelin, *Prior* sancti Michaelis de Ulteriori Portu.
131. Michael Geoffroy, *Prior* Beatæ Mariæ Sylvæ Majoris.
132. Augustinus Ballehastre, *Prior S.* Petri Resbacensis.
133. Victor Texier, *Prior* sancti Audoemi Rotomagensis.
134. Gerardus Pinet, *Prior* sancti Albini Andegavensis.
135. Franciscus Monclar, Administrator sancti Petri Caziacensis.
136. Franciscus Hodeau, Administrator *S.* Petri Cabilonensis.

R. P. D.

Monasterijs sequentibus:

137. Beatæ Mariæ de Bello Monte.
138. Monasterio de Bono Nuncio Bellu-acensi.
139. Monasterio sancti Petri Bezuensis.
140. Monasterio *S.* Petri de Cormeriaco.
141. Monasterio *S.* Martini de Villa Magna.
142. Monasterio Beatæ Mariæ de Monachia Narbonensi.
143. Monasterio sancti Petri de Bellò Loco, & denique
144. Monasterio sancti Ulmari Abbatis, &c. Providebit *R. P.* Superior Generalis.

Procurator Generalis in Curia Romana R. P. D. Gabriel Flambart.

Depositarius Congregationis
D. Jacobus Sudviraud.

Depositarius Monasteriorum
D. Ludovicus Boudar.

Celebrabitur Capitulum Generale proximum in Monasterio Sancti *BENEDICTI* Floriacensi anno Domini mil'esimo sexcentesimo sexagesimo sexto Feria V. post Dominicam quartam post Pascha.

Hæc acta; & publicata sunt per me Fr. Joachimum le Contat Definitorem Capituli Generalis, vi Privilegiorum nostræ Congregationis in hac parte Notarium Apostolicum in loco consueto Monastetio S. *BENEDICTI* Floriacensis, coram omnibus Patribus de eodem Capitulo, ad campanæ signum simul congregatis & adunatis. In quorum fidem tres antiquiores Professione Capitulo, non Definitores, scilicet Dominus Placidus Rousset, Dominus Gregorius Verthamont, Dominus Joan. Baptista Mauly, mecum in Libro Originali subsignarunt, anno ab Incarnatione millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio die vigesima Maij.

Collatum iuxta Originale.

De mandato Capituli Generalis, &
De mandato R. P. Superioris Generalis.

Digna omni aeternitate tantorum virorum nomina.

Ecce quot nomina Cœnobiorum, tot monimenta & Trophæa magnorũ de Mundo carne & cacodœmone triumphorum: quot virorum memoriã habes, tot luminaria nitidissima Ordinis amplissimarum Casinatis, Monserratensis, Cluniacensium & Cistercienſiũ, Camaldulensium, Fulienſium, Bursfeldensium Congregationum Ascetaria, Præsides Generales, Abbates omnes & singulos recensere attentarem, & neminem supra meritum, omnes & quemque obiter & pro rei exigentia, celebrare satagerem, certè in me onus supra vires exciperem, & vix ordiendo, finem desperare cogerer, etsi materia laudandi nunquam defutura esset.

V. Antonius de Lescale.

Ex supradictis præterire non possumus, longi itineris per Burgundiam & Lotharingiam Comitem ac Ducem admodum Reverendum Patrem ac Dominum P. Antonium de Lescale Congregationis tunc Visitatorem, biennio pòst mortuum, virum illustrissimo Genere ortum, sed Virtutum splendore longè illustrissimum, in quo revera intueri quotidie, & in omni actione mihi visus sum, BENEDICTUM revera REDIVIVUM; Monachum Angelum, haud immerito à tota sanctissima Congregatione magni factum; Zelotem Ordinis ferventissimum, deque eodem meritissimum; qui frequentibus aliàs litteris, & ultimis paulo ante felicissimũ vitæ terminum, varias mihi pro BENEDICTO REDIVIVO conquirere & communicare symbolas solitus, in postremis, id vel maximè celebrare, & commendare in facie Christiani Orbis voluit, quod novissima hâc & præcipiti ætate nostra, Deus Opt. Max. ex singulari suæ Divinæ providentiæ Dispositione, post tantum duodecim jam sæculorum decursum Sanctissimi Patris & Patriarchæ honori consulens, tanto ante ab Ipso primum, contra Cacodæmonũ insultus adinventa & inscripta numismata (S. BENEDICTI hodie vocamus) de novo, tamdiu latentia in tusum introduxerit & prodigiosissimis signis commendaverit, ita ut contra veneficia, & incantationes quascunque jam passim tota Europa certatim expeterentur, & ad collum etiam à potentissimis Regibus ex auro confecta, ac dein consueta benedictione sacrata, appenderentur, maximo inde fructu

S. P. N. Benedicti Numismatum Virtutes.

in

in Ecclesia Dei consequente. Fuit Antonio huic nostro in Votis præcipuum, quódque ardentibus semper precibus in vita sita à Numine contendit: ut in die & feria sexta Parasceveos, ipsâ etiã horâ, quâ Christus Amor suus Crucifixus, mori mereretur, idipsum per omnia assequutum, ijsdemque & die & hora sanctam efflasse animam, ab ipsius Reverendissimo Domino Abbate Carolo Vallis Gregorianæ Monasterienſi per litteras sum edoctus, qui & sanctissimum vitæ ejus exitum, prolixius celebravit. Vita excessit sub hoc ipsum ferè tempus Reverendissimus & Illustrissimus P.F. Bernardus de Ontiberos, professus Monasterij S. Dominici de Silos postea Abbas in Collegio S. Vincentij in civitate Ovetensi, Præsul incomparabili virtute, & eruditione præstantissimus, & ob has ipsas Generalis Ordinis per Hispanias electus, idem de cœlo, Deiparâ & hanc solidè amantibus universis meritissimus, *primarius*, nimirum, *Consiliarius Regis, in punctо Conceptionis Beatissimæ Virginis*. Hic denique creatus pro meritis Episcopus Calligurritanus in Regno Castellæ ad ripã Ebri fluminis, speculum Veri Pastoris extitit, sus omnia comoda, lucris oviculârum posthabentis, inque tanti Ordinis gradu summa & sancta in paupertate morsui. Sequutus paulo post, eamdem communem mortalibus viam ingressus Reverendissimus & Illustrissimus P. F. Benedictus de Rivas, Professus Monasterij S. Petri de Caradiña, olim de Rege & Regia Aula meritissimus, Concionator Regius, mira oris & Vitæ perfectioris gratia, in animos auditorũ potentissimus; demum Episcopus de porto Rico in Judijs creatus, & ipse S. paupertatis studiosissimus, in terra aurea ipse pauper decessit, ut æternis opibus bearetur.

Antonius noster exorat ipsa die & hora Crucifixi lapsi mori & impetrat.

Bernardus de Ontiberos Generalis per Hisp.

Bt Episcopus Calligurritanus.

Benedictus de Rivas Episcopus de Porto Rico.

Sed parcere nunc juvat verecundæ fronti, auribus laudum intolerantibus, memorandarum nihilominus, pro ipso in quo constituti sunt gradu, & in oculis omnium super candelabrũ positi occultari non possunt, imo expositi ut luceat lux eorumdem coram hominibus, è quibus paucos, de quibus audire contigit, ex nomine saltẽ recensere conabimur. Ex his Florentissimi etiamnum suis consulunt Ecclesijs: Ildephonsus de Aguayo, professus Monasterij Saguntini (Sancti Benedicti de Sahagun) & ejusdem loci meritissimus Abbas, deinde sanctissimæ Congregationis in Romana curia Procurator Generalis, nunc Episcopus celeberrimi portus & urbis Cajetæ in Campania, quocum Episcopatu uniti sunt, teste Baronio, Formianus & Minturensis, subditis egregio sanctioris vitæ exemplo præest, magnis, nisi mortalis etiamnum esset, laudibus celebrandus.

Ildephonsus de Aguayo Episcopus Cajeta.

Nec minus Elogio dignus, decantatissimus olim futurus Illustrissimus & Reverendissimus P.F. Joannes de Espinosa ex Monacho & Abbate, celeberrimi illius Sanctorum Promptuarij, Cœlorum Augustæ Residentiæ & Domus Regiæ Montis Serrati Totius Congregationis meritissimus Generalis & speculũ perfectionis, inde Episcopus Urgellensis, ac demum Archiepiscopus Tarraconensis in Catalonia; cui suffraganeæ hodie sedes sunt, Dertusa, Jlerda, Barcino, Vicus sive Ausona, Gerunda, Urgella, Helena sive Elna & Celsona, quem virum universa Hispania suspicit ac veneratur. Nec minus Encomiastem dissertissimũ mereretur, si ejus pateretur modestia, Illustrissimus & Reverendissimus Pater ac Dominus Josephus Sonier ex Monacho Congregationis nostræ sanctissimè Reformatorum Divi Vitoni & Hydulphi Abbas Sancti Vincentij Bisuntini sive Vesontionensis, Episcopus Andrevillensis Celsissimi Principis Archiepiscopi Suffraganeus, quem coram, anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, venerari & affari meruimus, jam tunc triginta quinq; annos in Abbatiali, viginti quinque in Episcopali agentem dignitate, Præsulem, cujus sola recordatio animũ recreet, & ad sanctiora excitet, singulare prorsus Reformationis illius, & totius Ordinis ornamentum. Sic floret hodierna die, nec Diœcesi solum consulit suæ, sed Orbi universo, & omni posteritati conditis, & condendis deinceps dignis omni æternitate subtilissimi ingenij monimentis, Illustrissimus & Reverendissimus P.F. Didacus de Sylva ex Alcesta S. Joannis de Burgos, loci inprimis ejusdem, deinde ad S. Martinum Madriti, Abbas, tum Generalis totius per Hispanias Ordinis. Tandem Episcopus Guadigensis, Vir per omnia, vitæ integerrimæ san-

Joannes à Espinosa Episcopus Urgellens.

Demum Archiepiscopus Tarraconens.

Joseph. Sonier Episcopus Andrevillensis.

Didacus de Sylva Epiſc. Guadigen. sis.

sanctissimo exemplo, & incomparabili eruditione, magnus, cujus alia inter opera extant in Primam Doctoris Angelici, & quotidie plura expectantur.

Joan. Caramuel Archiepisc. Otrantinus.

Et qualé non quantumque produnt orbi universo scripta eruditissima omnique dignissima admiratione Joannē Caramuelē nostrum de Lobkowitz, ex Abbate Montis Serrati Viennensis Episcopū Campanensem, qui hodie in Apulia cum summa laude agit Archiepiscopum Otrantinum?

Antonius de Soto major Episc. Samandriensis.

Ejus in Abbatia successor Reverendissimus & Jllustrissimus P. D Antonius de Soto Major, Professus S. Salvatoris de Cella Nova, electus Episcopus Samandriensis in Ungaria, cui plurimum debemus, utpote non pauca rerū Ordinis per Hispanias gestarū comunicanti.

Franciscus Rice Indiarum Episc.

Floret hoc ipso tempore Franciscus Rice Apostolici zeli Præsul, Montserratensis & ipse Congregationis [de Sede non constat nobis) Jndiarum Episcopus, sed & Dominus Jldephonsus Garcia Placentini in Hispania Episcopus Suffraganeus. Reverendissimus item Jgnatius sive Eneco de Arroyo, Montis Serrati professus in Hispania, & Montserratensis prope Viennam Austriæ aliquamdiu Prior, inde in Hispanias revocatus, creatúsque Abbas S. Adriani in Regno Arragoniæ, tū S. Victoriani in eodem Regno, ac demum Sassaritanus in Sardinia (vulgo de Sazer) Archiepiscopus, Præsul eximius. Dumque hæc scribimus edocemur, paulo ante memoratum, Joannem d'Espinosa Tarraconensem Archipræsulem anno 1669. superstitem, mortalitatem exutum successorem habere Jllustrissimum & Reverendissimum Joannem Emmanuelem, ex eodem Deiparentis Montserratensis gremio, in quo & professum & Abbatem egerat, meritissimum aliquamdiu Ordinis Generalem, Urgellensem deinceps post Joannem dictum, sive Urgelitanum Episcopum, nunc vero à morte Ejusdē Archiepiscopum Tarraconensem. Ut nihil nunc de Sacræ Cistercienſis Reformationis, & Familiæ nostræ Præsulibus, quos ex nomine recensere nequimus, memoremus, manifesto utique argumento, resuscitatum etiam postrema ætate in Ordine passim nostro Primævum Benedictinum Spiritum; imo in suis passim sese prodere Benedictum Redivivum, inque Cistercienſibus nostris unū pro millibus sufficientissimū se sistere, inque ipso reapse Bona omnia se repræsentare, ut haud inmerito non tam Joannes Bonus quam Bona cognominetur- Abbas is nuper extitit Congregationis Reform. S. Bernardi Sacræ Familiæ nostræ Cistercienſis, ejusdem Generalis absolutissimæ notæ, & Sac. Jndicis Congr. in Urbe Consultor, nunc Eminentissimus pro meritis S. R. E. Cardinalis, eâ omnium de Virtutibus & meritis ejusdem æstimatione, ut nisi per Eminentissimos Collegas Electio sumi Ecclesiæ Pastoris stetisset & staret, omniū plane aliorum calculos & vota obtinuisset, inclinatis non paucis etiam sumorū animis quibus cordi erat decantatissimum illud: *Vox Populi, Vox DEI, &c.* Marforio non metuente de Electoribus pronunciare;

Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Joannes Bona.

Pasquinus & Morfo-rius.

Qui timent Dominum, facient BONA.

opponente Pasquino:

Papa BONA, esset oratio incongrua.

Sed replicante Marforio.

Grammaticæ Leges, plerumque Ecclesia spernit: Esset Papa bonus, si BONA Papa foret.

Sed melior Bono, Optimus Cardinalis, Bona solidiora in fundo Humilitatis semper collocavit, & uti purpureum pileum nunquam exambijt, ita inter sumè expavescenda, & fugienda summum omnium in terris honorē censuit, ut à nemine minus quàm ab ipso timeant ambitiosi, apud quem candor omni pupuræ prævaleat, & qui abjectus esse in Domo Dei longè præeligat, quàm habitare in Palatijs purpuratorū, sibi constans tamen, & similis semper Cardinalis verè Religiosus.

Eneco d' Arroyo Archiepiscopus Sassaritanus.

Jean. Emmanuel Archiepiscopus Tarraconensis.

Et quanta Casinatis Congregationis hoc ipso anno & sequentibus usque hodiè, haud minora maximis sydera vidimus? quædam ultra 77. sæculi hujus intuemur? Jll.*mos* & Rev.*mos*; Marinum Baduarium Patricium Venetum S. Gregorij Majoris ibidem professum, Episcopum Polanū, sive Pietatis Juliæ in Jstria, sub Patriarcha Aquileiensi? Theodorum de Padua Professum S. Justinæ Episcopum Arbensem, sub Archiepiscopo Jaderensi: Hippolytum de Mantua, Professum S. P. Benedicti de Padolyrone Episcopum de Petra-Honorij, vulgo Bertinoro? Julium Odescalcum Professum S. Petri Jnglassiate Episcopum Novariensem Sanctissimi Domini nostri Jnnocentij XI. moderni

Marinus Episc. Polanus.

Theodorus Arbensis.

Hippolitus in Bertinoro.

Julius Novariensis.

ni Romani Pontificis fratrem germanum? Jacobū Lentium S. Pauli in urbe Professum ex Procuratore Generali Casinatum, Compsanū in Regno Neapolitano Archiepiscopum? Maurum Spinolam celeberrimæ familiæ virum ex Monacho S. Catharinæ de Janua Vintimilien sem sive Jntimelien sem in Liguria Episcopum? Alexandrum Palavicinum S. Joannis Evangelistæ de Parma Monachum, Vici S. Domnini Episcopum? Egidium Colonnam, Sublaci Professum Fel. mem. Urbani VIII. nec non Clementis X. consanguineum, Archiepiscopum de Carbognano? Jll.mum & Rev.mum Angelū de Nuce Sacri Montis Casini professum, ex Abbate ejusdē Archisterij, Sanctissimi Patriarchæ & Patris Nostri BENEDICTI serum licet, sed verum & meritissimum successorē, Soronum primo, inde Rossanen sem in Calabria Archiepiscopum, cujus sanctæ verecundiæ parcimus, ægerrimè autem à meritissimis laudibus abstinemus, qui haud ita pridem Vitam S. P. N. BENEDICTI à Magno E. Doctore Gregorio scriptam edidit & Chronicon Casinen se Leonis Ostien sis, quod utrumque doctissimis illustratum Notis, Clementi X. dedicavit. De hoc Angelo Angelici ingenij viro scripsit nobilis quidem Autor modernus: *Eum unum doctum se Romæ vidisse*, ut testatur Virginius Aluisetde Privilegijs Regularium sect. 4. dub. 29. quod elogium cum sit & rarum & forte invidendum, facile judicare est, quantam Angelus existimationem apud omnes collegerit.

Jacobus Arps Campsanus

Maurus Vintimilien sis.

Alexander S. Domnini

Egidius Carbognanus.

Angelus Archiepisc. Rossan.

Scriptor.

Insigne Elogium.

Claudamus denique agmen Germano robore, ne sola Germania nostra, nihil ad BENEDICTUM REDIVIVUM, ultimis hisce annis gloriæ contulisse videatur. Contulit secum ipse haud minimū, Reverendissimus & Celsissimus S. R. J. Princeps ac Dn. Dn. Matthæus Ferdinandus à Bilenberg Pragen sis Archiepiscopus, Legatus natus, Regni Bohemiæ Primas, Columen Ordinis & fulcrum firmissimum. Js ad magna natus, vix decem annos ætatis agens à parentibus avulsus, & ad studia missus ad Virtutes non minus, quàm illa gradus fecit, vigintique annorū Cænobiū ingressus, Tyrocinio exacto sacrā professus sub auspicijs & nomine Divi BENEDICTI militiam, decennio post Abbas S. Nicolai Veteris Pragæ creatus est, majore Cænobij bono quàm suo, quod ita Suecicus furor paulo ante exhausit, ut neque obolum, sed nec micā panis in toto Monasterio reperiret. Evicit difficultates omnes felici ingressū, eaque dexteritate consuluit rebus, ut merito secundi Fundatoris nomen retulerit. Jnde ad S. Joannis sub Rupe Abbatiam translatus æque desolatā atquè exhaustā, pari felicitate restituit, aliaque inter exhibita Monasterio beneficia, Templum ejusdē à fundamentis exstruxit, redditus annuos auxit, imortaliterque de eodem meruit. Jta ad tertiū etiam Cænobium S. Procopij planè derelictū evocatus, non sine speciali DEI gratia, hujus item alter conditor & Fundator extitit; ita ut trium horum Cænobiorū Abbates & Religiosi, omnē uni huic Præsuli suo debeant, post Deum Deiq; gratiam, suā felicitatē. Tum primum singulare illud Ordinis, tanto decursu sæculorum excentis comprobatū exemplis se prodidit, cum uti pleriq; Germaniæ Episcopatus Eichstettensis, Frisingensis, Herbipolensis, Argentinensis, Paderbornensis, Bambergensis, Werdensis, Osnaburgensis, alijque plurimi, è Benedictino Ordine primos suos, & præstantissimos quidem, meruere Episcopos, ita & novus Reginogracien sis (Königsgräz) Pontificatus, in Matthæo Ferdinando nostro, fundaretur, initiaretur & benediceretur. Evicit & hic difficultates plurimas, Generosissimus in ardua omnia Spiritus, decennio toto, quo præfuit, & frui denique suorum laborum fructu sperans, ad labores longè majores abreptus, nulla prorsus honoris ambitione, ad supremum Archiepiscopalis & Primatus Regni dignitatis culmen evectus est. Expavit ad insperatum nuncium Præsul optumus, & neglectis tot ambientium Votis, nil minus cogitantem se omnibus præferri, solius Numinis factum voluntate agnoscens, huic uni, in suis ad me prolixè exaratis merito tribuit: *Quis sicut Dominus DEUS noster*, inquit, *qui in Altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Dextera Domini fecit Virtutem, dextera Domini exaltavit me.* Audi Benedictinum se prodentē Spiritum: *Ego*, pergit, *de meis meritis nil scio, sed DEI in me mirabilem providentiam benedico, & exoro Bonitatem Divinam, ne desit suâ Gratiâ, insufficientiā meam*

Germano robore opus Claudamus

Matthæus Ferdin. Archiepisc. Pragen sis.

Compendium Vitæ.

Ubivis op. timè meritus.

Primus Reginogracien sis Epis.

Et Archiepisc. Pragen sis & Primas Bohemiæ.

Ipsa agnoscentis Dei gratiam verba.

meam adjuvet, debilitatem roboret, infirmum quod est consolidet, ut dignè & competenter adimpleam Ministerium ad quod assumptus sum, &c. Certè verendum Angelorum humeris tanti Sacerdotij munus & onus potius attendens, quàm honorem, à dulci a vocatum requie, ad curas iñumeras, labores & sudores, prudenter & religiosè quæstus, in hæc denique erumpit: *Ego me DEO devoveo; sub umbra alarum illius sperabo, & cum Decimus huc usq; numerus fuerit mutationis meæ index* (patet ex superioribus, consumpsitque etiã annos decem à suprema Regni Bohemiæ Quæstura) *ideo post decem Requiem æternam sperabo, &c.* Jta pro sua animi demissione Princeps non minus animo quã honore Celsissimus idemque humillimus. Fuit ipsius Pragã introductio solemnissima prorsus & magnificentissima, de qua edoctus Cæsar, ad nonneminem ex Jntimis hæc ipsa: *Verè digitus DEI hic est, quod tot Archiepiscopis non factum, & huic reservatum fuit, &c.* Celebrantur mirificè sancti conatus tanti Archipræsulis, & Cleri in primis reformandi ferventissimum studium, nec dubium ejus actiones observanti, iñortale ab ipso, Toti Bohemiæ Regno, reliquendum Gloriæ & meritorum incomparabilium, juxta nomen suum & professionis sanctitatẽ monimentum. Curat, alia inter, sacrã & Ecclesiasticã Regni Bohemici componi, & prolixius describi Historiam, nec minus quam antea rerũ Monasticarum satagit, ex cujus & litteris & factis omnibus, solidè Benedictinus se prodit Spiritus, piè ac sollicitè Patrum nostrorum æmulus, qui Cathedras Pontificales Germaniæ omnes egregijs demeruere immortaliter meritis, consecrarunt Vitæ sanctitate.

Jta claudere constituimus, sed quia typi dilatio ad octuagesimũ usque annum nonnullos interea, laudum suarũ impatientissimos, patientiores injuriarum, Archiparenti suo in cœlis adjunxit, paucula sparsim collecta superioribus etiam annis subnectamus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXV. Sancti Patris Benedicti. M. C. LXXXV.

Julius Odescalcus.

EFFulget singulare Ordinis nostri sydus, & ornamentum, eóque magis observandum & celebrandum, quo propiore etiam sanguinis relatione summo Christiani Orbis culmini contiguum, Julius nimirum, Odescalchus SS. Domini Nostri, & communis Ecclesiæ pastoris Jnnocentij eo nomine undecimi frater germanus, *BENEDICTI* autem Patris in suis filijs tanto Patre, ut illo fratre dignissimus, in quo primus, pro quo tot votis quotidie *DEUM* exoramus, excitatus est Spiritus: Hic in Monasterio S. Petri Jngessati Mediolanensi Congregationis Casinensis, Monachum professus, professionis suæ seriò expensâ obligatione, Vota sua Domino reddere, tantopere cordi habuit, ut vel tantillum torporis sive remissionis admittere, quàm pernitiosissimum, indignissimumq; æstimaret, adeóque ad amussim Sanctissimæ Regulæ obedientiã suam, paupertatem, & castitatẽ Angelica etiam puritate metiretur, cætera quoque præcepta Regulæ, tanquam revera Divini Spiritus dictata summa veneratione & devotione exciperet, maximaque cum animi consolatione explere in horas & momenta singula satageret; inde assequutus, ut quæ alijs tædiosa, & difficilia viderentur, ipse summa cum voluptate exerceret, & *DEO* sanctissimóque parenti suo per omnia placere gestiens magnis à Numine favoribus & gratijs cumulatus, ad sublimiora quotidie conscenderet, cœlóq;, ac cœlitibus se commendaret, atque inde Sanctorum illustratus splendoribus exemplo alijs esset, summa juxta animi præditus demissione, ita ut omnibus viliorem se crederet, & contemptu dignissimum existimaret. Fuit in Choro assiduus, contemplationis studio totus in DEUM abreptus, Otij hostis juratissimus, sacri silentij observantissimus, temperantiæ observãtissimus, carnis propriæ osor acerrimus, & quanto magis omnis expers ambitionis, tanto dignior omni promotione habitus, invitus admodum Monasterio extractus est, & Novariensis in Jnsubria creatus Episcopus, longè altiore promotione dignissimus, in ista protinus ita se habuit, ut admirationi & venerationi omnibus esset, perfectè in se exprimens, quæcunque in Episcopo Apostolus desideràsset, imo ipse Apostolum agens verè à DEO missum Novariensium pastorem, exemplo non minus quàm verbo universos non tã perdentem quàm rapientem, ita ut Nova-

Frater S. D. N. Innocentij XI.

ria quasi Nova, & revera tanto Pontifice fortunata & glorioſa redderetur. Profecit eo in honore tanta animi demiſſione, ut in uſum omnium pauperum cederet, omnibus inſerviret & inſervire geſtiret, verè mirabile noſtra ætate exemplar veri Epiſcopi, & in ſe redhibiti BENEDICTI REDIVIVI.

IESU CHRISTI ANNUS.M.DC.LXVI.
Sancti Patris Benedicti. M.C. LXXXVI.

PErcellit Italiam & Europam univerſam in tanta temporum obſcuritate, veniens è Cœlo cœleſti lumine fulgidiſſima Regum Regis dono memorabili in pignus ſingularis gratiæ Sponſæ in terris noviter electæ Gemma planè incomparabilis, ſive monile omnia Regum & Cæſarum donaria longè exſuperans. Tali dignatus eſt dono ſumma *DEI* Majeſtas Virginem Benedictinam in oculis ſuis abjectiſſimam Venerabilem Mariam Joannam Bonhomiam Abbatiſſam lectiſſimam, cujus collo torquē item auro cœleſti fulgidum & admirandum injecit, & huic appenſum monile tam pretioſum tam evidenti dilectionis ſigno amorem ſuū in facie præcipitis in extremum exitiū Orbis conteſtatus, ut nemo ſatis ſive dignitatē ſponſæ hujus, ſive dignationē Numinis admiretur, facilè autem æſtimet, quantis juxta hanc gratijs præverterit, tantam tamque ſingularē ſuæ benevolentiæ atteſtationem. Fuit gemma hæc, vivaciſſimæ Virtutis, & Divino quaſi animata Spiritu, intima etiā animi penetrans ſenſa, ita ut ſi vel leviſſimo quovis peccatillo, ſive negligentia remiſſior tantæ ſponſæ dilectio intepeſceret, gemma illico intima cordis proderet, & caligine quadā miro modo inductā Joannam tantoperè deterreret, ut ſponſi delicatiſſimi diſplicentiam haud obſcurè adverteret, móxq; pœnitendo & quantulumcunq; offendiſſet, tantoperè deplangeret, ut penè tota contabeſceret, ac per Confeſſionē & Satisfactionem inexplicabili animi contritione, demiſſione & deprecatione ſupplex ſponſo ſuo, veniā & remiſſionem exoraret, donec ſplendor ille Divinus monili redderetur. Quæ res quàm cautam deinceps Joannam reddiderit, quantopere amorem, devotionem, perfectioniſque ſtudium exacuerit, quantum vires exeruerit, ominari facilius eſt quàm exprimere. Cujus ob hoc ipſum in omni Virtutū genere tantus progreſſus fuit, ut miraculum ſanè poſtremæ ætatis hujus eſſet, ſponſo nō minus in ipſa excolenda ſatagente, quàm ipsā ad ſummum ejus benè placitū ſeſe adaptante, ejuſq; arbitrio ſubijciente. *Ex vita eiuſd. diverſis locis excuſa.*

V. Maria Joanna Bonhomi Cœleſti donatur monili.

IESU CHRISTI ANNUS.M.DC.LXVII.
Sancti Patris Benedicti.M.C.LXXXVII.

INvaleſcenti nimium inexplicabiliter infanda & execranda maleficorum, *DEUM* Jpſum ſalutemque ſuam ejurantium, totóſque cacodœmoni ſe conſecrantium, Euchariſtici inprimis Sacramenti hoſtium, conjuratiſſima multitudine, quin & pejore his ipſis veneficis ſub pietatis & miſericordiæ prætextu Patrocinantium ſectæ obnititur pro virili ampliſſima & ſanctiſſima Congregatio Monialiū Ordinis noſtri à Venerabili Sacramento Cognominata, dieſque ac noctes, hora nunquam interrupta *DEI* miſericordiam ardentiſſimis precibus exorat prō tantis injurijs non tantum indignè ſumentium & blaſphemantium, ſed vel maximè, pluſquam diabolico auſu tantū Sacramentum in terrā abijcientiū, in Choreas diabolicas trahentiū, pedibus tanto Numini inſultantiū, in ſtercora, urinam, flammas inijcientium, conſpuentiū, transfigentiū, lacerantium, & talia facinora impunè tolerantiū, imò impunè tolerari ſub ſpecie pietatis, ne cum maleficis innocentes comprehendantur, contendentium; quaſi verò ſolis delationibus fides adhibenda eſſet, & tot latrociniorum rei manifeſto in flagitio deprehenſi trahi ad ſuppliciū non deberent, ne fortè innocentes in participium tanti ſceleris traherent; quaſi verò non conſtaret, delationes ſolas merito ſuſpectas ab illuſionibus diaboli eſſe, qui ſe non ſolum conſueverit in Angelum lucis transformare, quin & ſæpe Chriſti ipſius imaginē præſeferre, adeoque non in apparitionem ſimulatæ centies millies perſonæ innocentis, ſed in ſolum deprehenſum flagitiū & maleficium, ſolidiſſimè inquirendum eſſe. Pro tantis, inquam, injurijs, *DEO* ipſi illatis, & humano generi, imo pecoribus & frugibus intentatis, avertendis & evertendis, placandaque juſtiſsima Numinis ira inceſſanter ſuſpirijs, lachrymis, precibus, aſsidua tenuium

Congregatio à Ven. Sacramento.

nuium corpusculorum maceratione & castigatione sese Numini mactat & sacrificat Jnstitutio & Congregatio præfata, & ut sperandum, tantum denique proficiet, ut comuni Catholicorũ Principum consensu, in execrabiliorẽ omnium Hæresum ab ipsis Ecclesiæ exordijs pestilentissimã luem solidior absque ullo periculo innocentiũ & inquisitio instituatur & executio, ne infinita & inumerabilis innocentissimorũ liberorũ multitudo, ex pacto cũ Cacodœmone inito in ejusdẽ sceleris tracta exitiũ usque & usque idem in alios propagando, vel quos sibi adjungere desperant, inexplicabili tormentorum sævitie excrucient, sive prorsus immanissimè è medio tollant, omnemque & cœli & terræ benedictionem suis maleficijs avertant. quarum calamitatum omniũ promotores præcipui sunt, qui Jnquisitioni Legitimæ & cautæ, sive respectu suorum, vel metũ sumptuum, contra tam expressum *DEI* ipsius mandatum: *Maleficũ non patieris vivere*, Maleficis contra Numen ipsum, & tantas *DEI*, & universi humani generis injurias patrocinantur, ut mirum omnino sit, non illico è cœlis fulminari, quibus cùm Justitiæ administrandæ incumbat cura, non vereantur in tam manifesto mortalium periculo in tollenda tam pestilenti sibi totique humano generi lue, & *DEI* juratissimis hostibus communi consilio excindendis; cùm ad hoc ipsum tam expresso *DEI* mandato teneantur, & corã hoc ipso tot centenorum millium seductorum & deinceps seducendorũ rei de facto habeantur, utiq; pertinente ad se flagitio etiã post mortẽ suã ad usque finẽ sæculi in parem damnationem trahendorum. Ut proinde tantò plus debeat afflictissima Christiani Orbis necessitas tã piè affectis erga Venerabile Sacramentum ejusque deprecandis injurijs, quantò resentire magis optimus quisque debet, adeo infanda & detestanda ab ullo Christiano dissimulari, imo dissimulando promoveri.

REDIVIVUS proinde in his Benedictinis Virginibus Priscus ille Maleficorum triumphator Magnus Pater BENEDICTUS, per seipsum etiã hodie adversum maleficos rem fortiter agit, innumerabilia passim recentissimis & prodigiosissimis beneficijs maleficia concessâ sibi singulari à Numine potestate tollit, ita ut vel sola certis signata characteribus Benedictio, & chartis impressa, arboribus appensa, ædibus, agris, vineis inserta, jumentis in pabulo præbita, ingentia prorsus mala averterit, pecora curaverit, fruges & fructus conservaverit; uti oculatissimorum religiosissimorumque virorum oculatorum testium fide edocti sumus: & verò etiam quotidie experimur; ut Thaumaturgum hunc tantis & quotidianis miraculis REDIVIVUM se comprobantis nunquam satis miremur & deprædicemus; & verè BENEDICTUM à tanta Benedicendi gratia & virtute Benedictionis in omni necessitate, & vel maximè contra tot maleficorum conjurata odia, & cacodœmonum tentamenta devotissimè exoremus, tantíq; Patris Benedictioni & tutelæ, nos ipsos, agros, vineas, ædes, cellaria promptuaria omnia nostra quàm devotissimè commendemus, & vel maximè tot innocentium parvulorum, à tot hostiũ saluti animæ & corporis insidiantium, technis, persuasionibus, & insidijs innumerabilibus cautũ misericorditer velimus. Tanto tamque benefico Patri ejusque protectioni, in genere & specie eosdem committendo, ut à tantæ seductionis & maledictionis periculis præmuniantur, & eximantur.

IESU CHRISTI ANNUS M.DC.LXVIII.
S. P. N. Benedicti. M.C. LXXXVIII.

INtercepit medios rerum maximarũ, æternísq; laudibus dignissimarũ conatus mors præmatura Reverendissimi & Celsissimi Principis ac Domini Domini Matthæi Ferdinandi Archiepiscopi Pragensis meritissimi, Prælati omnibus numeris absolutissimi, viri cujus uti electione lætificatus est Ordo Benedictinus universus, ita extinctione merito ingemens luxit. Certè magnum illum Antecessorẽ suum S. Adalbertum ut singularem sibi Tutelarem elegit, ita per omnia sibi imitandum censuit, omnique animi adnisu ad reformandam suam Archidiœcesim incubuit, non tã reditibus copiosis, quàm lucris intentus animarum, pro quarũ salute se totum impendere & expendere gestiebat. Pontificem indutus, Monachum nunquam exuit, sed tanto ferventior in perfectionis studio fuit, eâ

Matthæus Ferdinandus Archiepiscopus Pragensis.

vitæ & animi puritate, ut ad primæ vos Ordinis fructus respiceret, & quæ sanctissimi quivis ex Ordine assumpti Pontifices in se susceperant, haud impari zelo ac fervore aggrederetur, Monachicarum Regularum, frugalitatis, & demissionis ubivis memor, nihil ut in ipso, quod mundi spiraret genium, appareret. Illud fixissimum in animo habuit, quod & mihi insinuare dignatus est, allaboraturum se pro virili esse, ne priscis electis ex Ordine Episcopis indignior haberetur, & si cederet vitæ gratia, conatu tamen quanto posset industriam suam comprobaret. Hæc ex summa animi demissione, quam sexcentis signis prodidit, firmissimo per hanc jacto Virtutum omnium fundamento. Nec dubiũ tam synceræ mentis candorem Numen respexisse, tamq; sanctam Archipræsulis hujus intentionẽ, pro ipsâ executione operis acceptasse, & quasi emeritum ad præmia vocasse, cum adeo præmaturè tantis ipsum laboribus præriperet haud impare tamen Martyrum patientiâ, ut hâc quoque ipsâ Tutelari suo & Regni Divo Adalberto propior accederet, prius donaret. Accidit infelici chyrurgi manu, ut phlebotomia minus succederet, & vena vel penitus dissecta, vel gravius læsa, brachiũ nimioperè intumesceret, ex quo dolores prorsum intolerabiles & irremediabiles successere, in quibus patientissimè tolerandis ad mortem usque sui ipsius victor extitit; donec victricia in cœlis præmia mereretur: Reliquit Ordini mœrorẽ magnum, nec minorem tamen gloriam, inter spectatiora ejus sydera obscurissimâ hâc ætate numerandus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXIX. S. P. N. Benedicti. M. C. LXXXIX.

COelum ipsum recreat Redivivi in amplissimo Galliarum Regno, & vicinis Regno provincijs, Burgundia & Lotharingia, miraculum, tot sacrarum Amazonum non minus quàm virorum, de carne, mundo, & diabolo adec gloriosè triumphantiũ, cujusmodi non pauca paulo antè, sed jam cœlo receptorum retulimus, multo autem plura superstitum referre possemus, sancto autem rubori eorumdẽ parcimus, & Dei gratiam in illorum glorioſissimis pugnis veneramur, gloriam deprædicamus. Et revera Mons Martyrum, Vallis Gratiarum, suo dignissima nomine Monasteria Parisios supra omnem aliam Majestatis Regiæ Urbis amplitudinem, populorum frequentiam, Palatiorum magnificentiã valorem suum Numini ipsi commendarunt, ut nihil de Sanctorum Vitoni & Hydulphi, nihil de S. Mauri amplissimis Congregationibus, nihil de Calvarienſibus, nihil de Venerabilis Sacramenti monialiũ amplissimis cætibus; nihil de Pœnitentiariarũ aliarumq; monialiũ prodigiosis planè exemplis memoremus, ut ad me indubitatæ fidei, minimè testis ambitiosus, nedũ temerarius, confidentius & syncerius scriberet: *haud florentiore in statu Gallias Magnũ illũ Admirabilis Patris & Patriarchæ BENEDICTI discipulum Divum Maurum ad supera raptum reliquisse, quàm hodie cœlo descendens, Visitationemque instituens, idem Ordinis Sanctissimus Institutor sit reperturus:* Regijs tenellulis puellulis, vix minora Magno Antonio tentantibus; imo si per Superiores liceat, præstantibus, ut merito omnes evanescant excusationes in peccatis, temporibus nostris tanti rigoris Regulas non quadrare cum Dictatoris Regularũ unici simul vires optumæ debilium voluntati largientis non attendunt; sed tepidis suis, imo nullis conatibus omnia metiuntur, atque utinam, teste Numine apud Venerabilem Annam de Bois, non mentiantur.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXX. S. P. N. Bededicti. M. C. XC.

REdivivi in se Patris Benedicti, filiam quàm simillimã Sponsam singulari torquis aurei & monilis incomparabilis pignore obligatã, hoc anno ad nuptias rapit Agni immaculati effusum in terras cœlum, & Virginum sponso sistit Venerabilem Mariam Joannam Bonhomiam, Virginum suæ ætatis miraculum, Sydus Italiæ, imò Ordinis Benedictini universi longè illustrissimum, quod ipse bonorum omnium auctor & opifex ad limã exquisitissimæ suæ voluntatis ita elimavit, ut dignissimũ diademate suo effecerit, haud minus splendidè gemmâ illâ, quam dono Virgini dederat, expolitum, nec minore splendore fulgidum: Talis Joanna nostra

Ven. Maria Joanna de Bonhomi.

fuit

fuit, qualẽ, qui elegerat, ut æternũ placeret, sibi ipse finxit, ipsus composuit, ipsus excoluit & exornavit, & in ipsa magnificus videri etiam à nobis voluit, ne quod olim poterat, etiam hodie non posse dubitaremus, in cujus gratiæ ornatu ipsi etiam Cœlites recrearentur, uti in ejus assumptione lætati sunt & tantos ipsi favores, tanti sponsi amores gratulati, ut facilè de Jpsius BENEDICTI Patris gratulatione ominemur, imò omnes veri ejus filij, & ipsi & nobis gratulemur de Patrona tanta, apud Omnipotentem tantum prævalente auctoritate & gratia, ejus exemplo docti, quantum etiam hodie possit Regulæ sanctæ exactius studium, & perfectior Voluntatis propriæ extinctio, quæ Crucifixo amori ita Joannã sponso copulavit, ut una cum ipso configeret, ut sacris etiam stigmatibus, uti Seraphicus ille Franciscus, prodigiosissimis summæ dignitatis & amoris signis toti mundo, cœlisq; ipsis summè æstimandis notaretur, & insigniretur. Ut jam non minus in sua effigie tantis insignita signaculis, diffidentibus propriæ fragilitati, & in præceptis Regulæ, fingentibus laborem in præcepto, cum Apostolo ingerat: *De cætero nemo mihi molestus sit, Ego enim stigmata Domini IESU in corpore meo porto.* Et: *Gratia Domini nostri IESU Christi, cum Spiritu Vestro, fratres*: Si tamen Spiritu, & non potius secundum carnem vivatis.

Mariam Joannam, viri doctissimi, ijdemq; Religiosissimi, haud quidquã minus gratiâ valuisse apud Divinam Majestatem, quàm valuerit magna illa Teresia, & Senensis Catharina, pro certo habent, & revera tanta sunt, quæ in ipsam contulit omnipotens, ut nulla satis admiratura posteritas sit, nec ullâ satis seu linguâ seu pennâ exprimi possint. Fuit à teneris unguiculis miris illustrata visionibus, miraculis gloriosa, & Spiritu Prophetico donata, tantis tantos juxta favores tentationibus & tribulationibus excocta, ut nemo non vel solum exaudiens exhorresçat, quin & patienti Christo Sponso suo non solum, ut diximus in Cruce confixa, sed per omnia totius sacræ passionis supplicia compassa, flagellata, spinis coronata, confusa, contusa, ut Archimartyrem jure deprædices, Regi Martyrum ita conformatam, ut nil nisi sola Numinis gratia, vitam tanta inter tormenta roborarer: quæ tanta ejus patientia meruit, ut solenni prorsus Sponsaliũ festivitate Sponsam sibi Virginum Sponsus copularet, frequentissimum inter testium sumæ auctoritatis numerum, sponsum advenientem comitantium, tantóque actui præsentiũ 12. Patriarcharum & Prophetarum, 12. item Apostolorum, totidem Martyrum, totidemque Confessorum ac Virginum, Jpsâ quoque Virginum Virgine Matre sua, applaudentium & congratulantium universorum. Certè Joanna hæc, tantum Divinæ in se operantis gratiæ, & charitatis miraculum fuit, quod non uni solum huic obscurissimo sæculo, in exemplum Sole omni illustrius Divinæ in suos benevolentiæ chariratis, & largitatis inexplicabilis, sed pluribus sæculis sufficisset, huic autem postremo in singulariſſimum Benedictini Ordinis excitamentum provisum, destinatũ & concessum, quod ipsum animadvertens invidentæ primus author Cacodæmon, nullis non artibus impedire conatus est, ut tam luculenta Divinæ gratiæ argumenta in scripta, & publicum proferri impediret, adeóque prodigiosũ BENEDICTI in Joanna filia verè REDIVIVI ab tanto exemplo fructus nequitiosissimè interciperet, etsi frendente ipso, omnes ejusdẽ astus & fraudulentia, summa cum ipsius confusione proderentur, atque ex his ipsis tanto magis Veritas eluceſceret, & fervor imitandæ tantæ Virginis accenderetur. Prodijt Vita Sponsæ hujus lectissima ipso Operis hujus jam finiti anno 1679. ita ut quæ cuique debebantur anno, prodigiosissima prorsus Divinæ gratiæ in Joanna miracula inserere nequiverimus, quæ singula omnem etiam sensum resuscitare extinctorum potuissent ac debuissent.

Dispensatio mirifica.

Altera Teresia.

Verè Christo compassa.

IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.LXXI.
S. P. N. Benedicti. M.CXCI.

SOlus pro multis sufficiens in exemplar BENEDICTI REDIVIVI annis, imo pro sæculo integro Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, Fuldensis & Campidonensis Princeps & Abbas Bernardus Gustavus Badensis Marchio Sereniſſimus Austriadum Regum & Cæsarum multo nomine & Sanguinis jure consanguineus, totum volumen elogiorum

Bernardus Marchio Badensis.

orum mereretur; qui non sine singulari Numinis gratia mirabili sanè vocatione ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ, paulo post ad sacra Magni Monachorũ Archiducis Benedicti castra & signa vocatus, ea Divinæ inspirationis signa in Cænobio primùm Rhenovienſi edidit, quasi ab ipsomet Magno Patriarcha institutus, explere ipsa Magisterij non rudimenta, sed complementa conaretur. Et revera incipiens proficientium non solùm, sed perfectorum suo exemplo Magister quasi & Doctor extitit, eũ tantus Princeps ipsa sua animi demissione omniũ intuentium animos percelleret, suaque ad exercitia quævis Religiosa promptitudine consuetudinũque & Ordinis & Monasterij accommodatione neminem non magis accenderet, tanta cum omnibus familiaritate, quasi connatus ijsdẽ frater & sanguine & professione esset. Jmo simpliciorũ quorumvis Religiosorum sumoperè delectatus consuetudine, verè simplex in oculis suis factus, cum tamen excelso esset animo, & insigni præditus prudentia, verè columbinã jungens simplicitatem prudentiæ serpentinæ. Hinc nihil se duxit indignum, simplicissima contentus veste, paupertatẽ, quam professus erat, in purpura æque cardinalitia, quam dum simplicem ageret Cænobitam sedulo consectatus in lectulo non minus, quam mensa, omnẽ splendorem fugiens, in ipsis quoque verbis, & moribus humillimorum exempla imitatus. Memorabile sanè illud cum manicas vestis attritas refici fragmentis scapularis curaret tantus Princeps, & sic consutus apparere in conspectu suæ Aulæ majorum, dignum Monacho, etsi Principe & quidem eminentissimo, censeret, qui Christi juxta humilitatẽ sectaretur. Fuit mira præditus animi lenitate, solertissimus Religiosæ disciplinæ observator, & cùm Abbas electus esset, promotor; lectionis sacræ studiosissimus, vir verè Contemplativus, contemplationis studio addictissimus, nullius tantopere satagens negotij quàm quomodo Spiritus cui S. Pater Benedictus servivit, in creditis sibi Monasterijs, sed & in toto Ordine excitaretur; suo exemplo omnibus prælucens, ut nihil revera in ipso Abbatialis & verè Paterni muneris posset desiderari. Talis omnino qui omnium Monasteriorũ Antistitibus animũ addere & calcar posset, ad omnes excusationes disciplinæ acuratius promovendæ & huc usq; minus promotæ jugulandas, cùm ipse tantus Princeps se ipso aggrederetur & exerceret, quæcunque ab alijs exigebat; ut planè nulla valeret excusatio, cùm talis ac tantus in se susciperet, quæ minoris notæ triarij sibi observatu difficilia quererentur & sæpius recusare non erubescerent.

ANNUS CHRISTI. M. DC. LXXIII. S. P. N. Benedicti. M.CXCIII.

ITerum Redivivi vigoris, fervoris, & splendoris filiã Redivivus in suis filijs & filiabus Magnus Pater & Patriarcha Benedictus, Virginum sponso in cœlis adjungit, decimo sexto Novembris ex mortalitate hâc ad felicissimam imortalitatẽ translatam Venerabilem Aureliam Franchi Monialẽ Ordinis sui in Monasterio Brixienſi Sanctorum Cosmæ & Damiani, admirabili sanctioris vitæ opinione celebratissimam, quam & mirabilis Deus in Sanctis suis haud mediocribus singularis sui affectus argumentis & signis, obscurissimæ huic ætati nostræ comẽdare visus est ad æternã omnipotentiæ suæ gloriã celebrandã, quam etiã in diversis, Hispaniarũ, Galliarum, Jtaliæ, & Germaniæ Ordinis Congregationibus singulari Regularis observantiæ promotione promovere non desinet, paulo post totum Ordinẽ restituturus primævo flori, & fervori videatur. Certè, revocatus ad amussim sanctissimæ Regulæ Fulienſium rigor facilitatem, Regulæ ex integro observandæ prudentium omnium, & secundùm Spiritum sapientium, corda haud leviter movet, ut nemo non, qui gratiæ Dei in ipsis adeo potenter operantis magnalia intuetur, intrinsecus moveatur, & spem concipiat maximã Ordinis paulopost ad primævum vigorem, virorem, florem & fructus revocandi. Cujus tantæ suæ & mirificæ operationis promissionẽ haud obscurã ipsimet Benedicto Patri primarijsque Antiquorũ Ordinum Fundatoribus Divina Bonitas, teste Venerabili Anna de Bois Abbatissã Brigitina, fecit, ut nemini dubium esse deberet, etiã juratos sanctæ Reformationis hostes, aut mirabiliter ad meliorẽ sensum vertendos, aut

Ven. Aurelia Franchi.

Promissio Divina.

rigi-

rigidam DEI manum certo tertius experturos.

Vivorum verecundia parcitur.

Sed relictis, qui superstites etiamnum humanis subjecti sunt casibus, finè Operi recentissimis exemplis, mundi calamitatibus exemptorum, faciamus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXXVII.
S. P. N. Benedicti. M.C.XCVII.

REDIVIVI in filijs suis Beatissimi Patris BENEDICTI gloriam & plausus ad præmia laborum hoc anno die decima quarta, Januarij vocatus, haud minimum auget Reverendissimus Dominus Andreas Zambleccius Abbas Andreovienſis, qui in frigidissima cæteroquin regione Minoris Poloniæ Divinæ charitatis ignibus succensissimus, multos calore suo fovit mirificè atque animavit. Js miris Virtutum splendoribus emicuit, ita ut intuentes omnes magnam verteret in admirationem. Fuit vir plânè Angelicus, carnis propriæ hostis juratus, assiduus in DEI laudibus, sancta intentione & contemplatione cœlo semper affixus, disciplinæ Regularis promotor strenuus, ob elucentê ex eo evidentissimis signis gratiam egregiæ sanctitatis opinione celeber, summaque in veneratione habitus. Hæc ex relatione oculatorum, & spectatæ fidei testium corâ Episcopo facta, & Casimiro Vincentio.

Ven. Andreas Zamblecius.

Vir Angelicus.

Testes vitæ oculati.

Redivivus hoc ipso etiâ anno Benedictus in Rediviva, & ingenti prorsus miraculorũ multitudine & magnitudine comprobata sanctissima illa Regij generis Virgine, Diva Rosalia. Hæc Panhormitanæ Urbis, imo Siciliæ universæ immortalis gloria, Monasterij quondâ de la Speranza Monialis Benedictina admirandis & innumeris prodigijs usque hodie à Numine commendatissima, hoc ipso anno, non Jtaliam solùm universam, sed totum Christianum Orbem immortali merito demeruit, cùm propugnaculum illud inexpugnabile Jtaliæ Melitensem Jnsulam, pestilenti lue graviter, imò desperatè periclitantem, demississimis precibus, & gemitibus cœlo devocata prodigiosissimè eripuit, totâ Europâ merito tantæ Virgini plausum dante, cùm jam Draco ille Orientalis spe quasi indubitatâ, bolũ tantopere sibi conducibilem devorasset, contremiscente ad exitium & periculum adeo vicinum Jtaliâ, & de tanto tantæ Protectricis beneficio plurimum sibi gratulante. Fuit Rosalia pridem innumeris ejusmodi prodigijs, & pestilentis maximè luis profligatione celebrata, & Viennæ etiam nostra ætate Austriacarum Urbium Metropoli plurimum comẽndata, cujus tamen fortè minus memores acceptæ gratiæ cives, neglecti cultus hodie satis seriò admoneri videntur, cujus utinam neglectus hodie, etsi sero pœniteat, tantamque denuo sibi Tutelarem concilient, ne Solis sui Augustissimi Leopoldi Cæsaris splendoribus & calore omnis abundantiæ prægnantissimo diutius destituantur. Habet Rosalia sui nominis & Benedictini Ordinis ampliſſimã plurium Cænobiorum in Sicilia Congregationem, quæ ad differentiam singularis sui Ordinis familiæ, cruce candidâ scapulari nigro assutâ insignitur, & ob tantæ Tutelaris reverentiam peculiari in honore habetur & digna est, ut habeatur. Vitã ejusdé, Monachatum & prodigia, non uno conscripsit Volumine R.P.D. Tornamira noster. & asserit etiam Monachatum Benedictinum Urbanus VIII. in Bulla anni 1634. monialibus ejusdem Benedictini Ordinis sub nomine S. Rosaliæ expedita, quarum præcipuũ Monasterium, S. Rosaliæ dictum, Panhormi visitur, & magnâ fidelium devotione frequentatur.

Monialis Benedictissa.

Vienna Contagio.

Vitæ & Monachatus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXXVIII.
S. P. N. Benedicti. M. CXCVIII.

EXtinguitur magnum revera Germaniæ & Ordinis nostri Sydus Cardinalitij Ordinis decus Eminentissimus S. R. E Cardinalis Bernardus Gustavus Sereniſſimus Marchio Badensis Leopoldi Augustissimi Cæsaris, vetustissimo & novissimo sanguinis jure consanguineus lectissimus, Redivivi in seipso Patris sui BENEDICTI filius, Abbas Fuldensis, & Campidonensis meritissimus, ipso hoc anno Festo Proto-Martyris Stephani ad coronam & præmia, uti nulli dubitamus, vocatus, haud impar tolerantia Martyribus, cum solemni professione Romanæ Fidei factâ, prioris sectæ assectis, suisque & fratribus & cognatis factus odiosissimus, scommata, injurias, exprobationes, haud aliter atque imbrem lapidum patientissimè non solum, sed plenissimo

Moritur Cardinalis Badensis.

cordis

cordis plausu excepit, quin & Apostolico Zelo, pro hostibus juratis DEUM sedulè orans, plurimumque laborans, & sudans pro conversione eorumdem apud Divinum Numen quàm enixissimè institit, quin & pro Zelo promovendi rigoris Monastici, pro commendanda suo exemplo paupertatis & frugalitatis studio multa pertulit, & contemni etiam à magnis, pro insigni sua animi demissione & modestia æquissimo animo sustinuit. Ita ut non sine singulari Numinis dispositione, & meritorum comprobatione in Festo Sancti Stephani, ex hoc mundo translatus videatur.

Ejus patientia.

Uti autem patientissimus injuriarum fuit, & contumeliarum, ita laudis & honoris impatientissimus, uti non uno, sed pluribus argumentis nobis constitit, dū edoctus, me hoc ipsum Opus Ipsi inscribere statuisse, gratiosissimè suis me conveniens litteris laudes omnes sollicitè est deprecatus rogans quàm demississimè, ubicunq; mentionem Ejusdē facturus essem, prius communicarem; spopondi, curaturum me, ne quovis modo offenderetur. Jdq; impedimento fuit, quo minus in vitam & laudes Ejus acuratius inquirerem, quæ revera Volumen singulare, & quidem benè magnum mererentur.

Impatiens Laudum.

Dignus magno volumine.

IESU CHRISTI ANNUS. M.. DC. LXXIX.
S. P. N. Benedicti. M. CXCIX.

S. Gertruda Redivi-va.

REdiviva cum maxima Virtutum operatione & beneficiorum exhibitione Magna illa & Mirabilis Gertruda Saxonica, admirandis prorsus elogijs, ab ipso Virginum Sponso, Virginis celebrata filio, effervescente non minus per Hispanias, quàm Gallias, & patriam Germaniā ejusdem summa Veneratione, & cultu, cum jam superioribus annis Urbani VIII. Successorumque Pontificum animos mirè accendisset, hoc denique Anno Jnnocentiū XI. Pontificem Maximum Sanctissimúmque permovit, ut Martyrologio Romano adscribi vellet, & juberet die 17. Novembris his ipsis formalibus verbis:

Martyrologio inserenda.

In Germania Sanctæ GERTRUDIS Virginis Ordinis Sancti BENEDICTI, quæ dono revelationum clara extitit.

Ita typis Romanæ Cameræ. Sacra Rituum Congregatio ad relationem Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Columnæ Jnstante P. Mag. Fr. Jldephonso de Mier Procuratore Gen. Congregationis Hispaniarū ejusdem Ordinis censuit supradictum Elogium, ut jacet, S. GERTRUDIS, cujus festum celebratur die 17. Novembris ex Decreto ejusdem sacræ Congregationis habitæ die 17. Junij 1673. apponendum, & describendum esse in Martyrologio Romano, & ita decrevit die 21. Januarij. 1679.

Festum merito celebrandum.

Celebratur hoc Festum incredibili animi fervore in Hispanijs, & Gallijs, Congregationibus Vallisoletana, Sancti Mauri, itemque SS. Vitoni, & Hydulphi, plurimis sacris altaribus in peculiarem Ejusdem honorem splendidè exstructis, cujus felicissimæ mortis admirandam prorsus gratiam cum morte luctantibus quotidiana Commemoratione recolentibus plurimum profuturam in agonē illo ipsa promisit, & singulare illud beneficium ab amantissimo Sponso promeruit, qui in tantæ Sponsæ suæ gratiam, nihil posse petentibus denegare satis apertè declaravit, dum à Venerabilis Sacramenti refugio ad cor Gertrudis peculiari devotione famulum amicissimum remisit: in Sacramento altaris, sive corde Gertrudis me invenies. Ut merito de tanta turelari & ordo universus & Germania inprimis patria plurimum sibi possint, & debeant polliceri, & exspectare.

Eodem anno 1679. Mirificum sane BENEDICTI REDIVIVI exemplar Patri suo verè Admirabili in cœlis adjungitur Vinculis carnis die undecima Aprilis absolutus Reverendissimus Dominus Joannes Baptista à Brixia Monachus olim, & Decanus Monasterij sanctorum Faustini & Jovitæ patronorum Brixiensium Congregationis Casinensis postea Abbas Castro Casinensis, vir per omnia magnus, & admirabilis omni virtutum maximarum ornatu cultissimus, qui postea missus in Lithuaniam, & Nesvisiensis Abbas creatus, regionibus frigidissimis suo fervore & splendore plurimum profuit, de quo oculatus testis Polonus litteris ad me datis, *quem ego*, scribit, *cum alijs* præsentibus, *vidi puerum morientem revocasse ad vitam.* Jpsum Brixiæ etiamnum degentem religiosissimi quivis ut sanctū respexère, & venerati sunt, dum quantum-

tumcunque ipse latere cuperet, eximio virtutū fulgore proderetur. Asservantur usque hodie pro sacrarum reliquiarum thesauro, vestimenta ejus Brixiæ in professionis ejusdem Cænobio, in quo, totaque Urbe, & provincia celebris admodum ejus est memoria. Cujus vitā & gesta prolixius, & acuratius descripta necdum accepimus, & inhiantiùs inspectamus.

Claudit hunc annum, imo opus hoc Benedicti Redivivi universum, & felicissimè coronat Congregationostra Anglica, sive potius Angelica, verè generosissima, & vitæ pro asserenda fide catholica, & propaganda, vitæ inquam generosissimè, cū omni sanguine prodiga, tribus prodigiosæ generositatis alumnis, ac Professionis Apostolicæ Heroibus, pro tanta pietate Martyrij laureola donatis, & Archiparenti suo Benedicto in perenni gloriā adjunctis, quorum primus est Frater Thomas Pitkerim Laicus ex eorum Numero, quos vulgò Conversos vocamus: Hic post capitalem datam sententiam, in carcere defunctus est. Hunc non multo post sequutus est R. P. Placidus Adelheim, Reginæ à sacrificijs, in odium Reginæ, & Unicæ salvantis fidei ob celebratum Romano more missæ sacrificium, publicè interfectus. Tertium locum obtinet P. Laurentius Appleton, Catholicæ Religionis odio (etsi conspirationis in Regem falsissimè confictis titulō & specie) extremis supplicijs addictus.

Atque utinam Regno huic infandis Hæresum sectis, & infamis ad omnem æternitatem Parricidij Regij duplicis, innumerabiliumque cædium reo, innocentissimis, & ultroneis pro Regis, & patriæ salute profusi generosissimi sanguinis oblatio apud optimum numen in holocaustum proficiat, Deusque propitiatus gentem olim felicissimam, nunc miserrimā, & mutuis cædibus efferatam, ad Unitatem desertæ pridem, avitæ fidei gratiosissimè revocare dignetur. Quorum gloriosa Certamina, innumeros alios, in fidei Constantia animarunt, plurimos ad saniora consilia traxerunt, & sanguis, fumusque incensorum Viscerum, ille terrā beatificans, hic glorioſissimo suavitatis odore cœlum universum recreans, immerito licet Regno innumeris sectis prægnantissimo, ideoque omni Confusione, & discordia plenissimo gratiam conciliare apud Altissimum nunquam intermittit.

IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.LXXX.
S. P. Benedicti. M. CC.

TAlia, qualia hucusque retulimus, & vidimus, & his multo plura, ac majora ad præsentem usque annum. Italia, Gallia, Hispania, Anglia, & Asperrima cœlo Polonia, nec multo moderatior Germania nostra Benedicti Redivivi protulit exempla, & miracula, cujus postremæ quotquot ferè intueberis cænobia, fatearis necesse est, digna admiratione, adeo exculta non solùm ædificijs, sed viris, non minus religione, quàm eruditione spectatissimis, pia æmulatione, laudabili concertatione inter se contendentibus, utri alteros, cultus divini Magnificentiā, regulari observantiā, & litterarum, aliorumque studiorum experientiā, & scientiā antevertant, quo fit, ut à multis sæculis inter se comparata, illā etsi anteriora tempore, multis tamē & splendoris, & gloriæ titulis post se relinquant. atque in multis Sanctissimus Patriarcha planè Redivivus, in pluribus revivisceens, & quotidie in magnā adolescens gratiam, nemini non appareat, dummodo tam sanctos, quàm religiosos conatus, tam atrocia, atque diuturna inter Christianos principes bella, non sisterent, & interturbarent. Et revera si, uti hucusque plerosque prælatorum, & Ascetarum mortuos, jamque immortales celebravimus, superstites modo celebrare satageremus, excurreret prorsus in immensum opus, etsi dignissimum æternitate, Virorum tamen quanto meritis auctiorum, tanto majorum animi demissione, oculis, auribus, animo intolerabile, quorum sanctissimo, & reverendissimo rubori parcimus, ne quorum benedictionem enixè rogamus, indignationem incurramus: monemus tamē, nostri æmulos studij, & intento in tales digito, clandestinè innuimus, facere cum tempore, quod nos inviti prætermittimus, & Numini commendamus, veriti etiam, ne infirmioribus scandalo simus, & ne blandiri cuipiam, & favorem aucupari videamur. Dum hæc clauderemus,

Germaniæ Cænobiorum splendor.

Verè Benedictus Redivivus.

Prælatorum laudes.

Minimè offendendi.

remus, obtulit gestiens toto effundi corpore plurium toto Regno Apostolico labori insudantium generosissimus sanguis novam scribendi occasionē, maximè quinq; ejusdēprofessionis, & voti Monachorum, in dies & horas singulas in carcere extremam sententiam inhiantissimè exspectantium in Anglia: ingenti autem numero superant sacri Heroes, & verè voluntarij, non tam pugiles Christi, quàm Martyres diversarum toto orbe Congregationum in Benedicti Redivivi amplificationem collimantium, longoque Martyrio, jugi corporum mortificatione sese sponte excruciantium, & Crucifixo Jesu suo sese configentium, cujusmodi nemo non miratur in sanctissima, & ampliſſima Congregatione S. Mauri in Gallia, ipsoque verè Regio S. Dionysij Archisterio, uti ab oculatis, expertissimis, ijsdēq; religiosissimis summæque auctoritatis testibus habemus compertissimum. Et quod mirandum magis, prodit se tanta Generositas, in tenerrimis, etiam Regij, & Ducalis sanguinis Virgunculis, & in omni genere deliciarum educatis puellis, à Venerabili Sacramento, Calvaria, Pœnitentia, &c. cognominatis; ut hæc audiendo, nedum contuendo, nemo non sacro affici horrore debeat, & de sua quoque excitatione, ne dicam resuscitatione seriò cogitare, & cum Augustino in eadem verba erumpere: *Potuerunt isti & istæ, &c.* Quorum certè prodigiosæ penè vitæ in ipsis quoque universi Regni, ipsiusque aulæ Regiæ oculis quotidie exemplis, atq; exercitijs, haud dubitamus excutiendū à tepentibus teporem, à languentibus languorem, & ferventissimâ tantorum advocatorum intercessione, & informatione excitandum Spiritum, cui B. Pater noster Benedictus servivit, ut eodem omnes repleti, studeamus amare quod amavit, & opere exercere, quod docuit.

BENEDICTUS DEUS
JN BENEDICTA ORDINIS MATRE
MATRE VIRGINE, ET BENEDICTO
PATRE IN ÆTERNUM,
Amen.

INDEX

INDEX SANCTORUM GENERE, ERUDITIone, & meritis Illustrium nostro & superiore saeculo illucescentium BENEDICTINI Ordinis Virorum & Virginum seu Matronarum.

A.

Abbates duo Christi Martyres Anno. 1536.
Adeodata à Ligne-Ville Abbatissa 1630.
Adeodatus ab Assumptione 1607.
Adrianus Cancellier Abbas Dunensis. 1623.
Agnes Abbatissa S. Egidij. 1654.
S. Agricoli Episc. Avenionensis Ordinis nostri solennis corporis Translatio. 1593. & 1612.
Albanus Roe Anglus Martyr. 1642.
Alexander à Lacu Abbas Cremiphan. 1713.
Alphonsus de Burgos mon. Montfert. 1540.
Alphonsus Delbene Episc. Albigensis. 1608.
Aloysius Abbas. 1589. 1647. 1664.
Aluarus Episcopus Solsonensis. 1621.
Amazones Benedictinae. 1554. 1564.
Ambrosius de Gandavo. 1555.
Ambrosius de Herrera. 1613.
Ambrosius Barlo Angl. Christi Martyr. 1641.
Anastasius Episcopus Jmmolensis. 1592.
Andreas de Azitores. 1599.
Andreas Abbas Hirsaugiensis. 1635. & 1637.
Andreas d' Espinay S.R.E. Cardinalis. 1500.
Angelus Sagrinus Abbas Casinensis. 1565.
Angelus Monachus Vallumbrosanus. 1509.
Angelus de Victoria Praeses Generalis. 1580.
Angelus de Faggis Abbas Casinensis. 1561.
Anglicana Apostolica Congregatio. 1594. Ejusdem prolatatio. 1616. & pl.
Anna de Broyar Abbat. Vall. Gratiae. 1532.
Anna de Alveguin Reformatrix. 1606.
Anna Doxan. 1618.
Anna Toschel patientiae exemplar. 1582.
Anna de Villa Roel. 1600.
Anna Benedicta de Torck Transaquens. 1646.
Anna Maria à Jesu Crucifixo 1626. & anno 1653. superstes.
Anna de Goulesne Congreg. Calvariae insignis Christi stygmatibus 1625. & 1633.
Annas d' Escars Abbas S. Benigni Divionensis 1570. Fit Cardinalis 1596. Jpso Rom. Pontifici venerandus 1604. Ad primos honores expetitus. 1605. & 1608. moritur. 1612.
Antonietta princeps Aurelianensis. 1617. obijt 1618. miraculis clara- 1655.
Antoninus de Panhormo Conversus Frater miraculis gloriosus. 1620.
Antonius Abbas Epternacensis. 1568.
Antonius Episcopus Cabilonensis. 1549.
Antoninus de Panhormo Conversus montis Regalis miraculis celeber. 1620.
Antonius Abbas Epternacensis. 1568.
Antonius Cabiloneusis Episcopus. 1549.
Antonius Perez Hispan. Congr. Gener. 1610.
Archiepiscopus Caesar-Augustanus. 1630.
Antonius Beherius Archiepiscopus Bituricensis. 1514. S. R. E. Card. 1517, ob. 1519.
Antonius de Conceptione. 1609.
Antonius Episcopus Civitatensis. 1545.
Antonius Abbas in Weissen-Stephan. 1507.
Antonius de S. Huberto mon. Lacensis. 1505.
Antoni. Laveni. Abb. S. Matthiae Trever. 1508.
Antonius Episcopus Vabrincensis. 1509.
Antonius de Rupe mon. Cluniacensis. 1507.
Antonius de la Haye Abb. S. Dionysij. 1504.
Antonius Simeonis Congreg. Camald. 1557.
Antonius de Winghe Abbas Lætiensis 1637.
Antoni. Episc. Viennen. design. S.R.E. Card. 1639
Antonius Roore Abbas Tornacensis. 1654.
Anton. de Sotomajor Episc. Samandrien. 1672.
Arnoldus à Venlo Abb. Abdingkhofen. 1557.
Arnoldus Gantois Abb. Marchian. 1576. 1582.
Athanasius de Villa Gomez. 1585.
Athanasius sui saeculi V. Jo. Feckenan. 1564.
Athanasius de Lobera. 1605.
Augustinus Lopez mon. Hisp. 1614.
Augustinus Abbas Lucensis. 1568.
Augustinus Crulaij Abb. Ursindungi. 1648.
Aymardus Gauffier Abbas. 1528. Creatus dein Albiensis Episcopus. 1516.

B.

Balthasar Abbas Fuldensis lectissimus. 1572. 1578. 1584. 1602. 1604. moritur. 1506.
Baptista Folengus. 1540.
Basilius Episcopus Stragensis. 1584.
B. Beatrix de Sylva Deiparae charissima. 1500.
Benedicta à S. Germano claruit. 1570.
Benedicti S. N. centus in utero. 1.
Benedicti Patris elogium & Benedictio. 1.
Benedictini primi Martyres in Jndijs & America. 150.
Benedictinis in S.P.N. promissa Divina. 1500.
Benedictinorum continuata tot saeculis Benedictio. 1500.
Benedictini Professores & Scriprores. 1656.
Benedictinorum de toto Orbe merita. 1500.
Benedictus in seris filijs Redivivus. 1500.
Benedictus Abbas S. Magni Faucensis. 1532.
Benedictus de Majorca. 1530.
Benedictus de Alarcon. 1622.
Benedictus Canophilus. 1550.
Benedictus Morerolensis. 1540.
Benedictus à Toco Montserratensis. 1543. & 1375 fit Episcopus Biquensis 1575. ob. 1585.
Bernardinus Gadolus. 1500.
Bernardus de Escobar. 1606.
Bernardus Gutierrez. 1607.
Bernardus Escuderus. 1608.
Bernardus Archiepiscopus Caesar-Augustanus. 1560.
Bernard. Catalan. Deiparae emancupat. 1615.
Bernardus Abbas Altaichensis. 1541.
Bernardus Abbas ab Olmedo. 1595.
Bernardus Monachus Lubinensis. 1603.
Bernardus de Ontiveros Generalis Ord. 1659. fit Episcopus Calagurritanus. ib d.
S. Bernardus eligitur Patron. Genuensium 1625.

Ber-

Bernardus de Montgaillard. 1628.
Bernardus Bucillius. 1508.
Blasius Abbas Ranshofensis. 1505.
Boillius Mon. Montserrat. Patriarcha I. novi Orbis & Americæ. 1500. & 1509.
Boneffienses Martyres. 1567.
Burcardus Abbas Epternacensis. 1506.
Bursfeldensis Congregat. fructus. 1501. & Bursfeldensium Cænobia. 1523.

C.

Cæcilia à S. Carolo cognominata. 1632.
Calvariæ Congregatio Virg. nostrarum nova 1617. Ejusdē Scopus & Institutū ibidē.
Camaldulensium merita & fructus. 1501.
B. Candidus Nucalensis 1589. 1601. & 1607. moritur 1514. De suis miraculis ipse ib.
Canonici Regulares quid nostris debeant. 1508.
Capucini nostris plurimum obligati. 1508.
Capucinos nostri demerentur. 1531.
Capucini ad nostros profugiunt. 1540.
Carolus Blandeque Monachus Marchianensis. 1582.
Carolus Fernandus 1502. alter Homerus ib.
Recensentur ejus ingenij monimenta. 1502.
Carolus V. Imp. Blosii opera desiderat. 1558.
Carolus de Croij Abbas Affligemiensis. 1550.
Carolus à S. Bernardo. 1621.
Carthusiani quid à nostris acceperint. 1508.
Casalis Benedicti Congregatio. 1502.
Casinum Commendatariis prodigiosè ereptum 1504. & 1505. memorabilis Victoria NB. ibidem.
Casinū prodigiosè à calumnijs liberatū 1620.
Catalogus Superiorum Congr. Lothar. & Burg. 1664.
Catharina Angelica Ducissa Aurelianensis. 1645.
B. Catharina Brugora 1517. 1521. 1526. ob. 1529.
Catharina Abbatissa Clusensis. 1654.
Catharina cognomento Poëta. 1619.
Catharina Binier. 1622.
Catharina filia Ducis de Roquelora. 1641.
Carhar. de Alveguin Reformatrix. 1520.
Christianus Abbas Altaichensis. 1502.
Christophorus de Aresti Episcopus. 1630.
Christoph. Abbas in Weichstephan. 1509.
Christophorus de Zamora. 1524.
Christophorus Castelleius. 1596.
Christophorus Abbas Prumiensis. 1576.
Chistoph. Abb. S. Salvat. 1650.
Chrysostomus à Conceptione. 1613.
Cistercienſium nostrorum Reformat. 1558.
Claudia Tuboeuff Abbatissa. 1646.
Claudi⁹ Franciscus Lulier incorruptus 1661.
Claudius Hydulphus Bernier Abbas. 1662.
Columbanus Abbas Blandinij. 1616.
Conceptionis Imaculatæ Ordo à nostris 1500.
Conradus Alopicius Gartstensis. 1614.
Conradus Rodenberg. 1500.
Constantia Nostrorum in Anglia. 1534.
Constantinus de Lannoy Archiepiscopus Regitanus. 1586.
Cornelius Boldermans Martyr. 1572.
Coronæ Domini inventio per nostros & propagatio. 1523.
Cyprianus Nucal. Phœnix Hispan. 1550. & 1557. moritur anno 1560.

D.

Desiderius à Curia Congregationis S. Mauri Author & sydus. 1623.
Didacus de Cespedes. 1590.
Didacus Sanches mon. Caracet. 1603.
Didacus de Sylva Episc. Guadigensis 1670.
Didacus de Lerma Generalis Ord. 1560.
Didacus de Heria Episc Indorum. 1657.
Didacus Frater Donatus Vall. Parad. 1601.
Diethelmus Blarer Princeps S. Galli. 1532.
Dionysius Barrahona. 1597.
Dionysius à S. Bernardo. 1607.
Dionysius Faucherius Mon. Lerinens. 1508.
Dionysius l' Argentier. 1624.
Dominicani PP. nostris obligati. 1508.
Dominicus à Puero Jesu. 1616.

E.

Edmundus Abbas Claræval. 1552.
Egidius Abbas Lætiensis. 1530. 1535.
Elisabetha de Castel monialis. 1611.
Elisabetha Monialis Abulensis. 1603.
Elisabetha du Puis Reform. 1631.
Eneco Archiepisc. Sassaritan⁹ in Sardin. 1672.
Erminus Francois Abbas Laubiensis. 1598.
Eusebius Abbas Casinensis. 1507.
Eusebius Priolus Episcopus Vegiensis. 1530.
Eusebius Mutinensis Abb. Casin. 1505.
Eusebius Hispanus Camaldul. 1501.
Eustachius Monachus Lunælacensis. 1638.
Exercitatorium Vitæ spitualis. 1500.

F.

Facundus de Torres Archiepisc. Hispaniolæ. 1627.
Flavius Ferrar. mon. Casinas. 1553.
Florentius de Horst Abb. Tuitiensis. 1553.
Florentius Turca Conversus. 1609.
Franciscanos nostri plurimum demerentur. 1508.
Franciscа de Calouette. 1634.
Franciscа de Goulesne. 1625.
Franciscа soror Conversa. 1634.
Franciscа Renata Duc. Lothar. Abb. 1638. & 1644. & 1652., &c.
Franciscus Binetus. 1508.
B. Franciscus Carracetanus 1526.
Franciscus de Beria Episcopus Peruan⁹ 1650.
Franciscus Suarez Mon Vall-Paradysii 1592.
Franciscus de Beiar mon. Montserr. 1524.
Franciscus Leuorotus mon. Montserr. 1561.
Franciscus de Machado. 1576.
Franciscus Debehaut Abb. S. Dion. 1571.
Franciscus Rice Episcopus Indiarum. 1672.
Franciscus à S. Maria. 1624.
S. Franciscа Romana Canonizatur. 1608.
Fulda à Balthas Abbate conversa. 1604.
Fulensium deprædicatio 1603. incrementa. 1587.

G.

Gabelus Abbas Abdingkofensis. 1650.

Ga-

Gabriel à Gifford mon. Anglus, Archiepiscopus Remensis & Par Franciæ. 1621.
Gabriel Nucalensis Monachus. 1630.
Gabriel Castellanos. 1603.
Gabriela de Lesprunnier. 1617.
Gabriela ab Herye. 1619.
Galeatius Gabrielius. 1525.
Gallia sceptrum nostris debet. 1504.
Galliarum Regnũ sanctis feracissimũ. 1501.
Garsias de Cisneros Abb. Montserr. 1500. 1509.
Gaspar Abbas Audenburgensis. 1576.
Gelasius Oculinar Martyr. 1580.
Gelasius Confessor. 1580.
Genebrardus Henricum IV. convertit. 1592.
Genuenses Tutelarem S. Bernardum habent. 1625.
Georgius Abbas Ebersheimensis. 1540.
Georgius Abb. Weingartt. obit. 1627.
Georgius Episcopus Guardiensis. 1539.
Georgius Martinusius S.R.E. Cardin. 1551.
Georgius Abbas Altaichensis. 1520.
Georgius Geruasius Martyr. 1608.
Georgius Episcopus Guardiensis. 1519.
Gerardus de Halym Abbas. 1500.
Gerardus Episcopus Audomarens. ob. 1577.
Gerardus Americurius Abb. 1562. 1567.
Gerardus à Breitbach Abb. Tuit. 1512.
Germaniæ status. 1503. 1529.
Gerwicus Abbas Weingarttensis eiusque de Imperio & Religione merita: 1531. 1537. & 1560. 1563 1567.
Gilbertus Genebrardus. 1588 1592. 1597.
Godefridus Episcopus Catalaunensis. 1503.
Godiserus à S. Mauro. 1611.
Gonsalvus de Illescas. 1564.
Gregorius à Wirneburg Abb. S. Mart 1577.
B. Gregorius Bergomas. 1528.
Gregorius Cortesi S.R.E. Cardin. 1542. 1647.
Gregorius Parcero Episc. Gerund 1659 1664.
Grottana Congregatio Reform. 1520.
Guido Juvenalis. 1520.
Guilielmus à S. Alexio. 1623.
Guilielmus Fouquet Episc. Andegau. 1621.
Guilielmus à S. Genovefa. 1624.
Guilielmus Episcopus Meldensis. 1533.
Guilielmus Scotus. 1612.
Guilhelmeta de Bonvalet. 1532.
Guntherus Abb. S. Petri Erffurt. 1503.

H.

Helena de Fürstenberg Prior Transaq. 1646.
Henricus Clausius Abbas Wibling. 1551.
Henricus Van der Heyden. 1647.
Henricus de Binsfeld Abbas. 1631.
Henricus Horstius Abbas Tuitij. 1545.
Henricus Buzegnies Abbas. 1622.
Henricus Ducker Abbas Wertin. 1654.
Henricus Iuvenalis Cœlestinus obijt. 1504.
Henricus VIII. Angl. Rex desperatus. 1538. 1549. ob. 1547.
Henric. Speicher ongel Præses Bursfeld 1641.
Henricus de Lippia Abb. S. Mart. Colon. 1505.
Henricus Abbas Tuitij. 1641.
Henricus Uredensis Abbas. 1553.

Hermann. de Boyneburg Abb. Corbeiæ. 1550.
Hermann. ab Eynatē Abb. S. Cornelij. 1646.
Hieronymus Souchier Cardin. 1568. 1571.
B. Hieronymus Suessanus. 1527.
Cardinalatum respuit. 1555.
Hieronymus de Llamas. 1610.
Hieronymus Abbas S. Winoci. 1574.
Hieronymus Lauretus Montserr. 1564.
Hieronymus Abbas Casinensis. 1598.
Hieronymus Suessanus. 1521.
Hildegunda Abbas Monaster. 1549.
B. Homodeus Vallumb. 1511. obijt. 1519.

I.

Jacobus de Amboise Abb. Cluniac. 1567.
Jacobus Billius Abb. S. Michaelis. 1681.
Jacobus de Marquais Abb. Tornac. 1604.
Jacobus de Ambasia Episc. Claremont. 1515.
Jacobus Regius Archiepisc. Bituric. 1545.
Jacobus de Sylva. 1659.
Jacobus de Froijs Abbas Hasnon. 1586.
Jacobus de Trajecto. 1500.
Jacobus de Lalre Abb. Hasnon. 1544.
Jacodus de Rio Abbas in Bodeloo. 1611.
Jacobus de Graffijs mon. S. Severini. 1588.
Jacobus le Roy Archiepisc. Bituric. 1562.
Jacobus d' Arbous Abbas Cluniac. 1622.
Jacobus de Heria Bonorũ ærum Episc. 1659.
Jacquelina de Grandi Prato. 1518.
Jacquelina Abbat. S. Petri Remensis. 1532.
Jacquelina de Dimpatalla. 1598.
Jaspardus à Winck. Abb. S. Dionysij. 1660.
Ida de Vörden Abbat. Transaquensis. 1631.
S. Ignatius Loyola apud nostros & noster 1522. 1534. 1537. 1538. 1541. 1533. ob. 1556.
B. Ignatius mon. Morerolæ. 1586.
Ildephonsus à S. Victore Episc. Zomor. 1660.
Ildephonsus Episcopus Cajeta. 1668.
Joachim Abbas Einsidlensis. 1563.
Joachim ultimus Abb. Hersfeld. ob. 1006.
Joachim Abb. S. Galli recusat Episc. Cu: 1594.
Joachimus Perionius. 1558.
Joachim Tabernicius Martyr. 1617.
B. Joanna Bellopratensis. 1551. ob. 1559.
Joanna de Conflans. 1625.
Joannes Bona S. R. E. Cardinalis. 1672.
Joannes Bicardt. 1649.
Joannes Abbas Trithemius 1503. 1511. 1516.
Joannes Abbas Schönaugiensis. 1509.
Joan. Dorotheus Episc. Nicopolit. 1596.
Joan. de Enguerra Episc. Ilerdens. 1505.
Joan. Spiess Monachus Weingart. 1649.
Joan. Robertus de Mervinia Martyr. 1610.
Joan. Abbas Ursidungi. 1604.
Joan. Castaniza Montserrat. 1589. 1599.
Joan. de Sufato Abb. Abdingkof. 1504. 1536.
Joan. de Andernaco obijt. 1505.
Joan. Raulinus mon. Doctor Paris. 1514.
Joan. Emmanuel Archiepisc. Tarracon. 1672.
Joan. Olivier Episcop Andegavensis. 1557.
Joan. Fremiotus mon. S. Benigni. 1598.
Joan. d' Espinosa Archiepisc. Tarracon. 1669.
Joan. de Valle Episc. Guadalaxarensis. 1620.
Joan. Baptista de Guardia Grello. 1623.
Joan. Emannuel d' Espinosa. 1657.

Joan. Abbas Leisbornensis obijt. 1522.
Joan. Atræus Præses Bursfeld. 1613.
Joan. de Weda Abb. in Brauweiler. 1507.
Joan. de Bleu. Abbas. 1591.
Joan. Abbas in Scheürn. 1534.
Joan. Marionus Fuliensis. 1596.
Joan. Abbas Salvatoris. 1581.
Joan. Docæus Episcop. Laudunens. 1560.
Joan. Abbas Maricollensis. 1523.
Joan. Lontailleurs Abbas Aquiscinct. 1570.
Joan. à S. Dionysio Fuliensis. 1627.
Joan. Malderus noster Episc. Antverp. 1619.
Jean. Abbas S. Andreæ Brugensis. 1559.
Joan. Abbas. Wertinensis. 1547.
Joan. Abbas Cremiphanensis. 1506.
Joan. Abbas Abdingkofensis. 1536.
Joan. de S. Mauro Fuliensis. 1614.
Joan. Abbas Spainshart. 1589.
Joan. Abb. S. Jacobi Mogunt. 1552.
Joan. Bapt. Abb. in Van Ægypti. 1614.
Joan. Caramuel Archiep. Otrantinus. 1672.
Joan. Bapt. à S. Bernardo. 1603.
Joannes de Castro. mon. S. Vincentij. 1600.
Joan. Prior Chalisij Martyr. 1619.
Joan. Jacobus à S. Scholastica. 1621.
Joan. Clanonius Montserrat. 1512.
Joan. Feckenamus alter S. Athanasius mon. Anglus 1549. 1552. 1558. 1560. ob. 1585.
Joan. à S. Hieronymo. 1620.
Joan. de Pastura mon. Gemblac. 1578.
Joan. Abb. S. Martini Tornac. 1581.
B. Joan. de la Barriere. Abb. Fuliensis, & Reformator. 1573. 1577. 1578. 1580. ob. 1600.
Joan. Coquei Abb. Morimund. 1576.
Joan. de la Penna. 1558.
Joan. Saracensis Abb. S. Vedasti 1595. fit Archiepisc. Camerac. 1596. obijt 1568.
Indiarum & Americæ primi ex Ord. nostro Episcopi. 1506. delubra eversa. 1506.
Indias nostri demerentur. 1520.
B. Jodocus Palmerius. 1553.
Josephus de la Cerda Episcopus Pacis Iuliæ Vir incomparabilis. 1644.
Josephus Sonier Episcopus Andrevillensis Archiepiscopi Bisunt. Suffraganeus. 1666.
Josephus Garzias d' Errera. 1595.
Josephus de S. Martino. 1615.
Isabella ab Aspero monte. 1546.
Isabella à SS. Trinitate. 1662.
Isabella Castellæ & Legionis Regina. 1504.
Isidorus Clarius Episcopus Fulginas. 1549. & 1553. sanctè moritur. 1555.
B. Iustinianus Bergomas. 1525. obijt 1563.
Iustus Matiencus Mon. eruditissimus. 1606.

L.

Lambertus Abb. Blandinienſis. 1580.
Lambertus Abbas S. Matthiæ. 1542.
Lambertus Abbas Gemblacensis. 1578.
Laudunenses Episcopi Godefridus & Valent. 1585.
Laurentius Gonzalez. 1591.
Laurentius de Zamora. 1593. 1605. 1614.
Leander à S. Martino. 1610. 1617.
Leonardus Abbas Cremiphanensis. 1525.
Leonardus Rubenisn Abbas Abdingkof. 1609.
Lerinensis Reformatio. 1515.
Liberalitas prodigiosa B. Lud. d'Estrada. 1559.
Ludovica à S. Placido. 1641
Ludovica de Passione obijt. 1658.
Ludovica de Veteri Villa. 1627.
Ludovicus Mendez Episc. Sidoniæ. 1514.
Ludovic⁹ d' Estrada. 1554. 1559. 1569. 1581
Ludovicus de Mendoza. 1612.
Ludovicus de Boesey Generalis Ord. 1560.
Lupinus Abbas Claræ vallensis. 1579.
Lusitaniæ Calamitas unde? 1579.
Lutheri mors, funebria, & funalia. 1546.

M.

Magdalena Abbatissa Culmensis. 1632.
Magdalena de Passione alias de Rieux. 1617. obijt. 1663.
Magdalena à sancta Lachryma. 1662.
Malachias Episc. Iacensis. 1606.
Marcoussius Cœlestinus. 1608.
Marc⁹ de Villa Alba. ejusq; incorruptio. 1590.
Marcus de Barrio Abbas Hortensis. 1566.
Marcus de Varrio Abbas Palatioli. 1580.
Marcus de Porras mon. Nucalensis. 1585.
Marcus Fedoce⁹ Abbas Ravennas. 1584.
Maria Comitissa S. Aniani Senior. 1613.
Maria de Bellovillare nata. 1574. fit *Abba*tissa 1594. à Deipara juvatur. 1597. claret 1599. 1600. 1601. 1607. 1614.
Maria de Gouleſne. 1618.
Maria de Estouteville. 1637.
Maria de Matre Dei. 1530.
Maria de Leuy f. Ducis Vantadura 1645.
Maria Rousseteel. 1622.
Maria à Iesu Magistra Novit. 1606.
Maria de Christo. 1606.
Maria Fryburgensis verè sancta. 1615.
Maria de Compreinde. 1644.
Maria à sancto Spiritu. 1617.
Margarita de Kilcaldi Abbas. 1639. 1627.
Margarita Marsin Reformata. 1631.
Margarita de Polastron. 1598.
Margarita ab Assumptione. 1929.
Margarita Duyterhelst. 1618.
Margarita d' Arbous. 1613. 1814. fit *Abba*t. Val. Gratiæ 1615. 1622. obijt 1626.
Martinus Novitius Vall. Eccl. 1589.
Martinus Abb. Crispini, Episc. &c. 1548.
Martinus de Rianno Episc. Legion. 1640. & anno 1658.
Martinus Cupperus Abbas. 1571. 1572.
Martinus de la Fuente. 1595.
Martyres quadraginta Magienses. 1578.
Matthæus Atrebat. Episcopus, & ejus de Societ. PP. meritum. 1599.
Matthæus Ferdinandus à Bilenberg. Archiepisc. Pragensis. 1672.
Matthias Abbas Villariensis. 1568.
Matthias Abbas Mariæmontanus. 1640.
Matthæus ex Abbate Episc. 1574. 1577. 1590.
S. Maurontus Abb. Duacum servat. 1556.
S. Mauri Congregationis initia. 1611.
Maurus Pandolfinus. 1559.
Maurus Episc. Iacens. & Oscensis. 1637.

Mau-

Maurus de Villa Roel. 1632.
Maurus de Tobar Vizcaiæ Episc. 1659.
Maurus de Alvaro mon. Montserr. 1524.
Mellicensis Congregatio. 1527.
Messanensiũ Tutelaris adoptatur. *S.P.N.* 1622.
Michael Fornerius Abbas Montserr. 1560.
Michael Perez Vir doctus, 1615.
S. Michael Florent. Author Coronæ Christi. 1522.
Miniatus Pittus. 1550.
Minimi Ordinis Patres quid nostris? 1508.
Ven. Modestus Spiess. 1649.
Monachi Episcopi olim quales? 1533.
Mons Rolandi prope Dolam Burg. 1661.
Montantius Moonachus Florentinus. 1573.
Montis Coronæ Congregationis incremeta 1521.
Montis-Serrati splendor. 1506. 1647. 1581. Eremitæ Benedictini. 1509.
Montis Syon Reformatio. 1604. 1590.

N.

Nicolaut Fagan. Episc. Waterford. 1613. 1617
S. Notkeri Sangallensis Translatio. 1629.
Nicolaus Margeraldt Martyr. 1570.
B. Natalis Mars. 1611.
Nicolaus le Franc. Abb. Lætiensis. 1610.
Nicolaus Flamengus Abb. Tornac. 1509.

O.

S. Otthmari translatio. 1629.
Obstinatæ Monialis pœna. 1601.
Ottho ab Eltern Abb. S. Maximini. 1502.

P.

Panormitani S.P.N. Patronum eligunt. 1625.
Paschalis Abbiensis Episcopus. 1595.
SS. Patricius & Malachias Mart. 1585.
Paulus Abb. Inferioris Altachij. 1585.
Paulus IV. Pont. Max. Voto noster. 1556.
Paulus Neccarus Abb. Ursinensis. 1549.
Paulus Orlandinus. 1512.
Paulus Iustinianus. 1513. 1520. 1525. 1528.
Petronilla à S. Cruce. 1608.
Pius mon. Casinas Episc. Fundanus. 2592.
Petrus de Lorca vir doctissimus. 1600.
Petrus de Oviedo Archiepisc. Primas Indiæ 1620.
Petrus Quirinus Camaldul. 1513.
Petrus à S. Bernardo. 1606.
Ven. Petrus Bartius Cœlestinus. 1535.
Petrus de Loyers Abbas, &c. 1622.
Petrus à Burgos Monach Montserrat. 1556.
Petrus Santũtius Cœlestinus. 1641.
Petrus à Bucholtz Abb. Gladbac. 1573.
Petrus Nivellius Episc. Lucionensis. 1660.
Petrus Gouffier Abbas. 1516.
Petrus Munoz Arps Cantuarij. 1518.
Petrus Quirinus creatur Cardinalis. 1517.
Petrus Rollier, Abb. S. Dion. Hanon. 1602.
Petrus mon. Montis Coronæ. 1534.
Petrus Alphonsus de Burgos Montserr. 1562.
Petrus de Lorca Abb. Viteri. 1612.
S. Petri Remense Monasterium. 1518.
Petrus Trigautius Abbas Ursidungi. 1637.
Petrus Archiepisc. Bisunt. S. R. E. Cardin. 1550. Martyrum compar ibidem.
Petrus Abbas Lacensis. 1553.
Petrus Gauffier Abbas S. Dionysij. 1505.
Philippus de Cosse Episc Constantiens. 1530.
Philippus Fantonus. 1570.
Philippus Abb. Corbeiæ S.R.E. Cardin 1533.
Philippus de Burgoin mon. Cluniac. 1507.
Philipp° Caverellus *Abb.* Vedast. 1598. & 1590.
Philippus Pouelus Martyr. 1646.
Placidus de Tosantes, 1600.
Placidus Castrensis Episc. 1605.
Placidus Fractensis Conversus. 1583.
Placidus à Sancto Mauro. 1610.
Placidus de Luzuriaga. 1610.
Placidus Episcopus Placentinus. 1640.
Placidus de Todos sanctos Episc. Samorensis. 1624.
SS. Placidi & Sociorum Inventio. 1587.
Præmonstratenses quid à nostris habeant. 1508.
Professionis Anglicanæ forma. 1609.
Prudentius Sandoval Episc. Pampilonen. 1607.

Q.

Quintus Abb. Ursidungi. anno 1527.

R.

Raphael Sarmientus. 1602. 1708.
Reformatæ nostræ prodigiosè servantur. 1609.
Reformatio mira Virginũ nostrarũ 1542. 1614.
Renata Ducissa Lotharingiæ Abbatissa S. Petri Remensis. 1546. 1554. 1564. 1597.
Renata Ducissa Lotharingiæ senior obijt. 1602.
Renata Ducissa Lothar. Iun. & Abb. obijt 1626.
Renatus de Brescia Episc. Constant. 1518.
Richardus Abbas & Martyr. 1536.
Rodericus à sancta Cruce. 1637.
Rodericus Episc. Cephaludensis. 1586.
Rogerius Montmorencius Abbas S. Vedasti.
Romualdus Fabriavensis Iunior. 1579.
B. Rudolphus mon. Mont. Virg. 1584.
SS. Ruperti & Virgilij translatio. 1628;
Rupertus Khuon è Comit. Belasij. 1632.

S.

Sacramenti SS. Congregatio. 1654.
Sanctarum Virginum pia æmulatio. 1599.
Sæculi XVI Initium nostrorum sanguine illustratur & generoso agone. 1501.
Sagiensis Congregatio in Gallijs. 1502.
B. Sebastianus de Villos Lada Montserr. 1588. 1597.
Segebertus Buclæus. 1587.
Seraphinus Kirchmeyer Garstensis. 1660.
S. Severini Monasterium Neapolit. 1502.
Simplicianus Gody, Prior Cluniac. 1662.
Simplicius Caverellus. 1625.
Societatis Iesu Patres à nòstris adjuti. 1624.
Tertiùm apud nos vota Religionis solemnia emittunt. 1535. &c. à nostris contra impugnatores defensi. 1541.
Sorores Pœnitentiariæ à nostris reformatæ anno. 1614.
Suevica Congregatio efflorescit. 1603.
B. Symeon mon. Vallumbrosanus. 1509.

Symon

Symon de Maille Turonensis Archiepiscopus. 1560.

T.

Teresia de Toledo virgo sancta. 1590.
Tertiarij Ordinis S. P. N. Benedicti. 1619.
Theodorus Abbas Gladbacensis. 1601.
Theophilus Martini Episcopus Trivasti. 1502.
S. Thomas Cantuariensis à morte proscriptus, damnatus, & exustus. 1538.
Thomas Lombardus mon. Superatensis 1602. 1606.
Thomas Dunstallus Anglus Martyr. 1614.
Tristandus Sanctonensis Episcopus. 1557. obijt 1579.
Trophæa Benedictina in America. 1500.

V.

Victorinus Casinas Episc. Stabiensis. 1598. & 1607. obijt anno 1642.
Vinearum Monasterium mirè servatum anno 1632. & 1645.
Virgilius Abbas S. Petri Salisburg. 1502.
Vitalis Zuccolus Abbas Patavinus. 1595.

W.

Wilhelmus Abbas Abdingkofensis. 1632.
Wilhelmus Abbas Prumiensis. 1531.

Z.

Zacharias Abbas Casinensis. 1507.

FINIS.

APPENDIX.

Accidit inaduertenti in tanta congerie innumerabilium symbolarum undique & diverso tempore congestarum, ut earundem ad Typum recollectarum, aliæ ad dictandum segregatæ maturius ad manum venirent & subinde loco, cui debebantur, excíderent, quæ operi deinde inserta confusam seriem annorum effecissent. Credidimus proindè conducibilibus, si partem illarum ad finem operis attexerenus, partem Auctario Menologij nostri insereremus. Paucula proin damus huic operi convenientiora, quæ plurimum doluimus in ordine operis & libri huius suis annis excidisse. Boni consules optime Lector, dum non ingrata erunt, quæ haud minimum spectant intentionis nostra institutum: accendendi Novitiorum non solùm animos ad Maiorum studia, sed Seniorum quoque recentissimis exemplis animandorum & recreandorum.

ANNO CHRISTI M. DC. IX.

BENEDICTI REDIVIVI, (memorando sanè rei seriò agendæ monimento) rerum scilicet suarum, ipse satagit maximus Monachorum Archidux, & Religiosorum omnium Patriarcha Benedictus, qui ipso dictante Numine, & sanctissimæ memoriæ Antistiti Venerabili Annæ dè Bois Abbatissæ Teneramundanæ revelatione divina instructæ attestatione, auxiliantibus ceteris ordinum diversorum Institutoribus, assiduis & irremissis Precibus Deum optimum Maximum quàm demississimè exorans, iuxta communes Ecclesiæ preces excitari in suis posteris, eundem, cui ipse inservivit, spiritum, similia quoque cæteris efflagitantibus, exauditus est pro sua reverentia, & promissum divinum accepit, idipsum paulo post futurum, suasquè quas ipse Deus dictaverat Regulas & observari ad amussim velit, & huc usquè ad Regulas humanæ prudentiæ, & ut vocant Discretionis, à sapientibus secundùm sæculum minus Religiosis haud minimum violatas merito doluerit, revocandas, nec multo post exemplis recentissimis sanctorum Monachorum accedentibus miraculis Hereses omnes eliminandas, nec prius Europæ pacem & tranquillitatem reddendam, quàm in sua quæ Deo vouerunt verba Religiosi omnes conveniant, divino spiritu animum, vires & addituro, quæ ipse sapientissimè servanda dictaverat. Vt videant, qui divini spiritus tantis conatibus ausint contradicere, & laborem in præcepto fingere ad quod observandũ omne suum auxilium Deus ipse pollicetur.

ANNO CHRISTI M. DC. XIX.

VIta excessit mortali ad immortalem sanctæ memoriæ Iacobus Frater conversus Monasterij sancti Severini de Neapoli è familia Magliulorum vir planè admirabilis, exemplar singulare stupendæ humilitatis, qui & si in servitio omnium esset, nulli tamen non visus venerabilis, cum omnium non solùm amorem mereretur, sed omnem honorem mereri quoque videretur. Oeconomum & Cellarium sui Monasterij egit annis quàm plurimis, & taliter, qualiter divinus Spiritus in Regula sanctissimo Patri nostro dictavit, largus & benevolus in omnes, soli sibi rigidus etiam contra voluntatem Abbatis in Confratres beneficus, quod illorum omnia esse diceret; & cùm Abbas ipsum dehortaretur summa cum humilitate claves ad ejus pedes deposuit, & ut alteri ejusmodi imperaret, rogavit cujus eximijs virtutibus victus Abbas ne Deum iuxta offenderet, ut claves reciperet, & ut videretur, liberè ageret; imperavit. Sed de vita huius prolixius in Auctario Menologij nostri. Fuit metuendus Cacodæmonibus, magnis hodiè prodigijs à Deo honoratus.

ANNO CHRISTI M. DC. XX.

COElum gaudio implet felicissimus ad Superos transitus Venerabilis Viri Jacobi de Graffijs Abbatis ex Congregatione Cassinensi, Viri undequaque Doctissimi, Canonum multo tempore Professoris eximij, omni honore longè dignissimi, singularis Casinatum ornamenti, qui plurimo in vitæ rigore ætatem transigens, non tam Virginea quàm Angelica puritate, morum summa integritate, admirabili in omnes humanitate, animos omnium intuentium tantumquè Virum cognoscentium rapuit. Fuit Deiparæ Virgini longè devotissimus, omne sabbatum ob ejusdem honorem in pane gregario & aqua jeiunans, tantæquæ Tutelaris honorem

apud

apud omnes promovens, confidentissimè asserendo cælũ terrasquæ prius peritura quàm periturus sit, qui serio devotus Deiparæ fuerit: Efferbuit non minus in ipso divinus amor, ita ut Christo vivens ipsius passionè totus depasceretur. Vitam prolixiorem Auctuario nostro Menologij Benedictini reservamus, dignam lectione, digniorem imitatione, quam fine clausit felicissimo diem mortis prævidens & prædicens, qua felicissimè decessit anno prædicto 19. Octobris, Tertio post obitum anno elevatus prodentibus Viri sanctimoniam energumenis & prodigiosè curatis, innumeris consequentibus miraculis.

ANNO CHRISTI M. DC. XXVI.

INæstimabilis splendoris sydus cælo Empyreo infert hoc anno Firmamenti syderibus longè illustrius Italia, Hieronymum nimirum Armineum Virum planè incomparabilem, nostræ ætatis ornamentum singulare. Vitam damus uti accepimus, summâ magnorum & celebrium testium fide probatam & communicatam.

Hieronymus Neapoli parentes habuit Joannem Franciscum Arminium Regni senatorem & Aureliam Scatolam Nobilitate marito parem: quibus anno 1559. die 5. Octobris in lucem editus ad Lustrales Baptismi Undas Caroli nomen sortitus fuit, quòd ei postea in Hieronymi trasiit, dum mortuus mundo, Vitam Monasticam Panormi in S. Martini ad scalas Benedictino Asceterio felix auspicaretur. Ut primum se Religiosa militia inauguratum vidit, ascendit ad cor altum ut honoraret Jesum, Benedicti & aliorum imitatione, quibus curæ fuit ad summa conniti, mediocria non magni facere. Remissius aliquando ad culmen veræ perfectionis properanti, ex insidiis adrepens Cacodæmon, palam populo improvisum colaphum incussit, ad citioremque gressum incitavit: inde Angelicæ vitæ & nunquam deinde intermissi, singularis cum Dæmone certaminis initium; quem ut vinceret, sibi ipsi bello indicto, ne domesticorum transfugiis vires hostium augerentur, carnem quæ ad cognatum hostem faciliùs desciscret, cilicij asperitate, labore, vigiliis, ac inedia macerabat. Tota Vita ejus abstinentiâ mirabilis inprimis fuit: paucis duntaxat herbis vel leguminibus, bis, vel ad plurimum ter in hebdomadâ modicè sumptis, sitim sæpè frigida extinxit. Orationis studium nuspiam intermissum, ad miraculum usque, cum ei 28. horas humi stratus, & extensis in formam Crucis brachiis sæpè sæpius impenderet. Cilicio è filis ferreis, zonâ item ejudem generis, ita pungebat artus, ut aculei carnem horrendè fodientes, ad intimà usque penetrarent, Asperrimæ dein flagellationes, somnique in nuda humo paruitas assiduò comitabatur. Extremam paupertatem Christi Cruci affixi, almæ item Dei Matris, & S. Michaelis Archangeli suis in imaginibus possessio solabatur. Humilitas profundissima oblatam sibi à Francisco Sfortia S. R. E. Cardinali opulentissimam Abbatiam, à Ranutio Parmæ & Placentiæ IV. Duce insignem Episcopatum, à Religione debitos meritis & Virtuti suæ honores constantissimè arcebat. Patientiâ seipsum Vincens in prodigia usque erupit: percutienti se in maxillam Dæmoni, cum præberet alteram, fugere de obsesso corpore compulit: eadem demississimi animi constantia, abavaro medico Virtuti Sanitatum Hieronymi indignante alapam excepit: immò iniurias beneficiis rependens, pessimè tractantem se coram aliis monachum, & hanc ob causam Deo permittente obsessum à Dæmone, oratione solvit: alterius inepta & absurdissima Epistola minimè commotus, sola taciturnitate pervicacem vicit & modestiâ ad veniam submissè postulandam coegit. Pari patientiæ scuto illatas sibi iniurias retundens Deo tectus plures tam inimicorum, quam Dæmonum insidias evasit. Ter porrectum sibi venenum, ter nullo vitæ periculo sumpsit: Licet nihil in eo ab æmulis etiam corrigendum occurreret, mille nihil ominus persecutiones passus, omnes teste innocentia felix evicit. Maximum ei cum malis spiritibus certamen, certa semper Victoria, & summum demum in eosdem imperium fuit. A Dæmone quem de Energumeni cujusdam corpore Panormi pellebat arreptus, & ad altissimam fenestram ut præcipitaretur sublatus, intrepida mente sese, nil potenti absque Dei permissione Cacodæmoni permittens, adegit, ut unde raptus fuerat referretur. Alias pari impetu sese invadentem adeo compressit, ut tam à se, quam ab eo quem misserè torquebat adolescente fugere compulerit. Virginitatis ope, quam cum primo ætatis flore Virginum Reginæ consecratam, ad mortem usque inviolatam integerrimamque conservavit, adeo formidabilis reprobis extitit spiritibus, ut sola sæpe nominis sui invocatione, sæpius sola præsentia, tactu, aut oleo à se benedicto, sæpissime solo Crucis Dominicæ signo, nullis aliis adhibitis exorcismis, abiis quorum insederant corpora, fugaverit. Quod ei cum alibi, tum maximè Neapoli, Genuæ, Panormi, Messanæ, frequentissimum evenit; ubi innumeros fanaticos instituta oratione restituit sanitati, aliaque magno numero operatus est miracula, quæ amplissimè decripta in

Pro-

Processibus de vita & gestis ejus, iis in urbibus formatis, fideque & authoritate debita firmatis continentur, & propterq; peæ antonomasiam, à communi vulgo Cacciadiavolo, idest Expulsor Dæmoniorum & flagellum Dæmonum fuit appellatus. Jussu Clementis VIII. Pontifi: Max: clausstris extractus, cum eandem Dei quam summi Pastoris voluntatem esse singulari revelatione cognovisset, Placentiam se contulit, ubi præter alios qui in vitæ ejus historia adnotantur, ipsum Parmæ ac Placentiæ Ducem Ranutium Farnesium cum serenissima Consorte; Mutinæ item Principis conjungem, Marcum Antonium Comitem Scotum cum uxore & filiis, Cardinalis quoq; Aresij neptem, à malevolis hominibus ope Dæmonis veneficiis, mentis & corporis ægritudine liberavit, & reddidit incolumes. Jbidem Parthenonis cujusdam quatuor supra viginti Moniales, occulto Dei judicio à malis exagitatæ spiritibus, necquiquam proficiente cæterorum solenni adjuratione, Hieronymus effecit ut Dæmonis confessim exuerent tyrannidem, cui soli, sacri sodalitii liberandi decus reservabatur. Messanæ ægram quandam fæminam invisuro, cohors militum in custodiam elata, ne à populo qui ad spectandum se innumerus occurrebat, intentum iter prosequi præpediretur: Forum ejusdem Civitatis transiens, seu in brachiis, seu in curribus deductos eo ac delatos & mutilos obuios habuit, quos omnes crucis signo: rem miram! restituit sanitati: Jd-ipsum fæminæ cuidam per fenestram, suam misericordiam imploranti, & alteri ex alta Domus trabe par beneficiū deposcenti præstitit: quæ prodigia, subsecuta populi vox, Hieronymum sanctum acclamantis, non exiguum humiliter de se sentienti servo Dei ruborem expressit. Purissimi animi columbinam simplicitatem, vel ipsa in eo animalia revereri cernebantur; advolabant ad ipsius cubiculum aves, arguta harmonia orationibus ejus accinentes, nec nisi dato signo postridiè redituræ avolabant. Angelo Custodi suo familiarissimus, sæpè loqui cum eo auditus est, ac in Divino Officio privatim recitando habuisse socium. Jn S. Gabrielem Archangelum summè affectus, ejusdem frequenti visione, ac per eum cælestibus sepissimè consolationibus recreatus fuit. Jdé Seraphinus oranti Hieronymo assistere, & luce caput perfusum in altum efferre, à personis devotis, ac omni fide dignis observatus est. Erga divinissimam mensam miro flagrans amore, Angelico illo pane 16. ultimis annis sustentatus fuit, semel duntaxat, inter 7. vel 6. septimanas modico adhubito cibo. Crucem Dominicam Redemptionis nostræ mysterium, nunquam sine lachrymis aspexit. Coquendos cujuscunque generis cibos eâdem vel ipse signans vel ab abiis signari faciens crescere in ollis fecit; quod precipuè Messanæ ab ipso factum testati sunt plurimi. Nimio solis æstu, siccato Domus in qua residebat puteo, aquam benedictione restituit. Ex Sicilia in Jtaliam navigio traiiciens, à malis spiritibus fædam tempestatem oratione ita compressit, ut furentibus circumquaq; undis, cymba qua Hieronymus vehebatur, placidissimè incederet, non ausis fluctibus propiùs accedere. Alias auditus fuit fremitus acriter dimicantium in aere Dæmonum cum Hieronymi in Jtaliam adventum impugnarent alij, alii promoverent à Sicilia discessum. Futura & absentia prævidens bellum Genuenses inter & Sabaudiæ Ducem longe ante prædixerat. Vitæ periculum duobus Religiosis imminens cognovit & avertit. Odoardum Farnesium Ranutij Parmæ Ducis secundo genitum, Patri in Principatu successurum prævidit. Arcanas hominum cogitationes introspiciens, aliorum occultos defectus, desideria, intentiones divino illustratus lumine cognovit. His & aliis miraculis clarus cum annos 18. Placentiæ in aula Principis moratus fuisset, cognitâ quadriennio antè mortis suæ horâ, innocentem animam rediddidit Creatori, Anno Domini 1626. in ipsâ immaculatè conceptæ Matris Dei Vigilia; odore fragrantissimo replente omnem illam habitationem in qua servi Dei corpus depositum aliquandiu substitit. Arcæ demum plumbeæ inclusus in Ecclesia S. Xisti à Casinatibus suis honorificentissimè sepultus est, & post mortem perpluribus ibidem miraculis claruit, uti Sufficienter narratur in vita ejus, satis fusè per R. P. Petrum Antonium Tornamiram Decanum Casinatem, &c. descripta, & præmissis Approbationibus Panormi Anno 1674. impressa.

Eodem anno 1626. Ex Jtalia similiter inter Superos collocatur venerabilis Vir Zacharias Cucurbicius.

ZAcharias Cucurbici de Sciacca, qualemcunque generis nobilitatem, divitiarū affluentiam, sæculi honores, & totum mundi fastum Cruci Christi posthabens, Religio, sæ militiæ nomen dedit in Panormitano S. Martini ad Scalas Ordinis Benedictini Monasterio. Quam ardenter adolescentiæ florem domestica commoda, & delitias Creatori sacravit, tam constanter deinceps delicata membra inedia, ac omnigena afflictione vexavit. Mentem suavi Orationis pabulo diu noctuque pavit, & excrevit in eam sanctitatis

alitu-

altitudinem quæ prodigiis meruit commendari. Vitâ quæ 85. annorũ serie stetit, totã solitarius & procul à consortio hominũ, in deserto loco ac Eremo, cui ab Oliveto nomen, juris Cœnobij S. Martini; sive in alio S. Joannis Baptistæ dicto, crudis duntaxat herbis, & frigida Victitans, summâ patientiâ, quam æstus, fames, frigus fovit, probe piequæ transegit; ibidemquo & internis illustrationum radiis, & non raro externis Angelorum Visitationibus frui meruit. Fratri suo quem Barnabã Vitæ scriptores nominant, ejusdem Cœnobij Ascetę & in eremo socio, mentis defectum passo sanitatem restituit, sibique etiam alio nomine, sanctitatis scilicet prærogativa germanum fecit. Vtrumquæ servum Dei, magni apud Deum meriti, ingentis homines inter ob Vitæ sanctimoniam æstimationis extitisse asserit R. P. Petrus Antonius Tornamira, ejusdem Cœnobij Historiographus in Vita V. P. Hieronymi Arminij Capite folio 35. cui, Hieronymo scilicet Zacharias convixit & coætaneus fuit.

Eodem prorsus anno *1626.* tertium quoquæ sydus Italiæ ereptum, cœlis insertum est Venerabilis Columba Virgo Placentina, suo benè signata nomine columbina simplicitate & puritate, inter Conversas sorores S. P. N. Benedicti à Venerabili Hieronymo (de quo hoc ipso anno) cooptata & ab eodem mirabiliter instructa & cælis formata insigne prorsus Exemplar omnigenæ virtutis, divinis revelationibus illustrata & cum ipsa animo veriùs in cælis degeret, quàm terris, Cælites ad se pertrahens, à quibus, uti domestica, frequentius est visitata.

ANNO CHRISTI M. DC. XXIX.

MOrtuo meritissimo de Einsidlensibus Principe & Abbate Augustino successit communibus omnium votis Vir planè cælo dignior quàm terris, nunquam sine singulari reverentia nominandus, Illustrissimus & Reverendissimus Placidus Abbas, Archi Martyris Placidi, ut nomen, sic admirandas etiam virtutes complexus totus Virgineus imò Angelicus, è cujus à teneris etiam annis, fronte, oculis, ore, nil nisi cæleste se prodidit, ita ut animos omnium raperet soloque contuitu Numini lucraretur. Fuit in vita omni vere admirabilis, non tantum Helvetiæ universæ sed amplissimi Ordinis, ornamentum sempiternum. Cultor Deiparæ fuit singularis, ab ipsa procul dubio pro suæ in terris Residentiæ singularis Gubernatore prælectus quàm à Collegis suis, Domesticis Marianis Abbas eligeretur. Ab hac Juvenis etiamnum ad studia Dilingam transmissus, prodigiosè servatus est, cùm (ut in flore juventutis florentissima erat facie) à venere quadem impudentissima hospitio exceptus scelestissimè tentatâ ejus pudicitiâ oclusis undique foribus mirè ereptus est, invocata tutelaris suæ opę, cùm qua erumpere tentaret, spes nulla supereſſet, nisi in Virginum Virginis subsidio, quo susceptus extra feras & portas repentè constitutum se reperit, & divinæ Matri, quas debuit, gratias rependit. Omnia ejus Vitæ rara & miranda, narrare hujus loci non est, dictabit eadem quæ ipsum & amavit, & adoptavit, iis, qui sub tutela ejusdem succreverunt, & cùm Placido adoleverunt, qui etsi plerique ipsum præcesserint ad Superos, posteris tamen dictaverunt, quæ tanti Principis nomen & gloriam secuturæ ætati commendarent.

ANNO CHRISTI M. DC. XXXIII.

PD. Zacharias de Capograssis Salernitanus, Vir opinione omnium sanctitatis titulo celeber hoc anno Celestium numerum glorioso adventu auxit, ab humilitate, obedientia muta, & ad amussim Regulæ asservata, sed & abstinentiæ laudibus non tam hominibus admirabilis, quàm Cælitibus commendabilis, inde terras despicit, non aspernando, sed patrocinando glorioſum hunc annum reddens suo triumphali ad Cælos transitu.

ANNO CHRISTI M. DC. XXXVII.

AUgustinus à Neapoli Monachus Casinas à brevitate staturæ Augustinellus cognominatus fuit, multis spitamis, se ipso major, licet humillimus sensu, qui tamen in oculis Dei non solum sed Superiorum Congregationis magnus, & dignissimus fuit, qui sacris Tyronibus Præficeretur, iis formandis ad amussim Regulæ ipse ad amussim formatissimus, lucrari homines doctus & tamẽ ineptos reiicere, nullo respectu habito personarum. Ita Cardinalis Baronij Nepotem reiecit, fervore quem non adverterat desiderato, sed non reperto nihil reveritus patrui & patroni Eminentiam. Sic alias penetrare mentiũ cogitationes, Tyronum maximè, tentatis mirabiliter consilio adfuit, & cùm facem Sanctitatis summæque animi demissionis omnibus præferret, inter Tyrones denique non tam ut Magister, sed Tyro omnibus omnia factus, mori voluit, omnibus absolutissimæ demissionis, & profundissimæ Humilitatis exemplar factus, prægnita die obitus & prædictâ familiares sibi edocens desuæ saluationis, & meritorum certitudine.

ANNO CHRISTI XXXIX.

OBijt hoc anno Martinus à Neapoli Vrbs Orbi nota terris, cœlo Casinus genuit, quem Meritis, & in Sacra religione susceptis laboribus, Decani titulum & authoritatem,

tem, animi verò innocentia, sui ipsius contemptu mirabili, rigidissima item Vita, tam ante quam post obitum, famam opinionemq; sanctitatis adeptus est. Continuis totâ Vitâ suâ agitabatur scrupulis, nec illa afflictio spiritus eum priùs deseruit, quàm cùm anima discessum pararet è corpore. Cellerarius quoties extra Septa Monasterij versari cogeretur, Divinum officium recitaturus, sub Ultimam sese recipiebat domus contignationem, quo expeditior cùm enascentibus è morosa horarum recitatione scrupulis decertaret. Fere semper orabat flexis genibus tanto Spiritûs ardore, ut ei cor è corpore exilire, animusque deficere videretur. Sæpe in cælestium rerum meditatione absorptus Spiritu corpus tantisper linquente immotus ac sine sensu diutius perstitit. Flagris, verberibus in seipsum atrocissimè sæviens effuso cruore indumenta sæpiùs purpuravit, quod ne alicui innotesceret, prætextu deambulationis, ad aquarum secretos latices, procul hominum oculis sese conferens; insperſas ubertim sanguine vestes, manibus ipse suis abluit. Paupertatem sic amavit, nemo ut esset domi pauperior, dictitare solitus cum Regio Psalte. Quid mihi est in cælo & à te quid volui super terram? & cùm Seraphico Patre: Deus meus & omnia. Moris habuit eleemosynam indigentibus non prius elargiri, nec operariis promeritâ labore pecuniâ ante solvere, quâ fidei articulos, & cætera ad animæ salutê pertinentia corâ se recitarent atq; ab eo ubi opus esset, corrigerêtur & instruerentur. Officio Oèconomi amplissimæ Abbatiæ diutius functus, in fastidiosissimo munere nulli unquâ molestus, nulli iniurius extitit. In Monasterio silentij rigidissimus custos vix in urgentibus negotijs loqui voluit & quidê sermone brevi atque modesto. Illud etiam Martinus raræ virtutis specimen dedit quod totius vitæ cursum ita direxerit, ut ab omni incontinentiæ labe se præstiterit prorsus immunem. Sanctitatem ejus etiam in Vita Deus miraculis confirmavit. Puerum ex alto præcipitem & cum sanguine animam efflantem, ope Divina per intercessionem S. Benedicti implorata reddidit incolumem. alium Joannem nomine ex eorum Fratrum numero quos Commissos Cassinates Vocant, febris æstu ad extrema deductum & mori parantem eadem prorsus Orationis forma pristinæ restituit sanitati. Vixit deinceps uterque & Vitam acceptam retulit Martino qui eam tamen ad alium referebat, asserens modestè tanti miraculi Benedictum & non se authorem extitisse. In Ultima infirmitate, instante iam corporis resolutione à scrupulis Deo miserante liberatus cognita & prædicta mortis suæ hora Anno Domini 1639. die 18. Junij, magna de se opinione sanctitatis relicta, septuagenarius animam suo reddidit Creatori. Adstitit morienti Zacharias Petronius Fractensis, magnum illud hoc sæculo Asceticæ perfectionis exemplar, & Visam à se Martini animã, in ipso instanti mortis tanquàm fulgur cæli secreta certò certiùs asseruit. Vide ipsius Zachariæ Vitam parte 2. Cap. 8. Cætera accepimus ab ipsis Cassinatibus servo Dei conviventibus.

ANNO CHRISTI M. DC. XXXXIII.

Immortalibus adjunctus fuit Venerabilis Frater Gregorius à S. Elia, conversorum statum in felicissimo Casini Montis Archisterio professus. Compendiũ vitæ subiungimus.

Permodicum id est ad Rapidi fluminis fontes in agro & Diœcesi Cassinensi oppidum sancti Prophetæ titulo atque patrocinio insigne, unde oriundo Gregorio cognomen posthac adhæsit. Parentes habuit si sæculum spectes nullo generis splendore, nulla divitiarum opulentia conspicuos; si mores probitatemq; sat illustres. Exacta sub eorum oculis ætate prima, Neapolim se transtulit, ut ab alicuius artis professione sustentandæ vitæ media quæreret. Ubi paucorum annorum decursu fabricam ferrariam optimè edoctus, in Patriam rediens, melioris fortunæ faber, sacræ Religionis habitum Cassini expetijt Fratrum Commissorum abscriptus collegio, nil antiquius habuit, quàm per semitas sanctorum inoffenso pede gradi; fuitque ei non postremum Virtutis colendæ incitamentum, sodalium probitas, quorum exemplo pietatem suã acuit & accendit. Uti magnæ simplicitatis, ita nõ exiguæ sanctitudinis & innocentiæ fuit: castiorne vixerit, an cautior nescias: Purus & simplex ejus animus in eo vel maximè enituit, quod neminẽ unquam lethaliter peccare posse arbitraretur; evenit proinde ut reciprocus idemque de eo aliorum sensus fuerit. Quam habebat cordis munditiẽ, eam externo quoque corporis habitu præferebat. Modestia in eo summa elucebat, quæ latentis in animo floré honestatis explicabat. Artem suã uti fidelissimè, ita constanter nec absq; insigni patientia annis plurimis Cassini exercuit; hucusque spectatur ibidem artificiosissimum horologium manu Gregorij affabrè & ingeniosè elaboratum. Naturali ad vulgarem Poesim inclinatione propendens, in Dei, Divæ Virginis aliorumque Sanctorum honorem certas componebat cantilenas, quas inter operandum tacita voce modularetur, laboremque continuum Divinis leniret encomijs. Ad al-

almam domum Lauretanam peregrinatione instituta, cũ pluviũ tempus esset & importunus imber incessanter omnia infestaret, Deo ac Virgine pietati clientis sui favente, siccus & prorsus intactus Gregorius cũ socio incessit à quorũ vel extremo villo vestis imber abstinuit. Revelationibus à Deo honoratus Jubilum Organorum, sua sponte solenni corporis S. P. Benedicti translationi accinentium una cùm Zacharia Asceta pariter Cassinensi audire meruit. Anno tandem Domini 1643. die 13. Septembris, cum aspera prius infirmitate patientiam suam omnibus comprobasset, inter ardentia in cælum suspiria animam suo reddidit Creatori. Quæ inter illud accidit memorandum, quod cùm alij desiderium optimi Fratris & de singulis benemeriti gravius ferrent, lachrymisque etiam internum dolorem testarentur, solus Zacharias damnato omni errore lætus incedebat; intempestivi gaudij rationem reddere coactus id quod erat modestè tandem propalavit: visum scilicet à se Gregorium cælum inscendere, plenumque luminis lucem aliàs inaccessibilem immigrare. Nec fuit difficile hæc tam insolita adstantibus de Gregorio persuadere quia fidem non solum in Vita, sed in ejus extremis, egregiæ virtutis exempla iam ante omnibus persuaserant. Vide Vitam P. Zachariæ parte 2. Cap. 7. Elatus est ad Cœmeterium S. Annæ & prope cornu Evangelij sepultus.

ANNO CHRISTI M. DC. XXXVI.

Dignissimus summa admiratione & Veneratione terris eripitur sanctæ memoriæ P. D. Zacharias Petronius Fractensis, cujus vitæ, prolixius descriptæ compendium dare necessarium duximus, & devotioni omnium commendamus.

Fractis, quod est nobile in Campania felici, medio Cajetum inter Cassinumque itinere oppidum Anno Domini 1578. pridie Idus Decembris lucem aspexit Zacharias, Parentes illi contigere pari virtutis ac Nobilitatis laude illustres. Patri nomen fuit Christophorus Petronius qui multis ex legitima coniuge Martia de Tutijs susceptis liberis, huic natu decimo Damasi indidit nomen. A pia matre ad optimum quodq; virtutis genus eruditus, misericordia inprimis erga pauperes futuræ præluxit sanctitati. Septennis puer de proprijs dapibus quidpiam surripiens, toto sæpè privans seipsum cibo, pauperibus subvenire satagebat. Ad nosocomiũ Civitatis se conferens, infirmis libenter pius puer servitia impendebat. Victor aliquando inter ludentes coætaneos ova in præmium accepta Matri detulisse memoratur, confectumque ex iis edulium confestim pauperibus dispensasse. Impulsu cælesti Deo Virginitate consecrata, parentum voto in clericum sæcularem attonsus est; quibus tamen non diu morem gessit, dum vocanti se Numini obsecutus in Cassinate sanctuario decimo octavo ætatis anno Religiosæ militiæ nomen dedit. A sæculari ad Religiosum statum afferens animum insignibus excultum Virtutibus, ad sublimem perfectionis verticem, celerem intendit cursum, quem si metiri licet è legum observatione, qua salus & incolumitas vitæ spiritualis constat, & profectus augetur ad mensuram plenitudinis sanctorum; nullam unquam violasse deprehensus est regularum. Totum tyrocinij annum, & quod insecutum est studiorum tempus, meditatio verum Devinarum, & mortificatio absumpsit. Donum orationis cælitus ipsi collatum adeo excellens, ut non solum à communibus avocationibus, quibus etiam perfectorum hominum mens obnoxia est, liber esset, sed ità quoq; affixus cælestium contemplationi hæreret, ut exijsse extra se videretur. Sic orantem intuitus aliquando Romanæ Curiæ Prælatus quidam à Clemente VIII. Pontifice Max. ad dignoscendos Cassinensium mores (quibus perversa adversariorum malevolentia ea in urbe notam inurere conabatur) ad sacrum Cænobium missus, insolito splendore circumfusum, & toto vultu radiantem conspexit: quare unius iuvenis sanctitate seniorum metiens vitam, à proposito destitit ac contra omnem adversariorum expectationem ex Judice singularis Cænobitarum Protector factus, veridicum eorundem coram Pontifice laudatorem egit. Anno Jubilæi 1600. quo 80. circiter hominum millia Cassinum accesserant, ac liberali sodalium sacri loci humanitate excepta sunt, Cellæ penariæ præfectus, Dei benignitate multiplicari vidit cibaria quæ Religiosis duntaxat sacræ Domus Oeconomi eum in annũ proviserant. Xenodochij, Peregrinorũ, & valetudinarij curam gerens S. Benedictum specie sæcularis presbiteri Hospitale visibiliter accedentem excepit, ab eoq; sanctioris Vitæ documentis instructus est. Tyronibus Religiosis datus in magistrũ eosdem opere & sermone ad studiũ perfectionis hortatus, sibi effecit simillimos, id est obedientes humiles, sanctos. Aliquibus redire ad sæculum omni nisu satagentibus, cælesti quadam eloquentia saniora persuadens, in proposito Religiosæ Vitæ firmavit roboravitque. Ob perspectam Vitæ probitatem & insignia merita à Capitulo Generali Aretini in Hetruria Cœnobij Prior creatus, cum amo-

re

re humilitatis quosvis abhorreret honores, absolvi se eo officio postulavit: id cum multis rationibus Monastico senatui persuadere non posset, fusis ad Deum precibus & lachrimis tandem obtinuit. Prioris munere solutus (ne fulgeret sine præmio virtus) Abbatis titulo insignitus est, quem sanctioris Vitæ splendore ac virtutibus, multo reddidit illustriorem: quàm acceperat. Ex quibus aliquas duntaxat hoc loci meminisse juvabit, ne singulas enarrando propositæ brevitati derogetur. A primo Religionis ingressu, ad ultimum usq; vitæ diem paupertatem rigorosissimam coluit: seu Prior, seu Abbas omnem singularitatem execratus, nihil in vestitu, nihil in mensa, nihil demum in cubiculo spectari fecit, quod Religiosam excederet modestiam; tum lætior cùm inferior aliis, soloque defectu dives. Obedientiæ eximius cultor, pia aliquando exercitia ad nutum Abbatis intermittere non distulit: Dignitates oblatas ob humilitatem recusavit, indictas vero sine mora admisit, ratus eas cum obedientiæ dispendio non fugiendas esse. Fractas evocatus ut mori paranti nepoti suo assisteret, iam iam ultimum spiritum exhalaturum, (bene nihil ominus dispositum nec sine aliorum Presbyterorum præsentia) satius duxit deserendum, quam præscriptum sibi ab Abbate redeundi terminum prætergredi: cumque obediendi illum zelum, impietatē interpretarentur cæteri, victurum triduo asseruit, donec ipse obtenta iterū licentia ad agonisantem regrederetur: quod verum fuisse rei eventus comprobavit. Castitati conservandæ omnes Zachariæ mortificationes, omnes Vigiliæ atque Orationes impendebantur. Lascivos gestus, motusq; corporis inhonestos æquè cautus ac castus, tam in se quam in alis severissimè redarguit. Mulierum non solum consortia, sed ne aspectus quidem admisit, quem puritatis amorē in aliis quoque enixè studuit promovere. Arcanas aliorū cogitationes mirabiliter introspiciens occultā, eāq; periculosam Erasmi ab Anglono Cassinatis Ascetæ tentationem cognovit, opem tulit consilio, oratione avertit periculum. Novitiū præverecundia commissum peccatū in confessione subticentem, secretæ labis admonuit & ad pœnitendum induxit. Periclitanti alterius sodalis vitæ, cælitus admonitus auxilium tulit & necem parantem sicarium ad saniora consilia inflexit. Nec ea tantum quæ domi occultè fiebant, verum absentia etiam & longo seu loci seu temporis intervallo dissita, tanquam præsentia cognoscebat. In Fractensi S. Catharinæ Benedictinarum Virginum Monasterio, sanctimoniales spiritualibus à se instructas documentis linquens, Casinique constitutus, ac duodecim milliaribus Parthenone distans, ceu præsens esset, occultissimos earundem defectus aspexit, sæpèque periculi tam Monasterio, quàm cuipiam sororum imminentis, Antistitem loci admonuit. Necem fratris sui prius scivit, quàm nuncium de eadem accepisset. Alteri sodalium in lecto decumbenti sanitatem proximam, tentationes secuturas alteri prædixit, aliaque his similia, de quibus latius in Vita. Erga Deū, Dei Matrem, aliosque cælites sumè affectus, miris inventis eorundem promovit honorem. Charitate in Proximos suspiciendus, à prima ætate ad ultimam usque senectam totum se pauperum impendit servitijs. Authoribus necis fratris, & item Nepotis sui morti adiudicatis, multis precibus Vitam à Regni Neapolitani Prorege obtinuit. Orationi adeò intentus fuit, ut dies plures & pleramque noctium partem in rerum divinarum contemplatione suavissimè consumpserit. Jam senex superiorum authoritate choro abstinere jussus, Canonicas preces in cella eadem prorsus gravitate, iisdem cærimoniis solus recitare solebat, quibus cum alijs consueverat; hac orandi methodo absentiam à choro supplens suam. Observatus sæpius est extensis in formam crucis manibus linquere terram, levari toto corpore sursum atq; ita diutius pensilis durare in aere, Revelationibus illustris, preter alias cælitus sibi concessas gratias duorum sodalium Cassinensium, Martini scilicet à Neapoli, & Gregorij à S. Elia animas in cælum ferri conspexit. sermone potens plures à via scelerum ad meliorem vitam amplectendam inflexit; solaque sæpè servi Dei memoria in rigore purioris vitæ, & legum Monasticarū observatione subditos sibi tyrones continuit. Humilitate, abstinentia, cæterisq; carnis afflictionibus mirabilis nec in ultima quidem ægritudine cilicium deposuit. Latè sparsa sanctitatis servi Dei fama, plures ad videndum eum Cassinum excivit, quos inter adfuit & Medinæ Princeps Neapolis Prorex ac cum eo conjunx & tota Regni curia: qui ante Zachariæ pedes prostratus, se, filios, Patriam, Regnum demum ipsum ejus orationibus commendavit. Quoties in publicum prodiret, innumeram multitudinem benedictionem suam implorantē obviam sequacemq; habuit. Aliquando Fractis ab Ecclesia rediens lacer domum regressus est, vestem & scapulare avidè scindente & discerpente devota plebe, subreptasque particulas religiosius conservante. Opinionem hanc pii populi prodigia comitabantur atque fovebant. Cæco homini visum oratione restitu-

stituit. Alteri servi Dei conspicilia clausis oculis admoventi idem beneficium concessum est. Monialem Fractensem in Partenone S. Catharinæ oleo è lampade ante Almæ Deiparæ imaginem ardente liniens sanavit. Eidem iterum periculosè decumbenti, stragulam vestem suam commodans, restituit salutem; quæ quidem in partes deinde scissa certissimi ad omnis generis infirmitates depellendas antidoti loco ibidem à pluribus hucusque tenetur. Duci Laurenzanæ diu sterili prolem à Deo impetravit: Alteri sæpiùs inanimem fœtum edenti oratione subvenit, aliásque innumeras seu partus difficultatem, seu defectum lactis patientes fœminas, benedicto à se pane iuvit, & afflictas consolatus est. Complures alij ex omni sexu atque ætate mortales, qui varijs & gravibus decumbebant affecti morbis, Zachariæ precibus convaluere protinus, quos inter, bini solius aliquando Epistolæ ab ipso scriptæ tactu, pristinam receperunt sanitatem. Sæpius oratione pluviam advocavit, avertit tempestatem, aliáque magno numero patravit miracula, de quibus latiùs in ejus Vita. Tandem & ipsam viam universæ carnis ingressurum, mors paratum per omnia invenit; hanc gravis ægritudo præcedens, ultimam induxit scenam, in qua patientia luculenter suas egit partes. Obijt decimo septimo Kalendas Januarij Anno Domini 1645. Antequam capulo componeretur corpus, dum paratur de more ablutio, inventa sunt genua, callis extuberantibus conserta, quæ diuturna humi pressio extulerat. Funus elatum religiosa modestia, quod tamen ingens populi concursus magnificum effecit. Exciti recordatione sanctitatis quamplurimi popularium, osculari manus, admovere rosaria, ejus patrocinium implorare non cessabant; etiam plura ausi, frustula vestium abscindere, capillos, & ungues evellere, extrema digitorum forcipibus, miraculis sanitatum paulopost initium datura, adeo, ut subducendum fuerit periculis majoribus corpus, ac ruenti turbæ subtrahendum; quod tertia ab obitu die tumbæ cupressinæ inclusum, ne confunderentur ejus ossa mortuorũ, cataſtæ, in distincto sepulchro depositum est, Quidquid vivens attigerat, post decessum pro lipsanis habitum habeturque. Mortem subsecuta miracula vivi sanctitatem comprobarunt. Neapoli à Dæmone obsessa mulier, tactu pileoli servi Dei mansit libera. Princeps Boteri fœmina pia, quod vivente Zacharia nõ potuit, eo mortuo uti prædixerat vivus, lumen oculorum recepit: & alibi aliæ ad invocationem servi Dei mortalibus concessæ gratiæ, quibus ejus sanctitas adeo inclaruit, ut auferendi sui capitis (cum totum corpus non posset) & majoris honoris ergo ac reverentiæ alio transferendi occasionem dederit hospitibus quibusdam Religiosis: qui tamen errore lapsi, Angeli Sangrini Abbatis olim Cassinensis æquè sanctimonia illustris Viri, sacrũ verticé pro Zachariæ clam acceptum in Lithuaniam ad Castro-Cassinense Año Domini 1664. extructum Cœnobium detulerunt, ibique clarum prodigijs hucusque conservatur. Zachariæ verò corpus cum annis triginta duobus in priori jacuisset sepulchro, Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Severinus Pepi, sacri Monasterij Cassinensis Abbas, & ejusdem Diœcesis Ordinarius, multis titulis olim Patri Zachariæ obstrictus, suarum partium duxit thesaurum absconditum effodere, & in honoratiorem tumulum transferre: quod Anno Domini 1677. ipso die sacri Paschatis feliciter præstitit, præsentibus ibidem [præter innumeros alios Religiosos] septem Reverendissimis diversorum Cœnobiorum Abbatibus, tum & Notario Apostolico, à quo de Actu translationis confectum Instrumentum Publicum habetur in vita Vener. servi Dei, quam à R. P. Dominico Jameo Soc. Jesu Theologo auctoritate Eminentissimi Cardinalis Caraccioli Archiepiscopi Neapolitanj, & à Carolo Celãno Canonico Neapolitanæ Eccle. siæ jussu Politici officij revisam, coram eodem Eminentissimo habita Congregatio approbavit, imprimique permisit, quemadmodum impressa fuit Neapoli Typis Antonij Gramignani Anno 1678.

ANNO CHRISTI M. DC. XXXXIX.

AD supera accersijt bonum Numen coronari meritum Venerabilem P. D. Bernardum Anglo Casinatem Monachum, qui patrui sui Præstoni Martyris consilio Casinum pergens, ibidem fidei dogmatibus benè institutus, Monachum postea professus est, singulari dono contemplationis & orationis à Numine honoratus totusque absorptus. Ad Albanetæ devotissimum recessum, R. R. PP. Societatis Institutori amicissimum, cum socijs se conferens, totus ibidem in Deum raptus, Collegis redomuitionis hora ipsum anxiè quærentibus nusquã apparuit, donec ipsus in medio ipsorum appareret. Exemplar sanctitatis omnibus fuit, & sæcularibus mirificè Dei amorem instillavit, non sine miraculorum gloria vitam mortalem desinens quibus usque hodie illucescit. Vitam in Auctario Menologij dabimus.

ANNO CHRISTI M. DC. L.

BEatissimo fine cursum vitæ consumat Illustrissimus Princeps servus Dei humillimus

mus D.D. Bernardus Mutus eloquentissimus apud Majestatem Divinam Orator S. Pauli propè Urbem Romanam Monachus, cujus vitam breviter descriptam subijcimus.

Bernardus ex Ducali Mutorum familia Romæ genitus, ab ineunte ætate, cum Virtutes omnes, tum inprimis animi corporisque virgineam puritatem coluit, quam ut illæsam tutiùs conservaret, relicto amplissimo Principatu, qui ei primogenito jure competebat, ad Religiosa claustra se transtulit, sacrisque Benedictinis in Romano Divi Pauli Cœnobio initiatus est, professionem emisit Anno Domini 1610. die 29. Novembris. Jnprimordijs conversionis sola ei summaque ambitio fuit Deum diligere, & in ejus amoris pretium amando crescere. Noctis etiam silentio suavissima cum eodem colloquia miscere solitus, vix aliquid corporeæ indulsit necessitati. Beatissimam Virginem Mariam unicè diligens, tam indulgentem advocatam habuit, ut nihil ferè à Deo peteret, quin ejus intercessione impetraret. Vir toti Romæ ex Natalium virtutisque claritate notissimus, Principum, Cardinaliumque aulas rarò, nec nisi vocatus adibat. Parentes ipsos nonnisi pij alicujus negotij causa invisere solitus; serio affirmans: se minimo etiam temporis momento indigere ut æternitatem lucraretur, procul à Principum familiaritate & aulæ usu. Quos semel cum sæculo spreverat, constanter in Religione honores recusavit; vixque Abbatis titulum, non auctoritatem, obedientiæ præcepto constrictus admisit. Quæ quidem obtemperandi voluntas in eo mirabilis fuit: Laicis etiam Fratribus summa cum animi demissione obedire consuevit, ijsque loco cedere, & prima ubique tribuere: quippe qui se nullius inter homines meriti æstimabat; opus fuit ut majores rei conscij, nimio se demittendi studio modum ponerent, ne sacerdotis persona quam gerebat, Abbatis etiam titulo insignior, contemptui esset, & sui despicientia, in injuriam cederet publicæ dignitatis. Studiosissimus paupertatis cultor, etiam Abbas, nulla omnino curiosa supellectili in cubiculo suo pretiosus spectari voluit, raræ tantum parietibus pendebant affixæ sanctorum è simplici charta imagines, fovendæ pietatis gratia, & mentis ad superos revocandæ. Miserrimum quemque studiosè complectebatur, seque ipsum pauperum obsequio & servitio dedicans, miras ad id bene præstandum excogitabat artes. Jn decora ejus oris specie, adeò sanctitatis fulgebat color, & quoddã Angelicæ lumen integritatis, ut intuentibus, cum cæterarũ virtutũ, tum præcipuè pudicitiæ amorẽ quasi afflaret. Dæmonibus summè formidandus, eos humanis pellebat corporibus, ea facilitate, quam maximis sanctis à Deo concessam legimus. Nullum omnino ænergumenum suscepit curandum, quem non liberum sanumque demiserit. Odium inde malorum spirituum in se concitans, ab ijs dirissimè sæpiùs cæsus, in cubiculo sanguini suo semimortuus innatans frequenter repertus fuit. Semper tamen post plagas fortior, animarum hosti, usque adeo tremendus extitit, ut ne præsentiam quidem ejus ferre potuerit. Continuis tandem jejunijs, laboribus, carnis afflictionibus & annis exhaustus ad extrema devenit, mortisque falce præcisus beatiorem vitam vivere cœpit. Cadaver venerabile Pontificali habitu ornatum, in sacrosancta Divi Pauli Basilica triduo stetit ostentui populi, magna frequentia ad idem visendum confluentis, & pia oscula manibus libantis. Jllius asperrimum cilicium, & retis rigidis horrida nodis, quam scapularis instar nudo applicabat corpori, pro sacris habita pignoribus, hucusque in Reliquiario ejusdem Patriarchalis Basilicæ religiosissimè asservantur; alia afflictandi corporis instrumenta, alijs cessere viris illustribus. Corpus ad cornu Evangelij Altaris S. Benedicti cupressinæ arcæ inclusum, distincto ab alijs tumulo conditum est. Tabulam plumbeam sepeliendo corpori appositi Rev.*mus* P.D. Cornelius Margarinus, notus ob Bullarium Cassinense in lucem editum toti mundo Vir, in qua vitam diemque obitus servi Dei breviter adnotavit: quemadmodum ipse mihi asseruit, simul cum alijs R.R. Patribus S. Pauli antiquioribus Cœnobitis, à quibus tamen de die & anno mortis quidquam hucusque rescire nequivimus. Certum nihilominus est, servum Dei post annum 1650. obijsse.

ANNO CHRISTI M. DC. LIII.

JTerum Jtalia ex simplici quidem Fratrum conversorum studio & stadio felicissimum cursorem, ad bravium remunerationis æternæ, magno cum cœlitum plausu mittit venerabilem Virum Philippum à Monte Scaglioso, qui contemptis calcatisque, non mediocribus, parentum opibus, & delicijs mundi humillimum conversorum institutum in Augustissimo Casini Archisterio professus, ad celsissimos divinæ contemplationis apices conscendit, ab exercitio Dominicæ Passionis totus extra se raptus, ut somni cibique fastidiens, nihil nisi Christum exambiret. Js Divinæ Matris amore tractus cum ad ædem ejusdem Lauretanam iter cum socio intenderet, medias inter pluvias uterque servatus ita est, ut nec vestes uno in pilo immadescerent. Moritur in-

explicabili plausu lætitiæ præferens signa, cælites obvios salutare visus inter oscula dulcissima Crucifixi, quem manu gestabat extremum exhalavit spiritum 18. Decembris.

Eodem 1653. uti Italia & Gallia flore primævæ sanctitatis exsplenduit alia quoq; Regna Redivivum Spiritum in se magni Patriarchæ experta sunt, & revera Asia quoque atque Africa ignes è sopitis quasi cineribus novos prodidere, Gallia tamen & Italia, quin & Hispania, uti jam vidimus insigniter gloriosè & absque invidia certavere.

Nec minus quàm Italia atque Gallia, Germania quoque Redivivi in se Benedicti exemplaria quàm plurima orbi Christiano redhibuit, Helvetia inprimis, quæ ut militaris gloriæ celeberrima fama jam ante Christi incunabula præ alijs Natronibus ad hanc etiam usque diem orbi universo innotuit, ità non minus triumphalibus sacræ militiæ armis exsplenduit, tantósque Heroes cœlo ipsi spectabiles protulit, ut quàm latè firmamentũ Helvetiam contegit, haud pauciores, nec minus lucidiores syderibus illis cœlestibus inseruerit. Certè S. Galli Archisterium, uti jam ante annos octingentos vetustissimo Scriptore teste concinere potuit:

Continet hoc sanctum Sanctorum millia templum, & hoc quidem non externorum, Româ, seu aliundè allatorum, sed domesticorum, ita continuare frequentiam illam & beatitatem usque hodiè nunquam desijt, memorabili ad omnem æternitatẽ tam sanctæ continuationis exemplo; uti & Einsidlense Matris Admirabilis peculiare Domicilium, quæ uti primitus ibidem suæ habitationis fundamenta jaciens, congeminavit semper illud Ecclesiæ decantatissimum: *in plenitudine Sanctorum detentio mea*, sic detinetur & hodiè totaque ex Europa peregrinos convocat salutis remedia apud Marianos suos domesticos quæsituros & inventuros, ut revera quod Italiæ Cassinum est, Gallijs Cluniacum, hoc Germaniæ sit S. Galli Asceterium: quodque Italiæ Lauretum, Hispaniæ Mons-Serratus, hoc Teutoniæ revera sit Einsidlense Monasterium. Ut nihil de alijs dicam felicissimæ ejusdem Congregationis Monasterijs; Fabariensi, cujus gloriam Tomo secundo & tertio Germaniæ nostræ descriptimus, quodque hodie ceu Redivivum Phœnicis instar è suis consurgens cineribus, duplicis beneficio Bonifacij in conatus primævi insurgit fervoris; Disertinense autem, ut frequentiâ auctum, sic & virtutũ splendore, ut non deserti tam nomen præferat, quàm horti, Paradysi fontibus irrigui, audire mereatur: *gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron, &c.* Muri autem Argoviæ altiores firmioresque hucusque, quàm ut mundi insidiæ illos scandere seu frangere possent, sacræ disciplinæ firmamentum perpetuò retinent: uti & Rhenovii sive Rhenaugiæ dignitas & sanctitas Rheno undique circumcluſa, vocati tamen à Numine Gustavi Bernardi Principis Badensis virtutum splendoribus attracti sibi meruit, vitæ sanctioris initia, & ad primævum fervorem, institutionem; Mons autem Angelorum nunquam desertus ab Angelis usque hodie in concentus eosdem domesticorũ suorum cælo detrahit; & Beinwilerense nihil jam ossium habet nudorum, quod ad insignia sua referat, pridem jam spiritu, quem suspexerat Ezechiel, insufflatorum, excitatorum, animatorum. Et quid mirum, excitatos ad Matrem viventium excitantis potentissimum suffragium quæ in petra durissima sibi cœlitus designatum elegit Domicilium, domesticos sibi deligens ex ossibus Beinville veteris, magna prodigiorum ostensione evocatos.

Fischingense, quid memorem, ante omnia alia celebrandum, antiquitate nulli secundum, solius S. Blasij Herciniæ gemellum, quod ipso sanctissimo Patriarcha nostro sæculis aliquot prius antiquitate, ex cunis & crepundijs Christianæ fidei enatum, primis Apostolorũ tempori proximis Asylum Christianis omnibus præbuit, & sinu suo recepit innumeris Sanctorum pignoribus etsi profundè subterra latentibus felicissimè initiatũ & consecratum fuit, ut meritó Religiosi illius loci ab exurgente inde à tam sanctis pulveribus primævo Christianæ sanctitatis calore, non possint non effervescere, & mirificè animari; ut haud immeritò locus ille sacrariũ dici possit, Turgoviæ sanctæ, quàm Reverendissimus Dominus Abbas Joachimus juxta alia primævi spiritus Benedictini signa & argumenta, haud ita pridem in lucem edidit, totamque Turgoviam sibi obligavit & posteritati commendavit. De Monasterijs Virginum nihil dico, quæ sub Fideli tutela tantísque Virorũ exemplis, Amazones imitatæ haud minus Heroibus prælia Domini, contra mundũ, carnem, & cacodæmonẽ plus quàm viriliter etiã hodie pugnare comprobantur.

ANNO CHRISTI M. DC. LIV.

EXemplar tantæ, de qua loquimur, Helvetiæ gloriæ, hoc ipso anno ad cœlos exambitum Helveriæ ereptum, Pius Princeps & Abbas S. Galli fuit, non ex piorum Principe inter Romanas familia, sed multo eminentiore cum sanctis cœlitibus gemella, eminentior eminentissimis, profundissima animi demissione cum sublimissima conjugata eruditione.

Vita

Vita ipsius cælis proxima semper incessit (nimirum ut Enoch & Noë, semper & ubique cum Deo ambulavit) suum S. Galli Monasterium, secum quoque extulit, antecessorem suum sanctissimæ memoriæ Bernardum, lactea & melliflua erga suos sacra adoptione filios ita scitè imitatus, ut non minus, à morte ipsius quæ hoc anno inhiantissimè desideranti obvenerant, velut ablactati infantuli deploraret, tota lugente Helvetia atque ordine imprimis tantum sydus sibi ablatum, etsi cœlis insertum, usque hodie & Filij & tota Provincia glorientur. Succenturiatus felicissimo Archisterio est Gallus, eo Nomine verè secundus, tunc Decanus ejusdem loci felicissimus, quem communis lactei gregis amor ad secundissimos primi Galli successus, & conatus, elegit alterum antiquissimi fundati à primo Cœnobij ex fundamentis Fundatorem & Restitutorem. Jta asserturis omni posteritati ipsis lapidibus, & amplissima structura, in qua quidem, etsi plurimum operæ navârit, & industriæ ostenderit, multo plus tamen in vivis lapidibus, & sacra illorum compositione industriæ ponit, eoque usque sacræ etiam molis ædificium deduxit, ut haud minus Religionis sub Gallo secundo, quàm primo, orbi præseferat universo. Habuit sub Pio idem Archisterium Pios plurimos, Pij sanctitate, haud inferiores, è quibus Ven. P. Udalricus Hengarter, ejusdem loci Decanus plurimis annis, haud inferior, à quo nomen sortitus est, S. Udalrico, priscæ sanctitatis Heroibus nulla in re cessit, Martyr non minus voluntarius, quàm alij Tyrannorũ persecutione, ut de alijs nihil dicam, quorum exemplis sua coæquat studia, hodierna posteritas minimè præpostera, juxta Theologica studia adnectens, tam piè, absque invidiæ æmulatione, sub Gallo secundo, secundiora sibi omnia pollicentes & experimento animadvertentes.

ANNO CHRISTI M. DC. LXIII.

Cœlum non minùs quàm terras admiratione implet Puella planè admirabilis, digna admirabili parente Benedicto Filia, tenella admodum ætate lectissima Christi sponsa, nuptijs æternis matura Elisabetha sive potius Elisabethula Tripedi Christi anno 1653. Cininæ in Opido Diœceseos Panhormitanæ, haud ignobili nata, ipso festo S. Ursulæ & Sociarum, quàm instinctu planè divino prægnans eadem felicissima Mater, Numini sacrandam destinaverat, in labores jam tunc edendam, cum genitricis ubera lacte vacua infantulam ad aliena ubera remittere cogerentur, etsi non diu, summo Virginum Virginis beneficio, voto ad S. Mariæ Novæ templum edito cælitus lac mererentur. Et splenduit mira quàm primùm ex tenellula gratia, & divini Numinis splendor quidam emicuit rarissimæ in ipsa operationis, quæ cum ætatula mirè adolevit, si tamen adolescere potuerit in ea, quæ ad adolescentiam non pertigerit. Quinquennis adducta in Cœnobium Virginum nostrarum, ubi primùm Divi Benedicti conspexit habitum, omnem alium mundi ornatum fastidiens, clinodia, & quæcunque ejusmodi penes se habuit, per fenestras rejecit, & quanta potuit instantia ab Antistita loci sacra se indui veste efflagitavit, & meruit. Admirationi omnibus tantillula fuit, dum tantam maturitatem in facie omnium præsetulit, ut exemplo etiam senibus esse possit, formata jam tunc ad amussim Regulæ, & cæcam etiam, si jussa fuisset, obedientiam, commemoratione passionis dominicæ ita affecta, ut jam tunc ad omnia se tormenta ultro offerret, & quibuscunque à se excogitatis supplicijs teneriorum corpusculũ excruciaret; ita ut instrumenta, quibus torquere se consueverat, auferenda ab ipsa essent, & tamen concedenda, quibus absque noxa liberius uti posset. Septuennis ob instantiam ejusdem ferventissimam sacræ Synaxeos usus concessus eidem fuit, quo tantoperè exarsit, ut nemo non tanti Sacramenti virtutem in ipsa divinitus operantem ex oculis, vultu, totius corpusculi gestu cum admiratione animadverteret. Miraculum certè ipsa suæ ætatis fuit, & contemplationis gratia, gratiæ vehementia, extra se sæpius rapta, inque terras concidens, è templo ad Cellam suam à fororibus deportata fuit, donec sibi redderetur. Deiparæ Virgini summoperè devota fuit, & peculiaria quædam ejus colendæ argumenta adinvenit, erat ut compatiens Christo, sic ægris & afflictis omnibus, ut pro omnibus ea libentissimè sufferret, eaque pateretur; sic damnatam ad pœnas graviores sodalitatis sororem, piè miserata, instantissimis precibus ad omnes pro eadem ultroneè suscipiendas se obtulit, & cum nihil impetraret, tres integras horas lachrymis diffluens Deum exoravit, impetravitque, ut nihil plagarum damnata sentiret, quod & ipsi promisit, quæ & posteà confessa est, nil prorsus doloris se persensisse. Jmmortalis Sponsus Sponsulam hanc suam in amplexus æternos nimium desiderans mortalibus abreptam diutiùs à se abesse minimè passus est, sed cum nonum explesset annum, eam paucis mensibus lectulo affixit crucis suæ, inter acerbissimos dolores nihil questam, sed in sola oscula & æternos amores mentem defixam, ipso in decessu tantæ lætitiæ ea præferentem signa, ut facilè adverte-

verteres, talia intueri, quibus potiri mox certa erat, inter Angelorum occursum dulciter consopita, animula choris illorum inter solennes cantus & plausus consociata, ac cœlestibus prodigijs à sponso honorata, quo ipso anno solemniter votis monasticis Deo renata est. Miracula inter mox ab obitu sacri tyrocinij Magistrâ, gravissimo quo laborabat morbo, liberavit, & patri suo [secundum sæculum] Philippo, nec non matri asthmate laborantibus prodigiosè sanitatem restituit. Quæ & multa alia prolixius in vita ejus memorantur. Decessit 30. Aprilis, Martyribus voluntarijs accensenda, cruciatibus sponte assumptis, quos inter, ne pedes quidem nihil paterentur, calceolis suis duriora semina inseruit, ut non sine magno dolore Crucifixum suum sequeretur.

Eodem anno, eodemque in Cœnobio sanctè in Domino requievit Ven. Agatha de Volti ex Opido Bivonensi orta, quæ non sine magna sanctitatis opinione sub Regula S. P. N. vitam extraxit, & nominis à morte immortalitatem meruit, die vigesimo Julij ad Cœlos subtracta.

Quo ipso loco sororem ejusdem Ordinis agens hoc ipso tempore, Maria de Roccaforte magnis non solum virtutibus emicuit, sed & eximijs, cùm in vita, tum à morte miraculis à Deo fidelium devotioni commendata fuit, super cujus sanctioris vitæ actibus solemnis inquisitio, &, ut vocant, Processus instituitur. Legendus Tornamira noster in Vita ejusdem.

ANNO CHRISTI M. DC. LXX.

IPso professo summi Monachorum Archiducis Benedicti decima Julij verè redivivus ad triumphos & latus tanti patris sui jungitur, evocatus è terris & Einsidlensi magnæ Matris Archisterio Placidus ejusdem Abbas Princeps Marianâ Reginâ dignissimus, magnis sanè titulis, ut virtutibus, ad omnem posteritatem celebrandus. Js uti Benedictum Patrem verè per omnia Admirabilem, vitæ expressit mira imitatione, sic Matris quoque Virginis Benedictæ viscera in se ipso continuit, & pietate verè materna, non erga suos tantum, sed erga pauperes quoscunque gessit & exhibuit, ex cujus ore nil nisi Divinum, dignumque tanto Principe excidit. Fuit patientia admirabilis, nunquam sui dissimilis, imperturbato ut semper animo, sic vultu, fronte semper serena, ore modesto, ipsis quoque moribus, nil nisi placidum referentibus, ita ut quicunque ipsum intuerentur, tanquam Dei Angelum revererentur. Varijs pro juribus Deiparæ conservandis, ærumnis & vexationibus tentatus, erga adversarios ita se habuit, ut erga amicissimos, ægerrimè ferens, si quis de ipsis male loqueretur, tali tolerantia, quæ canonizari mereretur. Proximis ante mortem mensibus omnibus se curis abdicans, soli Numini summâ industriâ vacavit, & Angelorum Reginæ totum se servitijs addixit, cum Angelis deinceps obsequijs certare visus, totamque ipsi gubernationis suæ commendare administrationem. Febri denique correptus, tali ad supremam dormitionem devotione se disposuit, tali fervore extrema Sacramenta susscepit, ut nemo satis intuentium miraretur, donec felicem animum Creatori transmitteret, ingenti quàm primùm concursu hominum facto sacrum corpus venerantium & linteolis contingentium, non sine miraculorum aliquot evidentissima demonstratione, è quibus parvulus graviter ægrotus, mirè convaluit, & non nemo è Cantonibus capitis dentiumque gravissimis doloribus acriter laborans, subitùm curatus est. Nec dubium haud minimum deinceps posse ad suum confugientes tumulum, & subsidium invocantes adjuvare. Successit felicissimæ electioni procul dubio patrocinante Matre familias Augustissima Einsidlensi Augustinus, magno Aurelio Augustino, etsi post tot sæcula, uti nomine, sic eruditione nulli nostrâ ætate secundus, hæresumque felix profligator, ejus procul dubio, *quæ cunctas Hæreses sola interemit in universo mundo*, patrocinio & subsidio, Romanæ Ecclesiæ deinceps etiam, insigni cum Ordinis & primæva gloriæ ostensione operam navaturus. Assurgit summa ejusdem industria, generosissimisque conatibus, Augustissimæ Cœlorum Jmperatricis, Augustissima Basilica, in magnum splendorem Hæreticorum oculis invisum, toti Helvetiæ gloriosum, in asylum perenne, ad Auxiliatricem Christianorum respicientium & confugientium, in perenne etiam pietatis tanti Præsulis, & Principis monimentum, cui de hoc ipso nunquam satis gratulamur, successusque felicissimos apprecamur & ominamur.

Et quæ non signa, quæ non argumenta, quæ non experimenta hoc ipso tempore, Benedicti in suis Redivivi sunt eadem ipsa, quæ cum primævo Ordinis instituto orbi universo bona evenêre, à literarum profanarū non minus quàm sacrarum promotione, cùm ipsorum etiam Hereticorum testimonio primæ omnium scholæ & Gymnasia in Monasterijs originem habuerint, in quibus una cum studijs virtutum & sanctitatis omnes adeoque & felicitatis jacta sunt fundamenta? ita verò hodiè, si ullo unquàm tempore aut sæculo,

culo ; eadem non solùm effloreſcunt , ſed fructibus quàm digniſſimis, beant Europam univerſam , ita utvix ullum celebrioris nominis, & fortunæ extet Cœnobium, inquo nõ Humaniora ſolùm ſtudia, ſed altiora Philoſophiæ, Theologiæ, quin & Canonum, aliáque quæcúnque ad eruditionem ſolidiorem ſpectantia certatim ſuſcipiantur, & promoveantur, quin & ad Univerſitates toto terrarum orbe celeberrimas tales extrahantur profeſſores, qui cum omnium ſæculorum eruditis comparati, etiam in admirationem ſummam abrepturi ſint omnem ſæculorum poſteritatem, cujuſmodi noſtra ætate Pariſienſis, Salmanticenſis, Dolana, & pleræque aliæ tota Europa Univerſitates gloriando oſtentant, & nos paucos è plurimis hujus decurſu operis commendavimus, celebraturi longè plures, niſi modeſtia Religioſa ſuperſtitum non permitteret, & rubor verecundus pro hiberet. Certe quod olim Fulda, Hirſaugia, Cluniacum, Caſinenſe, Cavenſe, aliáque priſcis ſæculis Archiſteria, ſuis quæque Regnis ac Provincijs æterna cum nominis gloria fructùque Provinciarum incomparabili præſtitêre, præſtant, ſuperantque multis partibus hodiè pleraque, cùm Galliarum, tùm Hiſpaniarum, ſed & Germaniæ noſtræ Monaſteria, S. Galli, Einſidlenſe, Campidonenſe, Weingartenſe &c. Quorũ illud nuper ex cineribus Phœnicis inſtar mirificè reſuſcitatum, in auguſtiorem prima fundatione ſplendorem excitatum, Quatuor Virorum S. R. I. Prælatorum Principum numeros omnes explet, in hoc Fuldæ ſuperius hujus Aſcetis litterarum profeſſionem, Cathedráſq; in exteros commendantibus, ipſi generoſiſſima nobilitate viri, ut & Religione cultiſſimi in ſuas partes trahunt vereſque imitati Aſcetas, nihil ſe dignius ducunt, quàm nobilitatem Religionem que eruditionis laureâ coronare. Et quid dicam de ſacrarum promotione literarum, & divinorum imprimis voluminum religioſiſſima, & digniſſima conſervatione, ad confuſionem, & dammationem Hæreticorum ſempiternam, dum quantis fraudibus, ſcelere, & infandis diaboliciſque conatibus Falſarij illi Scripturarum, in corrumpendis Bibljs, detruncandis, totis libris, totiſque capitibus dies noctèſque laborant, noſtri inpuritate eorundem, & incorrupta veritate aſſerendâ expenſas ingentes faciunt, plurimumque operæ inſumunt, innumeras penè Bibliothecas, tantis theſauris implendo, ut in una ſæpe earundem ad viginti, ad triginta, pluràque ſacrorum voluminum Exemplaria, quingentos, ſexcentos, ſæpè octingentos, plureſque ætate Scriptoris annos excedentia oſtentent, quibus omnibus ſecundum capita, ſententiàſque verbatim inter ſe comparatis manifeſto appareat orbi, & poſteritati, univerſis, quanta fide, quantàque animi calamique ſyncerıtate incorruptiſſimam veritatem, verbique divini dictamen poſteris conſervârint, dum inter pauciſſimos ſæpè annos Hæretici eadem toties ediderint, ſenſu verbiſque corruptiſſima, Deo ipſi ejuſque verbo, in quo tantoperè gloriantur, inexſplicabili perfidia, adverſantes, etſi poſſent, omnia Numinis dictata ſceleſtiſſimè exfufflantes. Et qua intra duodecim ab initijs Ordinis ſæcula corruptio Bibliorum, conſequi debuiſſet, ſi pari modo, adeóque perfidè, uti nunc dicti falſarij Biblia tractaſſent? que uti & ſanctorum Patrum ſcripta verè Religioſi religioſiſſimè, & puriſſimè, uti ſemper venerati ſunt, etiam poſteris tranſmiſêre, & conſervavêre. Ita ut planè non poſſit non conſtare cælo non minus quàm terris quantum hodiè debeant induſtriæ noſtrorum & fidei in tanto theſauro tam cautè, tamque caſtè fidelibus cuſtodito, & aſſervato. Nec minus argumentum Redivivi in ſuis Benedicti hodiè eſt ipſius tam, quàm filiorum ſancta Hoſpitalitas, innumeris, recentiſſimiſque diverſiſſimorum Cœnobiorum exercitio quotidiano comprobata, ſed & à Numine etiam miraculis commendata, hujusmodi exempla aliquot ipſo hoc Opere dedimus, & Caſini inexhauſta liberalitas, ut & Montis-Serrati neminem non peregrinorum in magnam rapiunt admirationem. Certè Montis Serrati Archiſterium in ſtuporem rapiens Europam univerſam, oculatos teſtes ſuæ Hoſpitalitatis innumerabiles habet eoſque inter ſexcentos ſumma nobilitate & potentiâ Principes, quorum plurimi ſerió ſunt atteſtati omnes ſuos reditus in tot mortalium alenda millia minimè ſuffectura, ſi totos ſubinde occurrentium quaſi exercitus ſibi alendi eſſent, ac præcipuè ſi quivis pro dignitate Familiæ & muneris ſic excipi, & tractari deberet. Uti reverà eò loci res ſe ſe habet, ſtupentibus ipſis ejuſdem Archiſterij Religioſiſſimis Aſcetis ad ſervitia hoſpitum deſignatis, cùm non niſi prodigioſè, omnia admanum affluere cernant, & quicunque eò currunt eòſque inter ſubinde etiam Hæretici non poſſint non attoniti tantum aſpicere miraculum ex quorum maximi nominis Viro oretenus intelexi, nunquàm religioſius de miraculis Catholicorum ſenſiſſe, & in Calviniſmo ſuo fluctuâſſe, quam cùm ibidem tridui hoſpitio uſus eſſet, cùmque ægrè inde ſe divelleret, octiduum totum in urbe Monti ſubjecta admirationis gratiâ ne dicam Religionis,

nis, subſtitiſſe. Caſini liberalitas, & ipſa quotidiana redivivè ſemper primævæ charitatis anno jubilæi milleſimo ſexenteſimo quinquageſimo ultra ſeptingentos hoſpites cum plauſu excipiens, eoſque inter magni nominis, cum ſacros, tum profanos, ita omnes pro dignitate refectos, & admiratione attonitos à ſe dimiſit, ut qui diſceſſerant, nunquàm ſatis & religionem loci, & liberalitatem deprædicârent. Quid ſi S. Juſtinæ de Padua aliorumq, per Jtaliam Cænobiorum effuſam in pauperes liberalitatem deprædicare tentem, quid ſi aliorum Hiſpaniæ Cænobiorum? quid ſi Cluniaci, Luxovij, aliorumque Galliæ Monaſteriorum? quid ſi Germaniæ etiam noſtræ, tam ſuperæ quàm inferæ, Helvetiæ, Sveviæ, Auſtriæ innumeras & penè immenſas largitiones! ego ſanè ipſus præſens interfui, cùm in celeberrimo illa & ſplendiſſimo Superioris Auſtriæ Cænobio Cremiphanenſi anniverſaria Fundatoris memoria memorabili ſanè unius diei in pauperes eleemoſynâ, aliquot ſupra ſexaginta grandi mole & pinguedine boves mactati, viritim in pauperes diſtribuerentur, addita cuiq; magna panis, farinæ, & vini portione, cujuſmodi largitionem ſummam, ſi in ſola Germania noſtra adnumerare, & quaſi coacervare conarer, opus quidem tentarem laborioſum ſatis, ſed quod non ſolum magnos Principes, ſed & Reges haud minimum percelleret & in Benedicti adeò clarè in ſuis Redivivi raperet æſtimationem. Quid ſi ad aliorum me convertam tota Europa opificum, Civium, vicinorumque Cænobijs ſuſtentationem, quorum opificia & labores tantum merentur mercedis, tantumque pecuniæ & alimentorum, quod ipſum vel cogitare ſolum, cuivis rem penſiculatius attendenti facilè erit, cognoſcere. Ad altiora aſcendo, à pauperibus adipſam quoque Nobilitatem, in qua etiam hodiè & elevanda, & ſublevanda ſe ſe totum in ſuis Redivivum, impendit, & ſuperimpendit liberaliſſimus in omnes Monachorum Archidux Benedictus. Certè in Germania ſola, quanta, ut olim, ſic hodiè, conferre in Nobilitatem, non Equeſtrem ſolùm, ſed Baronum, Comitum & Principum conſueverit beneficia, integrum & benè magnum Volumen requireret, ita ut vel ſola enumeratio Familiarum plura ſexcentis, imò mille, hiſque ipſis multo plura folia requireret, quæ Benedictinis Cænobijs ampliſſimas ſæpè ditiones, Præfecturas, & bona penè innumera in beneficium accepta etiam uſque hodiè poſſidènt, iiſdemque ſumma cum utilitate liberorum ſeræque poſteritatis, liberaliſſimè fruuntur. Memini in Benedictina Aquila, quantis beneficijs Nobilitas, à ſolo Divitis Augiæ Cænobio affecta ſit, ita ut ultra ſexcentos Beneficiarios & Feudatarios numeraret, & quot non ejuſmodi aluerunt olim, aluntque hodiè vetuſtiſſima. Jlluſtriſſimáque Cænobia S. Galli, Tegernſeenſe, Einſidlenſe, Campidonenſe, Fuldenſe, Murbacenſe, aliaque plurima, certè ſolùm S. Lamberti, in Superiore Styria, quanta non quantæque æſtimationis Dominia, Urbes, Oppida, Arces, ampliſſimaſque Poſſeſſiones in nobilitatem etiam ſummam Baronum, Comitum, Principum, quin & Archiducum contulit, quibus uſque hodiè fruuntur plerique, & quamdiu quidem ritè agnoſcunt, cum ſuperna Numinis, & Sanctiſſimi Patris Benedicti ſolidâ benedictione, ita ut de hac multo plus quàm bonis ipſis, & bonorum poſſeſſione ſibi poſſint pollicèri, uti & vereri, ne, ſi beneficio tanti Patris abutantur, & ceu propria abſque benedictionis agnitione uſurpent, maledictionem mereantur pro benedictione. Certè ex Hæreticis plurima plurimi ita ſacrilegè ſibi uſurpant, nec calamitatum ſuarum cauſas animaduertunt, dum innumeris aſſiduè interea maledicti execrationibus fluctibus iactantur, imò merguntur, hujusmodi exemplum univerſa Europa infeliciſſimum Angliæ Regnum præfert, poſtquàm tot bona, totque dona tanti Patris à quo ſanctæ fidei & innumerabilia alia recepit beneficia, ſub Apoſtata Rege Henrico VIII. abligurivit. Fructus abligurition is & peſſundationis tantæ ex eo tempore, illi Fuerunt, qui uſque hodiè, decumanis fluctibus longè majores innumeram peſtem, Britanniæ induxerunt, cum præfatus Rex ad omnem æternitatè deteſtabilis, ſuum profanum caput (convenientiſſimum utique deteſtabili Eccleſiæ) impoſuiſſet, impia Jezabel Eliſabeth illa ſuum impuriſſimæ Meretricis impoſuit, & Natalem ſuum Virginum Virginis loco Calendario infernali invinxit, & rempublicam tot Hæreſibus involuit, ut deliria Angliæ nec ſimpliſſimi quidem genij homines admirentur donec ſucreſcentibus Eccleſiæ tam miſeræ & miſerandæ longè pluribus, quàm Lernæ infernalis capitibus, ſuperioribus annis attonito ad parricidium inauditum, Orbe univerſo, in hoc unum convenientia tot capita, caput Eccleſiæ ſuæ pro Theatro publico ſolemniſſimè obtruncârunt. Secutũ unũ ex altero malũ, ut tot inter ſe colliſa capita haud immeritò in Veſaniã verſa innumera ſibi Hæreſum dictamina præfigerent, & à Cerbero infuſo ſibi cerebro, & inſpirato hujus quoque acti ſpiritu, in ſuamet ipſi viſcera graſſarentur, & ſola proſcripta è Britannijs, ſancta veritate, Guaggerorum

innu-


innumerabilium Monstrorum feritate in cædes perpetuas, odia, dissidia, & Verbi Divini corruptissimas depravationes toti se effunderent, donec Rege denuò sibi impositò, quisque tamen Rege Majorem se crederet, Et latè circumspiceret innumerabilibus ex indè consequentibus Regni perturbationibus ac deinceps consequuturis, donec cum suo Proto Apostolo Cantuariensi Augustino, & qui hunc miserat, Maximo Ecclesiæ Doctore Gregorio & utriusque Archiparente Divo Benedicto, nec non cum S. Thoma, Cantuariensi item Archipræsule, è cælis ad Tribunal suum (res infanda prorsus & abominanda?) stultissimè & nequissimè citato & multo nequius damnato, tanto post reconcilientur, & pro maledictione, quam experiuntur quotidiè atque utinam causam expenderent! mereantur benedictionem. Experiuntur hoc ipsum mali plurimi non solũ ex Hæreticis rerum Ecclesiasticarum, & maximè Divi Benedicti, sacrilegis pervasoribus, & detentoribus, sed experti etiã sunt seri illorum posteri qui in detenta ejusmodi, ab Advocatis maximè Monasteriorum qui Beneficia in ius suum iniquissimè transtulerunt & usque hodiè sacrum profano non discernentes Benedicti in suis Redivivi potentiam nec agnoscunt nec reverentur, quibus utinam Deus meliora inspiret ne tam præsidenter & insipienter, ac quasi securè, iram Dei præstolentur. Sed missos faciamus pridem à cælo ipso excommunicatos & divinâ sententiâ damnatos acephalos & tamen tot sententiarum, quot capitum Anglos Hereticos aliosque omnes sacrilegos rerum Divi Benedicti Pervasores. Ad alios Redivivi in suis Beneficiarios sermonem convertamus. Ex his innumera penè studiosorum Juvenum multitudo est in fundatis iam olim, & in hodiernã usque diem, incredibili sumptu conservatis & frequentatis, Collegiorum, Gymnasiorum, Scholarum, & ejusmodi ædium, in Italia, Hispania, Gallijs, Superiore & Jnferiore Germania quorum iam aliqua memoravimus, & sexcenta memorare possemus, in quibus non sine maximis sumptibus Nostrorũ incredibilis penè numerus Juvenum ad virtutem non minus quam literarum studia tanto tempore educata, & honestissimè tractata, etiam usque hodiè ad boni publici promotionem alitur, & egregiè instruitur. Vt nihil dicam de nobilitatis Equestris non minus, quã altiorum & illustriorum, minus tamen proprio sumptu ad studia, aliaque nobilium exercitia sufficientium, quorum plurimi non sine magna admiratione Benedictinæ liberalitatis Prælatorum Nostrorum munificentia ad diversas missi nationes benè instructis loculis uti & artibus non sinè magna gloria Laribus Patriis sunt redditi ad maximum nobilitatis & Familiæ ornamentum. Novi ipsus magni nominis Prælatum, qui supra quadraginta magna nobilitate Juvenes, & multis plerosque annis taliter aluerit, memorabili sanè fructu Benedictinæ liberalitatis. Revixit non solum in seris filijs, sed perpetua successione filiorum, ingenitum à puero Benedicti Parentis in Benedictam Matrem admirabile devotionis studium, continuatum æquè nostra ætate, atque superioribus omnis ævi sæculis, ita ut meritò omnes Benedictam Matrem præ Benedicto Patre, inexplicabili adamarent studio colerentque adeò ferventer, ut non posset non ipsa quòque se se totam in amplexus eorundem effundere, & se se tota virtute piissimæ maternitatis communicare. Jta nullum prorsus toto terrarum orbe reperire erit Monasterium sive Deiparæ à prima fundatione dedicatum, sivè Sacello aliquo, sivè statua miraculosa, seu etiam ab antiquo memorabili concursũ populorum frequentatum. Prodigiosa reverâ res, ut Ordo universus de hac re sibi ante omnia gratuletur. Et revera, si Jtaliam, si Hispanias, si Gallias, si Germaniam utramque, quaqua versum inspicias, deprehendes miracula Virginum Virginis Benedictæ Matris, in Benedictos suos, & Benedictinos Benedicti Patris filios absque numero infinitate quasi quadam liberalissimæ suæ misericordiæ distributa & largissimè effusa; imò gratiam ejusdem & favores tantoperè omnium animos præoccupâsse, ut non aliter postremo hoc sæculo de tantæ Matris promovenda gloria universi & singuli allaborent, ut desertissimus sibi quisque à semet ipso sibi esse imaginetur, nisi certatim quasi certamine inito quivis in novo excogitando cultu tantæ Virginis tantæque Matris alius alium antevertere, & priorum sæculorum omnium, studia omnia, inventiones omnes, labores omnes, quam longissimè superare comprobetur. Jta Mont-Serratensis, Cassinensis, Cluniacensis, Cisterciensis, Camaldulensis, Fontis Ebraldi, Bursfeldensis, innumeræ aliæ Congregationes, Monasteria Einsidlense, Camberonense Mariæ-Cellense, Todtmosense, & sexcenta solius Germaniæ evidentissimis signis comprobant, Cæli Reginam, terras etiamnum suo regimine, & beatissima, in suis Benedictione, nunquam destituisse, nec destituturam esse, cùm ipsa à se potius, quam à Benedicto Patre, Benedictinam appellari Familiam, jure meritissimo contendat, & etiam evincat, Jpsãmet Archi-Cancellario suo Divo Alano, id ipsum

sum asserente, & demonstrante, comprobatâ hacipsa Veritate demonstrationibus penè infinitis, atque innumeris tantæ gratiæ, tam in Monasterijs, quàm Ascetis mirificè quotidiè operantis, adeóque Benedicti Patris, primæui Mariani feruoris, in seris filijs, exardescentis, universumque orbem accendentis.

Collegij Soc. Jesu Paderbornæ
1697.

FINIS.


Th
397a


P.
Bucchi
Bonea
ch
Redori
V9
S.V
S.